

THEOLOGIA
DOGMATICO-SPECULATIVA

IN
PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS
TRADITA

A P. JOSEPHO MONSCHEIN
S. J.
SS. Theologiæ, & SS. Canonum Doctore
p. t.
UNIVERSITATIS DILINGANÆ
CANCELLARIO.

TRACTATUS II.

DE
ANGELIS, STATU ANIMÆ POST
MORTEM, ET ACTIBUS
HUMANIS.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDEL. ET FRIBURGI BRISGOIÆ,
Impensis FRATRUM IGNATII & ANT. WAGNER Bibliopolarum, anno 1764.

REVERENDISSIMO
AC
SERENISSIMO
Domino Domino

JOSEPHO

S. R. I. PRINCIPI,
Epiſcopo Auguſtano,
Landgravio Haſſiæ
a Darmſtadt,
Principi Hirſchfeldenſi,
Comiti Catimelibogi, Diez,
Ziegenheimb, Nidda, Schaumburg,
Iſenburg, & Bidingen,
ABBATI INFULATO
S. Helenæ de Földwar in Hungaria,
Equiti S. Huberti &c. &c.

Domino Domino Clementiſſimo.



INDEX MATERIARUM,

In hoc opuſculo contentarum, ex quibus illæ, quæ ſtellula notatæ ſunt, ex præſcripto diſcutiuntur, reliquæ brevius exponuntur.

TRACTATUS de ANGELIS, STATU ANIMÆ POST MORTEM, ET ACTIBUS HUMANIS.

PARS I. DE ANGELIS.

DISPUTATIO I.

De eſſentia & exiſtentia Angelorum.

DISPUTATIO II.

De intellectu, voluntate, & ſtatu morali Angelorum.

DISPUTATIO III.

De custodia & infestatione Angelorum.

PARS II.
DE STATU ANIMÆ POST MORTEM.

DISPUTATIO I.
De Beatitudine.

DISPUTATIO II.
De statu damnatorum & animarum in Purgatorio.

* An

fol.

DISPUTATIO III.

De ſtatu animarum beatarum.

* An

PARS III.
DE ACTIBUS HUMANIS.

DISPUTATIO I.
De voluntarietate actuum humanorum.

DISPUTATIO II.
De libertate actuum humanorum.

DISPUTATIO III.

De regula remota moralitatis actuum humanorum.

DISPUTATIO IV.

De regula proxima moralitatis actuum humanorum.

DISPUTATIO V.

De conscientia probabili.

fol.

DISPUTATIO VI.

De conſcientia dubia, erronea, & ſcrupuloſa.

TRA-



TRACTATUS II.

DE ANGELIS, STATU ANIMÆ POST MORTEM, ET DE ACTIBUS HUMANIS.

EX tribus partibus, quas hic Tractatus continet, scitu quidem maxime necessaria, & ad praxin utilissima est, quæ moralitatem, & regulas generales actuum humanorum explicat; quia tamen inter omnes res a DEO creatas Angeli principatum tenent, ordo doctrinæ exigit, ut post DEUM unum & trinum primo de Angelis agatur. Dein progrediendo ad homines ostendendus erit status animæ post mortem, & justorum beatitudo, tanquam ultimus finis noster, ad quem actus humanos dirigere, & per illos tendere debemus.

PARS I.

De Angelis.

DISPUTATIO I.

De essentia, & existentia Angelorum.

1 Angelus græcum vocabulum, latine idem significat, quod nuncius; hinc S. Augustinus Serm. 1 in Psalm. 10 ait: *Angelus officii nomen est, non na-*

turæ. Quæris nomen hujus naturæ, ſpiritus eſt; quæris officium, Angelus eſt. Quamvis autem nomen Angeli in ſenſu ſtricto ſoli infimo choro tribuatur; quia tamen ad Hebr. 1 v. 14 omnes dicuntur *adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi*, hoc nomen ſæpe latius ſolet accipi pro quolibet ſpiritu cœleſti cujuscunque ordinis, & hierarchiæ, imo etiam pro angelis malis, qui DEO rebelles cœlo exciderunt, & æternis ignibus cruciantur. Unde juxta mentem Scripturæ, Eccleſiæ, & omnium Scriptorum Eccleſiaſticorum, per Angelum in genere intelligitur ſubſtantia quædam intellectiva media inter DEUM & homines, & ſpecie ab illis diſtincta.

2 Ad regulas ſcholaſticas exactius natura angelica definiri poteſt, quod ſit ſubſtantia intellectiva creata, ſpiritualis, & completa. Dicitur 1 Subſtantia intellectiva; quia Angelus eſt ens per ſe ſubſiſtens, præditum intellectu, voluntate, aliisque virtutibus operativis ſubſtantiæ intellectivæ propriis. 2. Creata, ut diſtinguatur a DEO, de quo Pſalm. 148 v. 5 recenſitis inter multas creaturas Angelis regius Pſaltes ait: *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.* 3. Spiritualis, ſeu omnis materiæ expers, per quod differt ab homine, qui eſt ſpiritualis ſimul, & corporeus. 4. Completa, ut diſcrepet ab anima rationali, quæ eſt ſubſtantia intellectiva creata, ſpiritualis, ſed incompleta, utpote de ſe pars hominis. Verum iſtæ Angelorum proprietates primum inferius probandæ erunt, poſtquam Angelos ſaltem in priore, & communi omnium ſenſu acceptos exiſtere probatum erit.

QUÆSTIO I.

Utrum exiſtant Angeli?

3 Præter complures Philoſophos antiquos exiſtentiam Angelorum negarunt Sadducæi, de quibus S.

Lucas Act. 23 v. 8 ait: *Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum.* Horum errorem magna ex parte resuscitarunt Anabaptistæ, qui omnia Scripturæ testimonia, quibus asseritur Angelorum custodia, & dæmonum tentatio, de solis bonis, vel malis cogitationibus interpretantur. Dum vicissim Plato in Timæo, & Aristoteles l. 8 Physic. existentiam Angelorum agnoscunt, nec pauci gentiles eos tanquam penates, seu deos secundarios coluerunt. Quin aliqui Auctores Catholici cum D. Amort existimant, existentiam Angelorum sola ratione naturali evidenter demonstrari posse, tum quia sine Angelis mundus esset imperfectus, nec satis assimilatus suo Creatori, tum quia sine illis non posset obtineri finis in creatione mundi necessario intentus, videlicet gloria DEI, consistens in clara cum laude notitia, tum denique, quia effectus quidam mirabiles, præsertim energumenorum, & magorum, non nisi ab Angelis proveniunt.

At licet ex his fundamentis existentia Angelorum probabiliter suadeatur, neutiquam infertur evidenter. Nam 1 cum DEO liberrimum fuerit in hoc vel illo perfectionis gradu mundum producere, ille non debuit perfecte assimilari ipsi substantiæ sui Creatoris, sed tantum ideæ, quam DEUS de mundo producendo habuit: neque sine Angelis mundus caruisset perfectione sibi debita, & necessaria, sed tantum fuisset imperfectus materialiter, & negative. 2. Ad obtinendam gloriam, notitiam, & laudem in illo gradu, quem DEUS libere sibi præfixit, sufficere potuisset intellectus humanus, qui, saltem prout in pluribus est divisus, & a corpore jam separatus, aliqua claritate hoc universum, ejusque pulchritudinem cognoscit. 3. Mirabiles illi effectus energumenorum, & magorum, qui humanas vires excedunt, si nullam continent malitiam, vel indecentiam moralem, verisimiliter possunt adscribi DEO: si vero aliquid mali continent, dici potest, quod proveniant

ab animabus damnatis, una, vel pluribus, a corpore jam separatis.

5 Dicendum: Existunt Angeli tam boni, quam mali. Est de fide, & probatur 1 auctoritate Scripturæ, quæ sæpissime Angelorum meminit; nam in veteri Testamento Angelis tribuitur custodia paradisi, liberatio Isaaci a gladio patris, protectio junioris Tobiæ, strages Assyriorum &c. In novo per Angelos annunciatur Incarnatio Virgini, Nativitas pastoribus, Resurrectio mulieribus &c. Denique de omnibus Angelis bonis Matth. 18 v. 10 asseritur: *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris.* De malis vero Job. 4 v. 18 dicitur: *Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in angelis reperit pravitatem.* Item 2 Petr. 2 v. 4: *DEUS angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.*

6 Probatur 2 auctoritate Conciliorum, & SS. Patrum. Sic Concilium Lateranense IV cap. 1 inquit: *Unum est universorum principium, Creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, & deinde humanam quasi communem, ex spiritu, & corpore constitutam.* Tunc de malis angelis subdit: *Diabolus enim, & dæmones alii, a DEO quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.* S. Aug. in Psal. 103 ait: *Esse Angelos novimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus, & tenemus, nec inde dubitare fas nobis est.* S. Greg. homil. 3, 4 in Evang. *Angelos, & Archangelos pæne omnes sacri eloquii paginæ testantur.* Consentiunt cæteri Patres unanimiter, totaque Ecclesia Angelos tanquam personas natura valde excellentes DEIque ministros, ac hominum custodes veneratur, & invocat.

Obje-

Objectiones.

Obj. 1. Angelus non est nomen naturæ, sed officii: ergo in Scripturis per Angelos non intelliguntur spiritus, sed tantum occultæ inspirationes, quibus quasi DEI nuntiis homines admonentur voluntatis divinæ. Conf. Angeli neque cadunt sub sensus, neque sub imaginationem nostram: ergo. Resp. dist. ant. Non est nomen naturæ ex primæva vi suæ significationis, conc. ant. ex usu Scripturæ, & Ecclesiæ, neg. ant. Scriptura, & Scriptores Ecclesiastici Angelos exhibent aliquibus apparentes, in via comites, beneficiis eos cumulantes, humana voce loquentes &c. quæ manifeste personas subsistentes significant. Sicut itaque ex legati, aut oratoris nomine inferri nequit, eum, qui hoc munere fungitur, non esse hominem, sic ex nomine Angeli minime sequitur, Angelos non esse substantias. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Etiam DEUS, & animæ rationales immediate non cadunt sub sensum, & imaginationem nostram, & tamen certo existunt, & ab humano intellectu cognoscuntur, 7

Dices. Cur ergo Moyses initio Genesis, ubi creationem totius universi, ac partium ejus describit, nullam Angelorum facit mentionem? Conf. Si Moyses tacuisset creationem Angelorum, populo judaico dedisset ansam judicandi, quod sint increati, adeoque colendi, ut Dii: ergo. Resp. cum S. Thoma, quod secundum Augustinum l. 11 cap. 9 & 33 de Civitate, Angeli in prima creatione non sint prætermissi, sed significati nomine cœli, aut lucis. Quod si prætermissi sint, vel nominibus rerum corporalium significati, id factum est, quia populus adhuc rudis, & sensibilibus immersus, nondum capere poterat naturam incorpoream, & ex illa facile accepisset occasionem idololatriæ: ut igitur Moyses populum a sensibilibus ad insensibilia, & omnium rerum creatorem avocaret, tantum rerum sensiblium, quæ præ- 8

cipue in obſequium hominum factæ erant, ſeriem initio deſcripſit, poſtea tamen ſæpe de Angelis, tanquam ſubſtantiis a DEO creatis, locutus eſt. Ad conf. neg. ant. Moyſes poſtea Angelos ſemper exhibuit tanquam miniſtros veri DEI, & ſub corporea, ac humana ſpecie. Quare nullibi legimus, Angelos a Judæis cultu divino eſſe honoratos.

9 Obj. 2. Quæ in Scriptura de Angelis dicuntur, poſſent intelligi vel de hominibus, vel de animabus ſeparatis. Nam 1 Matth. 11 v. 10 Joannes Baptiſta ab ipſo Chriſto dicitur Angelus: *Ecce ego mitto Angelum meum*. 2. S. Aug. de quantit. animæ cap. 34 ait, *nihil eſſe melius, aut DEO propinquius anima hominis*. Reſp. neg. ant. Nam concilium Lateranenſe Angelos expreſſe ab hominibus diſtinguit, & ipſa Scriptura 2 Petr. 2 aſſerit, dæmones eſſe virtute, fortitudine, & poteſtate majores, quam homines. Ad I probationem dico, Joannem Baptiſtam a DEO vocari Angelum officio, & ſpiritu, non natura, ſicut ibidem v. 14 vocatur Elias non perſona, ſed ſpiritu. Ad conf. S. Aug. lib. II de Civit. cap. 15 ait: *Angelica natura omnia cætera, quæ DEUS condidit, naturæ dignitate præcedit*; unde objecto loco intelligendus eſt de anima rationali in ordine ad capacitatem gratiæ & gloriæ, quam æque participare poteſt, ac Angelus; cum non minus ordinata ſit ad DEUM tanquam ſupremum Dominum, & ultimum ſuum finem.

10 Dices. S. Auguſtinus lib. 3 de liber. arbitr. cap. 5 expreſſe aſſerit, animas rationales ſuperioribus poteſtatibus natura eſſe pares, & libr. contra Maximum docet, illud Pſalmi 8: *Minoraſti eum paulo minus ab Angelis*, dictum eſſe de Chriſto, non propter naturam humanam, ſed propter paſſionem mortis; nam ſolum DEUM natura hominis eſſe majorem. Conf. S. Bernard. libr 5 de conſiderat. cap. 3 inquit: *Spiritus eſt DEUS, ſunt & Angeli, & hi ſupra te; ſed DEUS natura, Angeli gratia*

ſupe-

ſuperiores ſunt. Reſp. Ne S. Doctor ſibi contradicat, hic exponi debet non de perfectione naturali præciſe ſpectata, ſed una cum omnibus donis gratiæ. Imo doctrinam hic traditam videtur revocaſſe lib. I Retract. cap. 26 his verbis: *Ubi quod dixi, quod autem eſt omni anima melius, id DEUM dicimus, magis dici debuit, quod omni creato ſpiritu melius.* Pſalmum 8vum SS. Patres, & ipſe Apoſtolus ad Hebr. 2 de Chriſto non ſolum quoad paſſionem, ſed etiam quoad ipſam naturam humanam intelligunt. Hinc etiam ad conf. S. Bernardus ſolum videtur velle, quod natura Angelica, & humana ſint in eodem gradu generico ſubſtantiæ intellectivæ.

Quæres 1. Quando Angeli ſint creati? Reſp. 11
Illos probabilius primum creatos fuiſſe cum mundo corporeo. Ita contra alios Patres tam latinos, quam græcos S. Aug. Epiphan. Theodoret. Gregor. Magnus, Beda, &c. apud cardin. Gotti quæſt. 1 dub. 2 §. 3; quia Geneſ. cap. 1 dicitur: *In principio DEUS creavit cœlum, & terram.* Ubi juxta S. Aug. de Civit. cap. 11 τo *Principium* idem ſonat, ac primum omnium, ſeu ante omnia; hinc etiam concilium Lateranenſe ait, quod DEUS ab initio temporis ſimul utramque de nihilo condiderit creaturam ſpiritualem & corporalem, & deinde primum humanam, ubi particula ſimul cum reliquis verbis: *Ab initio temporis*, conjuncta aperte videtur indicare, concilium *loqui* de ſimultate temporis, præſertim quia ſtatim ſubjungit: *Et deinde humanam*, quod certe poſterioritatem temporis ſignificat, quia homo primum conditus fuit die 6ta. Itaque juncta textus citatos Angeli creati videntur die prima cum cœlo, aut luce.

Quæres 2. Quot Angeli creati ſint? Reſp. cum 12
S. Gregorio libr. 17 Mor. l.| cap. 9: *In cognitione humanæ rationis ſupernorum ſpirituum numerus non eſt - - infinitus, & definitus exprimitur, ut, qui DEO eſt numerabilis, eſſe hominibus innumerabilis demon-*

ftretur. Certe ingentem Angelorum numerum esse, Scriptura indicat. Sic Danielis 7 v 10 dicitur: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Matth. 26 v. 53. Christus de Patre suo cœlesti ait: *Exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelorum.* Matth. autem 18 comparat numerum Angelorum nonaginta novem ovibus relictis in deserto, genus vero humanum tantum uni ovi perditæ. Unde S. Thomas hic quæst. 50 art. 3 nixus auctoritate libri de cœlesti Hierarchia existimat, numerum Angelorum majorem esse, quam omnium rerum corporearum.

13 Quæres 3. Ubi creati sint Angeli? Resp. Circa hoc nihil expresse revelatum, aut communi Patrum consensu sancitum esse; Scholasticorum autem variæ sunt sententiæ: communior docet, Angelos creatos esse in cœlo empyreo, seu corpore supremo, quomodocunque nuncupetur. Ita colligi videtur ex sacra Scriptura: *Videbam sathanam, sicut fulgur de cœlo cadentem.* Luc. 10 v. 18. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer.* Isai. 14 v. 12. Quæ S. Aug. l. II de Civit. cap. 33 intelligit de cœlo supremo, vocans illud *cœlos cœlorum.* Neque obstat illud Isai. 14 v. 13: *In cœlum conscendam, super astra DEI exaltabo solium meum.* Nam cum S. Thoma hic quæst. 61 art. 1 ad 2 dici potest, Prophetam hic tropice exprimere Luciferi superbiam, & loqui de cœlo SS. Trinitatis, cui Lucifer aliquo modo æquiparari voluit. Profecto cum cœli mobiles primum secundo, & sidera 4to die producta fuerint, Angeli die primo non potuerunt in illis creari.

14 Quæres 4. Quomodo Angelus sit in loco? Resp. Cum Angeli sint alicubi, nec tamen ubique, ubi est DEUS (alias essent immensi) manifestum est, illos in aliquo loco limitato existere, non quidem circumscriptive, seu per partes realiter distinctas, quæ singulis loci partibus respondeant, aut a corpore ambiente tangantur, sed definitive, in quantum

tum totus Angelus in toto aliquo ſpatio determinabili datur, & totus in qualibet parte hujus ſpatii; hinc Scriptura ait, Angelos bonos eſſe in cœlo, malos in inferno. Neque ad hoc, ut Angelus concipiatur in aliquo loco eſſe, requiritur, ut in illo operetur, vel ſuam virtutem operandi applicet, quemadmodum volunt Thomiſtæ; ſed per ipſam præſentiam ſuæ ſubſtantiæ potius hic, quam alibi formaliter conſtituitur: cum utique prius ſit eſſe in loco, quam in loco operari. Porro quantum ſpatium quilibet Angelus occupare poſſit, omnino incertum eſt; probabilius tamen videtur 1. Quod plures Angeli ſimul poſſint eſſe in eodem loco compenetrati, quia ſunt incorporei, & quantitatis expertes. 2. Quod unus Angelus poſſit ſe extendere ad majus ſpatium adæquatum, quam alius, quia unus altero poteſt eſſe perfectior. 3. Quod quilibet modo plus, modo minus de ſpatio ſibi commenſurato poſſit occupare, quia id etiam poteſt anima in corpore. 4. Quod nullus Angelus poſſit eſſe ſimul in duobus locis diſcontinuis, quia replicatio naturaliter implicat.

QUÆSTIO II.

An Angeli ſint incorporei, & pure ſpirituales?

☞ Sicut nomen corpus, ita etiam ſpirituale, & incorporeum variis modis accipitur. 1. Corpus proprie ſignificat ſubſtantiam quandam materialem, ſeu quantitativam, ac naturaliter impenetrabilem. 2. Latius quandoque a SS. Patribus Auguſtino, Hilario &c. uſurpatur pro omni ſubſtantia vera, & reali, in quo ſenſu etiam Apoſtolus ad Coloſſ. ait, *divinitatem in Chriſto habitare corporaliter.* 3. Imo aliqui omne illud vocant corpus, quod habet potentiam quamdam paſſivam, aut certo loco definitur; 15

ſic SS. Hilar. & Hieron. aſſerunt, nihil eſſe incorporeum, præter DEUM. 4. Viciſſim non raro ſpirituale vocatur, quod non poteſt percipi ſenſibus, vel ſaltem non componitur ex partibus craſſis. Sic in Scriptura ventus, aer purior, animæ brutorum &c. vocantur ſpiritus, & puriores ſanguinis partes a Philoſophis ſpiritus vitales dicuntur. Sed in hac quæſtione nomen ſpiritus accipitur ſtricte pro natura intellectuali, nullo vel tenuiſſimo corpore conſtante, nullave materia phyſica concreta.

16 Hæc diverſa vocum acceptio ipſos SS. patres in diverſas de natura Angelorum ſententias olim diſtraxit. Quidam Platonem ſecuti tradiderunt, Angelos tam bonos, quam malos naturaliter ſibi unita habere corpora, non quidem craſſa, ac palpabilia, ſed valde ſubtilia aeris inſtar. Ita teſte Petavio ſenſerunt S. Irænæus, Origenes, Tertullianus, & nonnulli alii. 2. Econtra Angelos omnino incorporeos eſſe, aſſerunt ex Græcis S. Ignat. Martyr. Baſil. Greg. Nyſæn. & Nazian. ex Latinis Gregor. magnus, Hieron. Ambroſ. aliique plures apud Card. Gotti quæſt. 2 dub. 1. 3. Quidam de hac quæſtione dubitare, quam aliquid decidere maluerunt, uti S. Bernard. ſerm. 5 & 6 ſuper Cantica, & S. Aug. libr. 15 de Civit cap. 23 epiſtol. 59 ad Paulinum &c. 4. Nihilominus Theologi, præſertim poſt concilium Lateranenſe, excepto Cajetano, unanimiter docuerunt, Angelos eſſe incorpereos ita, ut neque ſint corpus, aut corporis forma, nec eo tanquam inſtrumento ad ſuas operationes indigeant, quæ ſententia quibusdam videtur eſſe de fide; alii vero moderatius exiſtimant, illam quidem ad fidem non pertinere, attamen ſine temeritate negari non poſſe.

17 Dicendum. Tam Angeli boni, quam mali ſunt omnino incorporei, & pure ſpirituales. Probatur 1. Auctoritate Scripturæ, in qua Angeli conſtanter, & ſimpliciter ſpiritus dicuntur: *Qui facit Ange-*

Angelos ſuos ſpiritus, Pſalm. 103 v. 4. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus?* ad Hebr. 1 v. 14. De Angelis malis: *Spiritus ſubjiciuntur vobis*, Luc. 10 v. 20. *Aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe*. Luc. 11 v. 26. Jam vero quando nomen ſpiritus ſimpliciter tribuitur rei intellectivæ, ſignificat rem omnino ſpiritualem, & incorpoream, ſicuti quando idem nomen in ſacris litteris tribuitur DEO, aut animæ rationali. Certe hoc nomen nunquam tribuitur homini, aut beatis poſt reſurrectionem, neque Sadducæi negantes Angelos unquam negarunt, dari ſubſtantiam compoſitam ex corpore, & ſpiritu. Conf. Scriptura non loquitur de Angelis tantum tanquam de parte ſubſtantiæ, ſed de toto quodam; alias alicubi perfectam ſubſtantiam ex Angelo & corpore conſtantem exprimeret, ſicut id exprimit de homine: ergo Angeli in genere intellectualium ſunt ſubſtantiæ quædam totales, & perfectæ, & non uniuntur corpori, ſicut animæ hominum.

Probatur 2. Auctoritate conciliorum, ex quibus Nicænum II Act. 4 inquit: *Veneramur imagines ſanctorum, & incorporeorum Angelorum, utpote qui tanquam homines figura humana juſtis apparuerunt.* 18
Ubi vides, Angelos ſimpliciter, & absque reſtrictione dici incorporeos; quomodo ergo partim ex ſpiritu, partim ex corpore conſtant? Pariter Nicænum I Act. 2 in profeſſione fidei Sophronii animas rationales, & Angelos collocat in eodem ordine intellectualium ſeu ſpiritualium ſubſtantiarum. Sed noſtram ſententiam apertiſſime docuit Lateranenſe cit. num. 6; nam clare aſſerit, dari creaturam ſpiritualem contradiſtinctam a corporali, & hanc eſſe Angelicam; hominem autem eſſe ſubſtantiam communem, & quaſi mediam ex corpore, & anima conſtitutam: ergo Angeli non ſunt conſtituti ex corpore, ſed pure ſpirituales. Neque obſtat, quod hoc concilium ex inſtituto tantum egerit contra Albigenſes, qui cum Manichæis negabant, DEUM omnium rerum eſſe prin-

principium; quippe nihilominus concilium mentem suam de spiritualitate Angelorum satis manifestavit.

19 Confirmatur conclusio ratione congrua. Vel Angeli haberent corpora organizata, & membris distincta, ut sunt humana? vel tantum confusa, & indistincta? non primum, quia illa distinctio non requiritur ad operationes Angelorum, quæ præcise sunt intelligere, velle, & movere, neque facile percipi posset, quomodo tali modo tota dæmonum legio obsidere potuerit unum hominem, ut Luc.8 narratur: non 2dum, quia corpora confusa Angelis ad motum aliaque ministeria nihil prodessent, & quoties in terram & aliquem locum conclusum mitterentur, alia corpora deberent dividi, vel compenetratio fieri. Adde, quod Angeli sint natura perfectiores, quam homines, aut animæ rationales, & specie ab illis differant; hoc autem sufficienter probari non posset, si Angeli haberent corpora. Nam habere corpus crassum, vel subtile, alimentis egere, vel non egere &c. non est specificum in natura discrimen, ut manifestum est exemplo hominis spectati ante, & post resurrectionem.

Objectiones.

20 Obj. 1. Angeli juxta sacram scripturam humanis sensibus sunt perceptibiles; nam apparuerunt Patriarchis, & Prophetis, Jacob cum Angelo luctatus est, Dæmones cruciantur igne infernali, rudentibus in tartarum detracti sunt, captivantur vinculis, &c. ergo sunt corporei. Conf. S. Gregorius Homil. 10 in Evang. Angelos vocat *animal rationale*, S. Basilius Lib. de spirit. sanct. cap. 16 *ignem*, & ipse Apostolus ad Hebr. 1 *flammam ignis*. Resp. Dist. ant. Angeli humanis sensibus sunt perceptibiles in corpore proprio naturaliter ipsis unito, neg. ant. in specie aliena, seu in corpore assumpto ex aere circumstante, vel alia materia subtili, conc. ant. & neg.

neg. conf. Etiam animæ rationales torquentur igne infernali, quin fint corporeæ; rudentibus autem trahi, & vinculis captivari dicuntur Dæmones tropologice pro spirituali motu, aut alligatione ad certum locum, ne operando extra illum ferantur. Ad conf. S. Gregorius nomine animalis intelligit vivens; nam libr. 4 Dial. cap. 29 Angelos damnatos dicit incorporeos. S. Basilius statim addit epitherum *immaterialis*, id eft, metaphoricus. S. Apoftolus juxta Cornelium tantum vult indicare, quod Angeli fint quasi igneæ naturæ quoad agilitatem, vim penetrandi, activitatem, & fervorem circa divinum ministerium.

Dices 1. Angeli in corpore exercent operationes vitales; nam ab Abrahamo fuerunt fufcepti hospitio: Raphael ambulavit cum Tobia, cum eo locutus eft, & manducavit. S. Auguftinus autem Epiftola 49 afferit, *Angelos veras efcas fumpfiffe, non ficto, & inani phantafmate, fed manifeftiffima veritate.* Conf. nisi Angeli fuiffent uniti corporibus, non apparuiffent fub humana fpecie. Sic licet fecundum Ariftotelis fententiam aftra moverent, ideo non dicerentur apparere aftrorum fpecie. Refp. neg. ant. licet Angeli in corporibus affumptis non tantum fictitias, & imaginarias, fed veras, & reales operationes exercuerint; quia tamen ejusmodi operationes non fuerunt profectæ a principio interno unito, & vitaliter informante, proprie non fuerunt vitales. Ideo Raphael Tob. 12 v. 19 dixit: *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, fed ego cibo invifibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteft, utor.* Ad conf. Angeli folum ea corpora dicuntur affumere, & fub illis apparere, quæ ita movent, ut in illis fuam perfonam, fuasque proprietates, vel actiones aliquo modo repræfentent, ut notat S. Thomas Quæft. 6 de potentia Art. 2 ad 1. 31

Dices 2.

22 Dices 2. Angeli læduntur, vel bene afficiuntur rebus corporeis. Sic Tob. 8 legitur, fumo jecoris cujusdam piscis fugatum esse Dæmonem, & 1 Reg. 16 refertur, ad pulsum cytharæ spiritum malum recessisse a Saul. Conf. S. Augustinus lib. 8 de Civit. cap. 16! docet, Dæmones delectari quibusdam rebus sensibilibus, v. g. odoribus, & fumo: sicut vicissim homines ad abigendos Dæmones sæpe adhibent varii generis fructus, lapides, ligna, &c. Resp. neg. ant. fumus jecoris, & pulsus cytharæ non fugarunt Dæmonem ex vi naturali, sed ex virtute divina, in quantum DEUS ejusmodi rebus uti voluit tanquam instrumento, sive dein hoc instrumentum concurrerit physice per potentiam obedientialem, sive potius tantum moraliter DEUM determinando, ut Dæmonem fugaret, quare Tob. 8 v. 3 dicitur: *Tunc Raphael apprehendit Dæmonium, & religavit illud in deserto.* Ad conf. Dæmones juxta S. Augustinum non delectantur rebus sensibilibus proprie, & qua talibus, sed in quantum hæc eis exhibentur in venerationem, & signum divini honoris, atque eodem modo rebus contrariis abigi possunt, quanquam tam media, nisi ab ecclesia approbata, & benedicta sint, sæpe superstitionem redoleant.

23 Obj. 2. S. Scriptura Genes. 6 ait, quod filii DEI acceperint sibi uxores ex filiabus hominum, & genuerint gigantes; atqui per filios DEI intelliguntur Angeli; ita enim hunc locum interpretantur Septuaginta loco filii DEI ponentes, Angeli DEI. Conf. etiam filii ita geniti in libro Enoch vocantur Angeli, quem librum citat S. Judas in sua epistola. Resp. conc. maj. neg. min. Nam boni Angeli nunquam peccarunt, mali autem nunquam vocantur filii DEI. Unde juxta S. Aug. lib. 15 de Civit. cap. 23. Cyrill. lib. 9 contra Julian. & Thomam q. 51 art. 3 ad 6 per filios DEI intelliguntur filii Seth, qui in justitia patris perseverarunt, donec cum filiabus Cain conjuncti sunt. Alii per filios DEI intelli-

telligunt filios nobilium, ac potentium hujus fæculi, quia in Hebraico textu legitur *Bene Eloim*, seu filii Deorum: neque omnes codices Septuaginta habent Angeli DEI, licet etiam per Angelos in Scriptura non raro intelligantur homines. Ad conf. Liber Enoch est apogryphus, & neutiquam in omnibus indubiæ auctoritatis; per hoc autem, quod a S. Juda citetur, tantum probatur, quodnon sit contemnendus in omnibus.

Dices. Tamen non pauci ex Patribus cum S. 24
Justino, Clemente, Tertull. &c. apud card. Gotti quæst. cit. dub. 4 existimarunt, Angelos ex mulieribus vera generatione filios suscepisse. Conf. Juxta nos ipsos aliqui Patres docuerunt, Angelos esse corporeos, & S. Augustinus libr. 21 de Civit. cap. 10 ait: *Aereum Dæmon, luteum homo corpus habet*. Resp. Plures alios Patres hoc commercium Angelorum cum mulieribus negare, ex quo omnino sequi videretur, quod Angeli habeant corpora crassa; qualia etiam ex aere assumere potuissent, prout legitur, nonnunquam a dæmonibus factum esse in conventibus sagarum. Ad conf. Quid de auctoritate Patrum sentiendum, patet ex num. 16, ubi ostendimus, multos nobiscum sentire, nec omnes illos esse contrarios, qui Angelos corporeos vocant, eo quod to *corporeum* variis modis ab ipsis accipiatur, & forte tantum dicere voluerint, quod Angeli sint corporei relate ad DEUM, qui purissimus actus, & spiritus est. S. Augustinus postea in eodem capite ait: *Si autem quisquam nulla habere corpora Dæmones asseverat, non est de hac re laborandum operosa inquisitione.*

Obj. 3. In concilio Nicæno 2 act. 5 appro- 25
batus est dialogus Joannis Episcopi Thessalonicensis cum gentili disputantis, in quo ait, *Angelos, & animas rationales esse quidem intelligibiles, & non omnino corporis expertes, & invisibiles; verum tenui corpore præditos, aereo sive igneo, & in proprio corpore*

pore aliquando visos esse, adeoque posse depingi. Quibus lectis Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, & concilii præses dixit: *ostendit pater* (Joannes videlicet) *etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt, & hominum specie multis apparuerunt;* respondituque universa Synodus: *Etiam Domine.* Conf. In eodem dialogo dicitur, quod ita de Angelis sentiat Ecclesia, & SS. patres. Resp. Dist. ant. Hic dialogus est approbatus in ordine ad conclusionem, quod Angeli possint depingi, conc. ant. quoad rationes additas, neg. ant. Ad conf. Joannes accepit partem pro toto, quod nempe aliqui in Ecclesia ita sentiant, & hinc non adeo absurdum sit, quod Angeli depingantur.

26 Alii putant, Joannem tantum voluisse, quod Angeli sint corporei, quatenus sunt substantia certo loco extensa, & definita, quia pro sua opinione etiam allegat SS. Basilium, & Hieronymum, qui tamen senserant, Angelos esse incorporeos. Sed ratio nostræ responsionis est, quia, sicut in hac synodo potissimum agebatur de usu imaginum adversus Iconomachos, ita scopus, & objectum hujus definitionis non fuit approbare motiva a Patribus prolata, aut decidere quæstionem, an Angeli sint incorporei; sed tantum, quod licite possint depingi. 2. Quia Tarasius prætermisso errore de corporalitate Angelorum, de qua non erat quæstio, tantum proposuit eos pingi posse: *Quoniam circumscripti sunt, & hominum specie multis apparuerunt.* 3. Quia in hoc ipso concilio act. 4 jam fuerat approbata sententia S. Athanasii, Angelos esse incorporeos, imo ibidem hæc fidei professio habetur: *Veneramur imagines sanctorum, & incorporeorum Angelorum.*

27 Ex his patet, Angelos esse substantias completas, & simplices, ex natura sua immortales; nulla enim est ratio admittendi aliquam compositionem physicam ex subjecto, & forma in ente pure spirituali, & incorporeo. Quamvis autem per absolutam

tam DEI potentiam Angeli annihilari possent, quia tamen semper valent exercere suas operationes, nec ullum habent contrarium, ex natura sua in perpetuum durare exigunt, ut docet communis omnium fidelium, & Patrum sensus, expressus in epistola Sophronii Patriarchæ Jerosolymitani, approbata in synodo VI, ubi tam Angeli, quam animæ hominum incorruptibiles, & immortales esse docentur. Præterea Angelos reipsa in perpetuum duraturos, est veritas fidei, & de bonis Angelis affirmatur Luc. 20 v. 36, ubi de beatis post resurrectionem dicitur: *Neque ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt.* De Dæmonibus vero Matth. 25 v. 41 dicitur: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Quando igitur in cit. epist. Sophronii dicitur, Angelos esse immortales non per naturam, sed per gratiam, gratia sumitur latius pro dono naturali. Agitur enim contra hæreticos, qui Angelos, & animas rationales dixerunt esse immortales essentialiter, ita, ut absolute non possint destrui.

Quæres 1. An, & quomodo Angelus possit se ipsum movere localiter? Resp. Quod Angeli se ipsos possint movere ab uno loco in alium, certum est ex sacra scriptura; nam Genes. 18 & 19 Angeli dicuntur venisse ad Abraham, & Loth. Matth. 28 v. 2 Angelus Domini descendit de cœlo. Et vero cum Angeli sint substantiæ spirituales, longe nobiliores, quam corpora, non dependent ab uno loco, sed multo magis, quam corpora se movere possunt, non tantum motu continuo, successive per partes relinquendo spatium prius occupatum; sed etiam motu discreto, totum priorem locum simul deserendo, & immediate alium locum totum occupando. Sicut enim Angelus loco non commensuratur, sed totus in toto existit, ita pro libitu totum, vel tantum ejus partem potest deserere, vel occupare. Unde 2. motus Angelorum, quem insuper nulla mo- 28

les gravat, nullusque obex moratur, poteſt eſſe citiſſimus; non tamen inſtantaneus, quia in omni motu neceſſario debent concipi duo inſtantia, unum in quo mobile antea fuit, alterum in quo nunc primum eſt. 3. Pariter Angelus non poteſt tranſire de loco ad locum non tranſito medio; quippe ſicut motus localis eſt ſucceſſivus ratione temporis, ſic etiam concipitur eſſe ſucceſſivus ratione ſpatii, & magis videtur repugnare, transferre ſe ipſum ad locum diſtantem, quam agere in diſtans, quod tamen juxta Philoſophos naturaliter implicat.

29 Quæres 2. An, & quomodo Angeli poſſint movere alia objecta? Reſp. Cum ex Scriptura conſtet, quod Angelus tranſtulerit Prophetam Habacuc ex Judæa in Babilonem, & Philippum in Azotum, quodve lapidem revolverint ab oſtio monumenti; dubium non eſt, quin Angeli habeant virtutem naturalem movendi corpora. 2. Ex hoc ipſo ulterius inferunt, quod etiam movere poſſint animas ſeparatas, & unus Angelus alterum; major enim quoad motum eſt proportio inter unum ſpiritum, & alterum, quam inter ſpiritum, & corpus. Hinc Patres communiter dicunt, animas damnandas, cum e corporibus exeunt, a Dæmonibus abripi in infernum. 3. Licet per ſe loquendo Angelus inferior non poſſit movere ſuperiorem invitum, Divina tamen lege, & ordinatione Dæmonum vires ita cohibentur, vel Angelorum bonorum virtus motrix ſic augetur, ut illi iſtis ſubjaceant, & Dæmones ab Angelis bonis facile loco moveantur, vel contineantur. 4. Quod ſi Angelus Angelum moveat, in eo per applicationem ſuæ virtutis tantum producit motum, non vero impetum, & hinc motor ſemper cum moto moveri debet. 5. An vero idem dicendum ſit, quando Angelus movet corpus, non conveniunt Auctores; Suarius putat, Angelum impetum accidentalem tantum poſſe producere mediate, in quamtum unum corpus in alterum ita poteſt impellere, ut illud in hoc

hoc impetum aliquem causet. Verum ista opinio cum recentiore Philosophia non satis videtur congruere.

QUÆSTIO III.

An & qualis inter Angelos detur Hierarchia, & ordo?

Hierarchia juxta etymologiam Græci nominis significat sacrum principatum, id est, collectionem personarum ad sacras functiones destinatarum sub aliquo Principe; Chorus autem, sive ordo hic accipitur pro collectione magis speciali personarum, sub eadem Hierarchia inter se habentium peculiarem similitudinem in eodem munere. Quæritur jam, utrum inter Angelos detur aliqua Hierarchia, & ordo inferiorum, & superiorum secundum varios officiorum, & dignitatum gradus? & quot ejusmodi Hierarchiæ, ac ordines numerentur? 30

Dicendum 1. Datur inter Angelos aliqua Hierarchia, & ordo inferiorum, & superiorum secundum varios officiorum, & dignitatum gradus. Conclusio hæc juxta Suarium, Tanner. Valent. &c. est de fide. Nam 1. Sacra Scriptura varios Angelorum ordines enumerat, & distinguit, præsertim S. Paulus ad Coloss. 1 v. 16: *In ipso condita sunt universa, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates.* Item ad Ephes. 1 v. 21, ubi ad extollendam Christi dignitatem affirmat, eum ad dextram Patris constitutum esse *super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem,* quasi diceret, non solum inferioribus Angelis, sed etiam eminentioribus quibusque Christum dignitate antecellere. 2. Hos, & similes textus Scripturæ Patres antiquissimi Martialis, Antonius Abbas, Sophronius, & postea distinctius S. Dionysius, Basilius, Gregorius &c. apud Suarium lib. 1 de Angel. 31

cap. 13, cum tota Ecclesia, & omnibus Theologis semper intellexerunt de diversis ordinibus, & dignitatibus Angelorum, quod etiam confirmat collecta Ecclesiæ: *DEUS qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas* &c.

32 Dicendum 2. Angeli dividuntur in tres Hierarchias, & novem ordines, sive Choros. Nam 1. horum in sacra Scriptura distincta fit mentio, nempe de Seraphim Isai. 6. De *Cherubim* Ezech. 1. De *Thronis* ad Coloss. 1. De *Dominationibus*, *Virtutibus*, *Potestatibus*, & *Principatibus* ad Ephes. 1. De Archangelis ad Thess. 4, & in epistola Judæ v. 9. De *Angelis* ad Hebr. 1, & alias sæpissime. 2. Eosdem ordines apud Suarium loc. cit. enumerant ex Patribus Græcis Dionys. libr. 5 de cœlesti Hierarchia; Athanasius in quæst. 4 ad Antiochum, Basil. Cyrill. Alexandr. &c. Ex Latinis, Clemens Romanus libr. 8 Constit. cap. 12, Gregor. libr. 32 Moral. Laurent. Justin. Bernard. &c. quibus etiam accedit consensus Scholasticorum; quo tamen non obstante incertum manet, utrum hæc distinctio desumpta sit ex quadam diversitate substantiali Angelorum, an vero tantum accidentali munerum, & officiorum. Sed neque circa cujuscunque Hierarchiæ, & ordinum gradus Patres conveniunt; aliter enim illos enumerat Dionysius, aliter Gregorius, & rursus aliter Patres alii apud Suarium: nec ipse Apostolus locis citatis illos constanter eodem ordine collocat.

33 Interim S Thomas secutus S. Dionysium singularum Hierarchiarum, & Ordinum proprietates, & officia quæst. 112 art. 3 verisimiliter exhibet exemplo regiminis politici. In prima Hierarchia sunt Seraphim, Cherubim, & Throni tanquam primarii Principes, qui semper DEO assistunt; inter hos Seraphim eminent perfectissimo amore, quo etiam alios inflammant, Cherubim plenitudine scientiæ, quam inferioribus Ordinibus communicant, Throni sunt quasi sedes DEI, aptissimi ad suscipiendos

dos in ſe, & aliis communicandos divinos fulgores. In 2da Hierarchia ſunt Dominationes, Virtutes, & Poteſtates, quaſi Præfecti Regionum diſponentes de miniſteriis divinis ſecundum rationes univerſales, a prima Hierarchia acceptas; Dominationes in ordine ad miniſteria externa præſunt inferioribus, Virtutes ſpecialiter ſunt deputatæ ad patranda ſigna, & miracula, Poteſtates coercent Dæmones, ſæpe turbantes univerſum. In 3tia Hierarchia ſunt Principatus, Archangeli, & Angeli, quibus incumbis exſequi opera per ſecundam Hierarchiam diſpoſita, & ordinata; Principatus curant univerſaliora, nempe Regna, & alias hominum ſocietates; Archangeli mittuntur ad graviora negotia, & Principum, Regum, ac Pontificum curam gerunt; Angeli denique ad privatorum hominum cuſtodiam deputantur.

Objectiones.

Obj. 1. Eſſe Angelum, Virtutem, Thronum, Cherubin, cæteraque ejusmodi nomina, cuilibet Angelo conveniunt: ergo ex illis non probantur Hierarchiæ, & Chori Angelorum. Conf. Gabriel Luc. 1 vocatur Angelus, cum ad minimum videatur eſſe Archangelus, & ab aliquibus omnino inter Seraphinos numeretur ob excellentiam myſterii Incarnationis. Pariter Michael a S. Juda vocatur Archangelus, licet forte ſit ſupremus omnium Angelorum; nam Daniel. 10 v. 13 dicitur unus de Principibus primis, & Apoc. 12 Dux, & Princeps Angelorum pugnantium cum Dracone: ergo. Reſp. Diſp. ant. Hæc nomina conveniunt cuilibet Angelo, ſi accipiantur generice, conc. ant. ſi accipiantur ſpecifice, & ſub ſignificatione peculiari, ſingulis Ordinibus propria, neg. ant. Quod per ejusmodi nomina ſignificetur diſtinctio Ordinum, expreſſe docet S. Dionyſius, quem ſequuntur Patres reliqui, ſupra itc.nſiti, & S. Paulus ad Coloſſ. 1 ipſo modo lo- 34

 quendi

quendi hanc diſtinctionem indicat, *ſive Throni*, *ſive Dominationes* &c. Ad Conf. Eo ipſo, quod proprietates, & officia, ex quibus diverſa Angelorum nomina deſumimus, generice pluribus, vel omnibus conveniant, quandoque etiam communiter uſurpantur; quo non obſtante aliqua proprietas poteſt eſſe alicui ordini propria, & inde tali ordini ſpeciale nomen convenire.

35 Obj. 2. Leo IX. Can. Hi duo. 55 diſt. 1 de conſecrat. ait, quod decimus Chorus Angelorum per ſuperbiam corruerit, indeque novem Ordinum concentus manſerit imperfectus, donec homo cum Chriſto reſurgente iterum reſurgens illum reparaverit: ergo dantur plures Ordines, quam novem. Conf. Præter enumeratos Choros S. Aug. cap. 8 contra Priſcillianiſtas meminit Sedium; S. Judas vero v. 8 Majeſtatum, dicens: *Dominationem autem ſpernunt*, *Majeſtatem autem blaſphemant*. Reſp. Conc. ant. diſt. conſ. Dantur plures Ordines poſt lapſum Angelorum, trans. conſ. ante illum, neg. conſ. Pontifex tantum aſſerit, quod Angeli damnati poſſint vocari decimus Chorus poſt lapſum, & quod hic Chorus poſt reſurrectionem a peccato aliquo modo fuerit reparatus per hominem, ut ſic modo dentur decem Chori creaturarum rationabilium. Ad Conf. S. Auguſtinus per Sedes intelligit Thronos, & S. Judas, qui etiam poſſet exponi de Principibus hujus ſeculi, per Majeſtates intelligit Principatus, ut colligimus ex Patribus.

36 Obj. 3. S. Gregorius Nazianz. orat. 34, S. Irenæus lib. 2 cap. 54; S. Chryſoſtomus Homil. 2 de incompreh. DEI natura aliique Patres, tantum enumerant ſeptem Ordines: ergo non dantur novem. Conf. Nomen Archangeli in Scriptura tantum bis reperitur, & quidem ſolum in numero ſingulari, in quo etiam ad Theſſ. 4 v. 15 dicitur: *Quoniam Dominus in voce Archangeli deſcendet de cœlo*; imo S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 58 dubi-

tati

tat, utrum Archangeli non ſint iidem, qui Virtutes dicuntur. Reſp. Diſt. ant. Enumerant tantum ſeptem Ordines præciſive, conc. ant. excluſive, neg. ant. Etiam S. Paulus aliquando tantum 4, & alibi quinque Ordines enumerat, quin per hoc neget reliquos, qui a Scriptura & aliis Patribus aſſeruntur. Ad conf. Quamvis Scriptura expreſſe non afferat multitudinem Archangelorum, illam de pluribus intelligunt SS. Patres, & traditio Eccleſiæ, modus autem integra genera, & ſpecies exprimendi in numero ſingulari neutiquam eſt inuſitatus, maxime quando loquimur de omnibus ſub uno genere contentis: ſic dicimus; Homo per Adamum periit, Homo per Chriſtum fuit redemptus. S. Auguſtinus nihil quidem de numero cœleſtium Ordinum determinat, hoc tamen ipſo in loco plures Archangelos agnoſcit.

Obj. 4. Scientia, ſive viſio DEI, & charitas 37 DEI in patria ſunt neceſſario conjunctæ, & inter ſe æquales: ergo Seraphim, & Cherubim non poſſunt diſtingui per excellentiam amoris, & ſcientiæ. Conf. Viſio DEI cæteris paribus eſt perfectior, quam amor DEI, ut docet communis Thomiſtarum: ergo excellentia primi Ordinis potius deberet colligi ex ſcientia, quam amore. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Equidem Suarius ex S. Thoma, & Dionyſio docet, diſtinctionem alicujus ordinis interdum deſumi ex proprietate communi reliquis ordinibus, ſecundum aliquam tamen peculiarem excellentiam, quam talis proprietas habet in illo ordine, qui per illam diſtinguitur. Sed reſponſio hæc difficilior eſt, hinc cum Tannero diſp. 5 quæſt. 1 dub. 5 judico, Cherubinos a Seraphinis æque ſuperari in ſcientia, quam amore. Ad conf. trans. ant. quod negant Scotiſtæ, neg. conſ. Cum ſcientia tantum ſit perfectio phyſica, & in genere accepta non ſemper amorem in ſe includat, ſicut viciſſim amor ſcientiam ſemper ſupponit, amor abſtracte ſpectatus eſt nobis infallibilius

 ſignum

signum majoris excellentiæ. Nec obest, quod etiam amor patriæ non sit perfectio moralis, quia nihilominus suam originem trahit ab amore in via, quæ juxta Apostolum 1 Cor. 13 major, & melior est, quam scientia.

38 Dices. Esse Sedem DEI, & habere unionem cum DEO convenit etiam Angelis inferioribus, & superioribus: ergo per hoc Throni non distinguuntur a reliquis Choris. Conf. In eodem Choro e. g. Seraphinorum alii alios excedunt donis gratiæ, & gloriæ: ergo per ejusmodi dona non magis distinguitur Cherubim a Seraphim, quam ipsi Seraphim inter se. Resp. Dist. ant. Hoc convenit etiam aliis Angelis eodem modo, neg. ant. diverso modo, conc. ant. & neg. cons. Cum superiores Ordines jam per alia prædicata a Thronis distinguantur, & Throni in istis perfectionibus inferiores superent, convenienter hæ perfectiones ipsis specialiter tribuuntur. Adde cum S. Dionysio de cœlesti Hierarch. cap. 7, Angelos non tantum distingui per ordinem ad DEUM, sed etiam per influxum in inferiores ordines, & nos homines. Jam vero in Thronis DEUS quasi habitat, & specialiter ostendit suam Majestatem, ut etiam alios ad reverentiam, & adorationem excitet. Ad conf. dist. ant. Excedunt aliqualiter, conc. ant. cum tanto excessu, sicut ordo ordinem, neg. ant. Quia distinctionem Angelorum tantum ex fide habemus, & primum hac supposita singulis Ordinibus aliqua nomina, & proprietates assignamus, mirum non est, quod ex principiis intrinsecis non possimus omnes differentias explicare. Hinc S. Aug. cap. 11 ad Priscill. fatetur: *Esse Sedes, Dominationes, Principatus, & Potestates in cœlestibus apparatibus, firmissime credo, & differre inter se aliquid, indubitata fide teneo, sed quænam istæ sint, & quid inter se differant, nescio.*

39 Quæres. Utrum inter Angelos etiam detur differentia essentialis, & specifica? Resp. cum S. Thoma,

ma, & communi aliorum, affirmative. Cum enim ex una parte Angeli habeant inæqualia, & diversa officia, dignitates, & gratias: ex altera vero parte, inæqualitas gratiarum ipsis data fuerit juxta proportionem donorum naturalium, ut apud Suarium lib. 5 cap. 10 docet communis SS. Patrum cum S. Dionysio, convenientius dicitur, diversas Angelorum Hierarchias, & Ordines etiam in ipsa natura esse inæquales, adeoque specie differre, quemadmodum etiam insinuare videtur Scriptura tum in textibus citatis, tum Ezech 28 & 31, ubi Lucifer in sensu mystico super reliquos Angelos extollitur. Adde, quod Majestatem Regis cœlestis deceat, ut habeat diversas species, & classes ministrorum cœlestium. Unde, quando SS. Patres dicunt, *unam esse, eandemque essentiam Angelorum, sicut hominum*, non volunt, quod Angeli omnes sint in eadem specie infima, sed in subalterna, quæ dividit ens intellectivum in corporeum, & incorporeum. Rationes autem, quæ probant, defacto omnes homines esse ejusdem speciei infimæ, non pugnant pro Angelis.

Quæres 2. An omnes Angeli differant specie? 40
Resp negative. Congruentiæ sunt. 1. Quia multi Angeli ejusdem Ordinis habent officia similia, & dignitates similes; officia autem similia amant similes officiales. 2. DEUS prævidit multos Angelos lapsuros, & æternum damnandos esse; ergo ipsius bonitati, & providentiæ convenientius fuit, ut produceret etiam Angelos solo numero distinctos, ne innumeræ species Angelorum ex toto moraliter perirent, non sine magna perturbatione curiæ cœlestis. 3. Ordo in aula DEI est ordo pulcherrimus; atqui talis est ordo mixtus ex ordine per se, & per accidens, specifico, & numerico; nam juxta S. Augustinum *Ordo, seu pulchritudo est parium, dispariumque congrua dispositio*. Quia tamen novem Angelorum species videntur nimis paucæ, Suarius existimat, etiam intra eundem Chorum aliquos specie

differre, ita, ut Angelorum species saltem tot sint, quot in rebus corporeis. Porro Angeli solo numero differentes a DEO discernuntur per ipsam individuationem comprehensive cognitam; ab aliis vero, qui prædicatum individuationis intuitive non cognoscunt, possunt discerni vel per speciale signum characteristicum a DEO impressum, vel per speciale complexum accidentium spiritualium, fere sicut res corporeæ discernuntur per accidentia materialia.

41 Ex his colliges 1. Distinctionem Hierarchiarum, & Ordinum fundamentaliter quidem esse a natura, complete autem, & principaliter a ministeriis, & donis gratiæ, juxta perfectionem naturalem a DEO ipsis concessæ. 2. Eandem, quatenus est a natura, incepisse in ipso instanti, quo Angeli creati sunt, semperque durare tam in spiritibus beatis, quam Dæmonibus 3. Quatenus hæc distinctio est a donis gratiæ, illa quidem in Angelis bonis adhuc durat, quoad diversos gradus gloriæ essentialis, & accidentalis, qui quasi habituales sunt, cessabit autem post ultimum judicii diem quoad actualia ministeria, & fortasse etiam quoad novas illuminationes, quia pro illo statu non amplius erunt necessariæ. 4. At in Dæmonibus hæc distinctio solum durat, in quantum adhuc verum est, aliquos prius numeratos fuisse inter Principatus, alios inter Potestates &c. putat nihilominus S. Thomas, etiam in Dæmonibus adhuc esse aliquam prælationem, & subordinationem; nam Matthæi 12 v. 24 Belzebub dicitur esse *Princeps Dæmoniorum*, & Matth. 25 v. 41 Christus dixit, *Ignem esse paratum Diabolo, & Angelis ejus*, indicans eminentiam illius, qui per antonomasiam Diabolus dicitur.

DISPU-

DISPUTATIO II.

De Intellectu, Voluntate, & Statu morali Angelorum.

Quod Angeli præditi sint intellectu, manifestum est ex dictis; nam Scriptura illis attribuit tales proprietates e. g. videre, laudare, adorare DEUM, loqui cum hominibus, mandata, & consilia DEI ipsis annunciare &c. quæ non nisi creaturæ intellectuali convenire possunt. Pariter de fide est, Angelos habere voluntatem liberam, alias non potuissent peccare, & pœnæ æternæ se reos facere; hinc S. Aug. libr. 22 de Civit. cap. 1 ait: *Cum DEUS præsciret, Angelos quosdam per elationem, quasi sibi ipsi ad beatam vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros, non eis ademit hanc potestatem, potentius, & melius esse judicans, etiam de malis bene facere, quam mala non sinere.* Nempe libertas est proprietas consequens intelligentiam creatam, & sicut ad dignitatem hominis pertinet, ut habeat liberum dominium suorum actuum, sic id spectat ad Angelos: attamen quia sunt puri spiritus, proprie nullum habent appetitum concupiscibilem, aut irascibilem, sed tantum appetitum intellectivum. 42

Equidem Angeli ob maximam intellectus perspicaciam, qua omnia, quæ ad rem statuendam faciunt, accurate prævident, facta semel circa objectum aliquod electione difficulter voluntatem mutant, id tamen fieri posse docet communis aliorum contra Thomistas, tum quia potest contingere, ut mutetur objectum, aut Angelus ab initio non adverterit ad omnes circumstantias; tum quia ad mutandam voluntatem non est necessarium, ut mutetur judicium; libertas enim non fundatur in judicio speculativo, sed practico, quod ponitur fuisse indifferens, & rem partim ut eligibilem, partim ut non eligibilem 43

lem propofuiffe; ficut ergo Angeli hoc vel illud prius libere elegerunt, fic poftea libere fuam electionem poffunt mutare. Hinc quando SS. Patres dicunt, Angelos fanctos in propofito perftitiffe, id non ipforum naturæ, fed gratiæ tribuendum; nam juxta SS. Patres immobilitas eft proprietas folius naturæ increatæ, flexibilitatem vero voluntatis Angelicæ expreffe adftruunt S. Aug. Profper, Ifidor. &c. apud P. Simonet.

QUÆSTIO I.

De Cognitione, & Locutione Angelorum.

44 Cognitio Angelorum a S. Thoma, & Auguftino libr. 4 de Genef. ad litt. cap 22 dividitur in Matutinam, & Vefpertinam. Matutina vocatur, quo Angeli cognofcunt res in verbo Divino, tanquam in fpeculo lucidiffimo, in quo omnia clariffime lucent; convenit hæc folis Angelis beatis, & eft femper in actu refpectu illorum objectorum, quæ in verbo vident formaliter, feu illa ipfa vifione, qua verbum vident; in hoc enim confiftit illorum beatitudo, quod effentiam Divinam fine intermiffione contemplentur. Cognitio Vefpertina eft, qua Angeli aliquid cognofcunt per fpecies creatas; dicitur Vefpertina, quia longe obfcurior eft, quam matutina, & convenit etiam Angelis malis, utpote naturalis, & ipfi perfectioni Angelicæ commenfurata, de qua fola jam nobis fermo erit.

45 Itaque juxta communem Theologorum Angeli cognofcunt naturaliter 1 DEUM abftractive, feu per fpecies a creaturis abftractas, non tamen intuitive, neque enim DEUS in fe ipfo naturaliter videri poteft. 2. Ali s Angelos fuperiores intuitive, non tamen comprehenfive; nam perfectio cognitionis non commenfuratur fubftantiæ Angeli cogniti, fed

ſed cognoſcentis. 3. Angelos inferiores, ſe ipſos, homines, aliasque omnes creaturas naturales tam materiales, quam ſpirituales, non ſolum, quæ nunc exiſtunt, ſed etiam, quæ exſtiterunt, comprehenſive; talem enim cognitionem naturæ Angelicæ tribuunt Scripturæ, & Patres, eaque conſentanea, & neceſſaria eſt Angelis ad naturalem ſuam beatitudinem, & rectam gubernationem univerſi.

Econtra Angeli ſolis viribus naturalibus, & ſine Divina revelatione non poſſunt certo cognoſcere 46
1. Myſteria gratiæ, quæ ex ſola gratuita DEI voluntate pendent, & totum naturæ ordinem excedunt, uti ſunt Myſterium Trinitatis, Incarnationis, Viſio intuitiva DEI &c. hæc enim virtuti mere naturali non ſunt proportionata, neque cum ulla cauſa, effectu, vel ſigno naturali neceſſariam connexionem habent; hinc Apoſt. 1 ad Cor. 2 v. 11 ait: *Quæ DEI ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus DEI.* 2. Futura ſtricte contingentia; nam horum præſcientiam Scripturæ, & Patres ſoli DEO reſervant. Sic Iſ. 41 v. 23 dicitur: *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis.* S. Chryſoſt. Homil. 18 in Joann. ait: *Certa futurorum prædictio immortalis DEI ſolius opus eſt.* S. Iſidor. lib. de ſummo bono cap. 10. *Futura Angeli niſi revelatione DEI, cognoſcere non poſſunt;* cum enim futura defacto nihil ſint, & ſolum indeterminate in ſua cauſa contineantur, neque poſſunt certo cognoſci in ſua cauſa, neque in ſe ipſis, quia neque per ſe ipſa, neque per ſpeciem a ſe productam poſſunt intellectum ad cognitionem movere.

Circa ſecreta cordium, ſeu liberas cogitationes, 47
& volitiones hominum & Angelorum eſt aliqua controverſia. Scotiſtæ enim, quamquam admittant, illa defacto ab Angelis non cognoſci, niſi ille, cujus eſt ſecretum, conſentiat; dicunt tamen, id ſolum provenire ex ordinatione mere extrinſeca DEI, ejusmodi cognitionem impedientis. Sed contra

tra eſt, quia Scriptura, & Patres vim penetrandi cor ſoli DEO tribuunt: *Tu enim ſolus noſti corda hominum*, 2 Paral. 6 v. 30. *Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes*, Jerem. 17 v. 9 & 10. In quem textum S. Hieron. ait: *Nullus poteſt videre cogitationes eorum, niſi ſolus DEUS: ergo Chriſtus DEUS eſt, qui ſcrutatur corda, & probat renes*. Similia Toumel. quæſt. 3 a. 2 habent S. Hilarius. Ambroſ. Chryſoſt. aliique paſſim, qui universaliter omnem cognitionem ſecretorum Angelis denegant; quod autem in aliqua ſpecie univerſaliter ſit, cenſetur fieri ab intrinſeco propter exigentiam cauſæ naturalis, qualis in præſenti eſt ipſe poſſeſſor ſecreti, qui cum habeat plenum jus morale in ſua arcana, exigit, ut DEUS non concurrat cum actu ſecreto, vel ejus ſpecie ad cognitionem, vi cujus talis actus ab Angelo ſine ſuo conſenſu cognoſceretur.

48 Unde colligis 1. Quando Angeli boni in caſibus quibusdam particularibus futura prænunciant, aut ſecreta cordium cognoſcunt, id fit ſupernaturaliter mediante viſione DEI, per quam ejusmodi objecta DEUS ipſis revelat tanquam aliquid pertinens ad eorum officium, & gubernationem ſuorum clientum. In judicio autem ſolos illos actus bonos, & malos annunciant DEO, quos vel aliunde, vel ex revelatione DEI cognoverunt. Verum preces noſtras, quas ſola mente fundimus, & ab ipſis ſciri cupimus, naturaliter cognoſcunt, eo ipſo, quod proprius noſter conſenſus accedat. 2. Quando Dæmones, & vaniſſima gentilium oracula ſecreta cordium, & res contingenter futuras prædixerunt, vel mentiti, vel amphibologice, ut in utramque partem intelligi potuerint, locuti ſunt, vel denique ejusmodi res jam externe erunt manifeſtatæ, aut ſaltem ex variis ſignis externis conjecturaliter divinari potuerunt; cum enim Dæmones cauſas naturales, earum

rum vim, ordinem, & impedimenta longe melius, quam homines penetrent, sæpe videntur occulta, & contingentia revelare, quæ tamen vel necessaria, vel jam manifesta sunt. Sic possunt prædicere tempestates aeris, passiones, & inclinationes corporales, aut etiam ex nostris phantasmatis conjecturare cogitationes.

Porro, quoniam juxta commune axioma desumptum ex S. Augustino ex objecto, & potentia paritur cognitio, constat, solam potentiam intellectivam non esse causam adæquatam cognitionis, sed ejus indifferentiam, & indeterminationem ad quamlibet cognitionem determinari debere ab objecto, vel per se ipsum, vel per speciem sui vicariam. Et quidem specie vicaria opus esse, quando objectum vel non existit, vel saltem præsens non est, facile admittitur; quando autem objectum localiter est præsens, vel omnino per unionem physicam, aut identitatem Angelo intrinsecum, nulla talis speciei probatur necessitas. Nam species impressa tantum datur in defectum objecti, non potentis influere per se ipsum; atqui objecta localiter præsentia per se ipsa possunt influere, cum sint sufficienter applicata, & proportionata, ut causam inadæquatam constituant. Quippe in causa inadæquata non requiritur talis proportio, vi cujus præcontineat omnes perfectiones effectus, sed tantum, ut illi tribuere possit perfectionem aliquam specialem, qualis respectu cognitionis est, quod sit similitudo, & repræsentatio sui objecti. 49

Igitur Angeli non indigent speciebus ad cognoscendum DEUM, se ipsos, aliosque Angelos, vel objecta quæcunque sibi præsentia, sed illa (exceptis secretis cordium) semper necessario cognoscunt. Neque obest, quod Angelus jam aliunde talium objectorum species habeat, eo quod illa etiam absentia possit cognoscere. Nam in Angelis datur duplex modus cognoscendi, necessario videlicet, vel libere; 50

ne-

necessario cognoscunt per concursum immediatum objecti sufficienter applicati, & necessario influentis; libere cognoscunt per concursum specierum, quia Angelus libere potest uti his, vel illis speciebus, ad hæc, vel illa objecta cognoscenda. Utrum vero in præsentia objecti solum objectum, vel etiam species in cognitionem influant, incertum est; probabilius multis videtur, quod in hoc casu species non habeant virtutem influendi, quia præcise dantur in defectum objecti; certe ipsum objectum est optima imago sui, nec species possunt illud melius repræsentare, quam objectum se ipsum.

51 Quod locutionem Angelorum attinet, certum est, quod Angeli loquantur non solum DEO, & hominibus, sed etiam inter se; triplex enim hæc locutio clare exprimitur in Scriptura; sic Zachar. 1 v. 12 dicitur: *Respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum, usquequo non misereberis Jerusalem.* Luc. 1 v. 28: *Ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena.* Apoc. 7 v. 2: *Exclamavit Angelus voce magna quatuor Angelis dicens: Nolite nocere terræ, & mari.* Dicuntur autem Angeli loqui DEO eo fere modo, quo nos eidem loquimur, nempe ordinando suos conceptus ad DEUM, & ita eos ipsi exhibendo, ut si eosdem aliunde non sciret, hac ratione cognosceret. Hominibus loqui possunt vel formando voces in aere, vel exhibendo alia signa e. g. commovendo phantasmata, a quibus in homine oriuntur certæ cogitationes. Hic ipse modus loquendi per signa externa, aut voces in aere formatas etiam servit, ut unus Angelus possit loqui alteri, quia tamen ejusmodi signa, utpote omnibus nota, non servirent ad locutionem secretam, ideo Theologi adhuc alium modum excogitarunt.

52 Dicunt nempe, Angelorum loquelam posse etiam consistere in his duobus, quod unus Angelus cogitationem suam dirigat ad alium, & quod DEUS ex imposita sibi lege in altero Angelo excitet speciem

cogi-

cogitationis, quam Angelus loquens illi vult manifestare, quibus duobus positis Angelorum locutio satis intelligitur. Est insuper hic modus valde aptus, ut Angelus pro libitu uni, vel pluribus præsentibus, vel absentibus loqui possit. Differet tamen ab irradiatione, seu illustratione Angelorum, sicut genus a specie; nam locutio est quævis manifestatio conceptuum, irradiatio vero datur, quando Angelus superior inferiorem illustrat. Cæterum quando Angeli in Scriptura dicuntur clamasse, per hunc clamorem intelligitur locutio de re valde magna; ut quando Seraphim Is. 6 v. 3 clamabant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ad exprimendam unitatem essentiæ Divinæ, & trinitatem Personarum. Item quandoque clamor Angelorum denotat magnitudinem desiderii, quo conceptus suos manifestant. Unde S. Greg. lib. 2 Moral. cap. 4 ait: *Magnus clamor magnum est desiderium; tanto enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat.*

Quæres 1. Unde Angeli species objectorum acquirant? Resp. Quod juxta communem doctrinam DEUS ipse statim in principio creationis Angelis infuderit species omnium rerum naturalium tunc existentium; species vero aliarum rerum, quæ successive producuntur, & ab Angelis paulatim cognoscuntur, partim rursus accipiunt a DEO, partim ab ipsis objectis. A DEO quidem, quando objecta sunt absentia; ab objectis vero præsentibus videntur acquirere saltem species rememorativas, cum Angeli utique meminerint, se hoc vel illud cogitasse, aut voluisse, nulla autem harum specierum convenientior causa assignatur, quam ipsi actus. Imo cum Angeli meminerint non tantum suorum actuum, sed etiam rerum cognitarum, illæ res debent Angelis imprimere etiam species directas, ut postea possint esse memores objectorum cognitorum. 53

54 Quæres 2. An omnes Angeli habeant species æquales, & quomodo illis possit uti? Resp. Sicut perfectio intellectionis Divinæ in eo maxime posita est, quod per unicam suam essentiam omnia intelligat: ita Angeli videntur habere species tanto pauciores, & universaliores, quanto superiores sunt, & magis assimilati DEO in modo cognoscendi. Quippe quæcunque per unam speciem repræsentantur, per illam intellectui fiunt præsentia, simulque cognosci possunt, non tantum obscure per modum alicujus objecti universalis, sed secundum rationes proprias. Præterea potest Angelus simul diversa intelligere per diversas species, ac intellectiones; quin juxta S. August. lib. 4 de Genes. ad lit. cap. 32 res omnes, quarum species habet; nam usus specierum dependet a libera Angeli voluntate, & activitas ipsius intellectus videtur proportionata universis speciebus infusis, ut adeo Angelus ad singulas species suam attentionem possit dispensare, præsertim quia non dependet a phantasia, quæ uni plerumque objecto addicta attentionem hominis ad plura impedit. Hæc quidem difficulter combinantur cum recentiore Philosopia; at loqui juvat cum Theologis. In quonam autem species intellectivæ consistant, Philosophi viderint.

55 Quæres 3. An cognitio Angelorum possit esse discursiva, & falsa? Resp. Cum Angeli res naturales cognoscant intuitive, & comprehensive, circa illas proprie non discurrunt, sed unico intuitu mox totam rei naturam, causas, & effectus intelligunt, quin in ejusmodi cognitione falli possint. 2. At respectu rerum, quæ ab ipsis naturaliter non cognoscuntur, ut sunt cogitationes cordium, futura contingentia, & res aliquo modo supernaturales, seu contra communem ordinem naturæ evenientes, proprie possunt discurrere; ut quando ex his, aut illis motibus hominis colligunt, ipsum has, aut illas cogitationes animo volvere, vel quando Dæmones

ex

ex Christi miraculis intulerunt, eum esse Messiam in lege promissum. 3. Neque tamen Angeli boni circa tales res falluntur, quia propter prudentiam, qua pollent, cohibent se a ferendo judicio certo, & absoluto, & ex signis probabilibus tantum judicant, hoc esse probabile, & evenire posse. 4. Aliud est de Angelis malis, qui ex pravitate voluntatis a Divina Sapientia removentur, eamque nolunt attendere, aut ei se submittere; unde sæpe secundum probabiles conjecturas, vel cursum rerum naturalium absolute judicant, & sic sæpe falluntur.

QUÆSTIO II.

De gratia, & merito Angelorum.

Quoniam omnes Angeli natura sua creati sunt 56
boni, & ad beatitudinem supernaturalem a DEO ordinati ea conditione, ut per actus supernaturales illam mererentur, certum est 1, quod ad bene agendum, & perseverandum indiguerint gratia actuali: sicut enim homo ex solis viribus naturæ non potest ferri in id, quod est supra naturam, sic neque Angelus; hinc Apostolus ad Rom. 6 v. 23 universim ait: *Gratia autem DEI vita æterna.* Certum est 2, hanc gratiam actualem omnibus Angelis fuisse concessam, alias non habuissent sufficiens medium ad suum finem, ut advertit S. Aug lib. de Corrept. & Gratia, cap. 11. dicens: *Quod adjutorium si Angelis defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine Divino adjutorio manere posset, non utique sua culpa cecidissent; adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.*

Præter gratias actuales Angeli tam boni, quam 57
mali accepere etiam gratiam habitualem, & sanctificantem, ut contra Magistrum sentent. & Rupert. Abbatem docet communis cum S. Thoma. Nam Ezech. 28 v. 11 & seqq. dicitur: *Tu signaculum si-*

militudinis plenus sapientia, & decore in deliciis Paradisi fuisti: posui te in monte sancto, in medio lapidum ignitorum, ambulasti perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ; quæ verba licet etiam loquantur de aliquo Rege Tyri, tamen in sensu quodam vero, & a Spiritu sancto intento, a Patribus communiter intelliguntur de Lucifero, cujus ornatum naturæ, & gratiæ dicunt per illa describi. Nempe non solum gratia actualis, sed etiam sanctificans est medium ad obtinendam beatitudinem supernaturalem necessarium, & se habet instar naturæ ad eliciendos & dignificandos actus meritorios. Neque credibile est, quod Angeli fuerint creati in minore perfectione, quam primus homo, de quo Trident. sess. 5 can. 1 de peccat. orig. ait: *Illum per peccatum justitiam, & sanctitatem perdidisse, in qua fuerat constitutus.*

58 Ex quo ulterius inferunt, omnes Angelos gratiam sanctificantem statim accepisse in primo instanti creationis. Nam Scriptura dicit, Luciferum *perfectum fuisse a die conditionis suæ.* Id ipsum sentiunt SS. Patres apud Card. Gotti, ex quibus S. Aug. lib. 12 de Civit. cap. 9 ait, *DEUM Angelos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, qua illi adhærent, creasse, simul in eis condendo naturam, & largiendo gratiam.* Quando igitur alio in loco asserit, quod Diabolus fuerit homicida ab initio, τὸ initium non debet sumi mathematice pro primo instanti, sed moraliter, pro tempore non multum distante. Certe si Angeli gratiam sanctificantem aliquando acceperunt, id convenientissime statim in ipsa creatione factum est, tum quia alias non fuissent creati in statu viæ perfecto, & ad finem supernaturalem apto, tum quia prompta collatio magis commendat bonitatem, & sapientiam DEI, media protinus ordinantis ad finem.

59 Non tamen omnes Angeli acceperunt gratiam æqualem, sed inæqualem pro inæqualitate naturæ, ut jam advertimus Num. 39, & docet communis

contra Molin. Arriag. &c. ob auctoritatem Patrum. Sic S. Dionys. postquam lib. 5 de cœlest. Hierarch. Angelorum Ordines secundum perfectionem naturæ distribuit, ait, *Primam Hierarchiam esse propinquiorem DEO, & Diviniorem per lucis irradiationem, idque a S. Paulo se didicisse profitetur.* S. Basil. lib. de Spiritu Sancto cap. 16 inquit: *Neque cœlorum Virtutes suapte natura sanctæ sunt, sed juxta proportionem, qua se invicem superant, habent sanctificationis mensuram.* Ratio congrua est: quia DEUS Angelos creavit ad Beatitudinem supernaturalem accipiendam secundum diversos gradus: ergo conveniens erat, ut Angelos quoad naturam perfectiores ordinaret ad majorem gradum gloriæ; licet enim nulla creatura habeat jus ad donum supernaturale, habet tamen aliquam proportionem, quæ a DEO potest attendi; ferme sicut aurum non habet jus, ut ex illo fiat statua, habet tamen proportionem, quam artifex potest respicere.

Neque obstat, quod DEUS non attendat ad naturam, quando hominibus natura æqualibus distribuit gratias inæquales, & forte aliquibus hominibus majores, quam Angelis. Nam 1. Quod DEUS in hominibus gratiam non commensuret perfectioni naturæ, patet a posteriori, quia ad manifestandam potentiam, & gratiam suam, *stulta mundi, & infirma elegit, ut confundat fortia, ac nemo inter homines glorietur in conspectu ejus.* 1 Cor. 1 v. 27. Quale periculum non fuit in Angelis, cum boni statim in gratia fuerint confirmati, in malis vero aliunde nunquam cessatura erat superbia. 2. Nihilominus etiam inter homines quandoque DEUS aliquam proportionem naturalem respicit, illosque eligit ad ea, ad quæ ex viribus naturæ sunt magis dispositi. 3 Interim neutiquam dicimus, quod natura, aut opera naturalia habeant aliquam rationem meriti in ordine ad gratiam, & præmium supernaturale, quod Pelagianum foret, sed tantum, quod DEUS ex pura 60.

benignitate in distributione gratiæ ad naturam Angelorum attenderit; quo in sensu etiam ipsum peccatum dicitur respexisse ad Rom. 5 v. 20: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.*

61 Meritum Angelorum dupliciter considerari potest, in ordine ad gratiam sanctificantem, & in ordine ad Beatitudinem. De primo docet communis cum S. Thoma contra Scotum, quod omnes Angeli gratiam sanctificantem acceperint ex merito congruo, & propria dispositione, eliciendo videlicet in primo instanti Creationis actum supernaturalem Charitatis. Ratio est 1. quia Angeli fuerunt creati in statu perfecto & optime disposito ad suum finem: ergo gratiam sanctificantem acceperunt; sicut eam in hac providentia accipiunt homines adulti. 2. Gratia sanctificans est perfecta amicitia, & desponsatio animæ cum DEO, hæc autem non solet adultis obtrudi sine illorum consensu, & dispositione aliqua. 3. Melius erat Angelis, & gloriosius gratiam sanctificantem consequi per propriam cooperationem. Si dicas, primam gratiam non cadere sub meritum. Dist. gratia prima actualis, conc. habitualis, subdist. sub meritum condignum, conc. sub congruum, neg. hoc enim tantum inducit congruentiam dandi præmium.

62 De beatitudine sicuti certum est, quod Angeli mali illam non sint meriti merito absoluto, & consummato, sed ad summum inchoato, & conditionato, si in accepta gratia perseverarent, sic Angeli boni una cum augmento gratiæ, saltem in secundo instanti viæ suæ beatitudinem de condigno meriti sunt. Quippe Angeli boni erant viatores, liberi, & in prima creatione gratia sanctificante instructi: ergo sicut homo viator per actus supernaturalis ordinis meretur augmentum gratiæ sanctificantis, & beatitudinem: ita Angeli idem meriti sunt, ut docet S. Aug. lib. de Corrept. & grat. cap. 11, ubi sic loquitur: *Angeli Sancti cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujus mansionis debi-* tam

tam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit, ſemper ſe in illa manſuros. Dixi, ſaltem in ſecundo inſtanti viæ ſuæ: nam in primo juxta dicta meriti ſunt ipſum initium gratiæ ſanctificantis. An autem meritum, quod non procedit ex gratia ſanctificante præſuppoſita pro priori naturæ, dignificetur per gratiam natura ſubſequentem, ut de condigno beatitudinem mereatur, lis eſt inter Auctores, de qua ſuo loco plura dicentur.

Cæterum per viam Angelorum hic intelligitur 63
mora illa, qua Angeli ad DEUM accedere potuerunt merendo per bona opera beatitudinem, vel a DEO recedere per mala opera illam demerendo. Hanc moram duplici modo metiri poſſumus, nempe vel tempore extrinſeco, & motu cœlorum, ut ſi quæramus, utrum Angeli potuerint mereri per quadrantem, horam, diem, &c. vel tempore intrinſeco, ita, ut via Angelorum dicatur tot inſtantibus duraſſe, quot diverſos ſucceſſive actus elicuerunt. Hac poſteriore menſura hic communiter utuntur Theologi, & plura Angelis inſtantia tribuunt; quamvis repugnet Ægidius, Albert aliique pauci, docentes, Angelos nullum habuiſſe inſtans ſolius viæ, ſed in illo ipſo inſtanti, quo libere meriti ſunt, beatitudinem & pœnam adeptos fuiſſe. Verum hæc ſufficienter refutantur ex dictis, & S. Aug. qui loco ſupra citato ait, quod boni Angeli in veritate ſteterint, ſeu duraverint, quando Angeli mali gratiam prius acceptam iterum perdiderunt.

Quæres 1. Quanto tempore intrinſeco duraverit 64
via Angelorum? Reſp. Angeli tam boni, quam mali habuerunt ad minimum duo completa inſtantia viæ, & primum in tertio in termino fuerunt. Quippe 1. Angeli boni, & mali habuerunt actum ſupernaturalem amoris DEI, quo meriti ſunt gratiam ſanctificantem, & hoc eſt primum inſtans. 2. Dein Lucifer cœpit alios Angelos tentare ad rebellionem, cui mali ſuc-

cumbebant, perdendo gratiam ſanctificantem; boni autem reſtiterunt per actum dilectionis novum, & victorioſum dupplicando meritum, & hoc erat ſecundum inſtans. 3. Actus meritorii boni, & mali eliciti in ſecundo inſtanti fuerunt priores tempore actibus illis, quos Angeli elicuerunt in termino; nam Angeli mali peccaverunt in cœlo, ubi dicitur factum eſſe prælium inter Michaëlem, & Draconem; damnationem vero primum inceperunt in inferno: ergo actus damnationis fuerunt tempore poſteriores: ergo etiam Angeli boni primum in tertio inſtanti acquiſiverunt beatitudinem, cum juxta communem DEUS oſtenderit juſtitiam æqualiter in præmiando, & puniendo.

65 Quæres 2. Quanto tempore extrinſeco duraverit via Angelorum? Reſp. Neque Scripturam, neque Patres minutim horas determinare. Interim tempus iſtud non fuiſſe multorum dierum, colligitur ex eo, quia Dæmon lapſus primis diebus tentavit Evam; hinc omnes concedunt, tempus fuiſſe breve ob incomparabilem celeritatem Angelorum in operando, qui, ſicut motu locali intra horam poſſunt conficere ingens ſpatium, ſic etiam in motibus intellectus ſunt longe velociores hominibus. Itaque Angeli boni intra tempus breve viſionem beatificam, & æternam felicitatem conſecuti ſunt, in qua ſicut non amplius poſſunt mereri, aut in beatitudine eſſentiali proficere, ſic etiam non amplius poſſunt peccare, aut felici ſtatu ſuo excidere, ut contra Origenem tenet conſtans Catholicorum doctrina, docente ipſa Scriptura, regnum Chriſti, cujus Angeli concives ſunt, ſine fine duraturum. Idem perpetua docet traditio; hinc teſte Tournel. q. 9 a 2 S. Aug. & Epiphan. opinionem Origenis inter hæreſes recenſent.

QUÆST.

QUÆSTIO III.
De peccato, & pœna Angelorum.

Quamquam juxta doctrinam quæstione præcedente expositam nullus Angelus in primo instanti peccaverit, docent tamen communiter Scotistæ contra Thomistas, illos in primo instanti suæ creationis potuisse peccare potentia saltem physica, & in sensu diviso, peccato gratiam impediente; neque enim in hoc ulla potest ostendi implicantia, & Angeli in primo instanti æque potuerunt habere omnia ad potentiam peccandi requisita, quam illa habuerunt in secundo instanti; certe homo potest peccare in primo instanti, in quo ad usum rationis pervenit. Sed neque verum est, quod voluntas debeat determinari ad peccatum per præcedentem errorem judicii practici; si enim hoc judicium esset necessarium, tolleret libertatem, si vero liberum, rediret quæstio, per quid homo ad hoc ipsum judicium determinaretur, adeoque sufficit, quod Angeli potuerint habere judicium aliquod indifferens, & ex quadam inconsiderantia committere errorem practicum in electione boni defectuosi, qui error ad voluntatem pertinet, & in quolibet peccato datur. Vid. etiam num. 43. 66

Jam vero in quonam primum peccatum, quod Lucifer, cæterique Angeli mali in secundo instanti commiserunt, revera constiterit, variæ sunt Auctorum sententiæ. 1. Scotus contendit, primum peccatum Angelorum fuisse luxuriam, non quidem corporalem, ut errarunt veteres, qui Angelos corporeos existimarunt, sed spiritualem, consistentem in amore inordinato sui. 2 Alii volunt, fuisse invidiam, qua homini inviderint unionem hypostaticam, quodque ad imaginem DEI factus, & ad parem secum gloriam destinatus esset. 3. Rursus alii dicunt, fuisse affectationem dominii despotici in homines. 4. Sed communis sententia cum S Thoma tenet, quod 67

primum peccatum Luciferi, & aliorum Angelorum fuerit superbia stricte dicta, seu inordinatus appetitus non quidem æqualitatis secundum essentiam, attamen similitudinis cum DEO, in quantum voluerunt esse independentes ab aliena gratia, & solum beati beatitudine naturali propriis viribus obtinenda.

68 Probatur 1 pars Auctoritate Scripturæ, quæ peccatum Angelorum passim vocat superbiam. Sic Isai. 14 v. 11 & seqq. dicitur : *Detracta est ad inferos superbia tua, qui dicebas: In cælum conscendam, similis ero Altissimo.* Et Tob. 4 v. 14: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*, videlicet hominum, & Angelorum. Hinc etiam S. Ambros Epist. 84 inquit: *Sive in lapsu Diaboli, sive in prævaricatione hominis initium peccati superbia est.* Similia habet S. Aug. Bernard. Leo apud Suarium Lib. 9 cap. 9; nempe superbia stricte dicta nihil aliud est, quam inordinatus appetitus excellentiæ super alios, cumque excellentissimi hi spiritus nequeant rebus corporeis affici, nullum objectum illos facilius ad peccatum pertrahere potuit, quam propria excellentia, ad quam ipsam proprius amor tendebat, & tota ipsius inordinatio ex superbia oriebatur; nam inordinatus amor, & delectationis affectus per se non constituit speciale peccatum, sed ad eam peccati speciem pertinet, ad quam ordinatur.

69 Probatur 2 pars. Si superbia Angelorum fuisset inordinatus appetitus æqualitatis cum DEO secundum essentiam, tunc vel Lucifer istam æqualitatem appetiisset appetitu absoluto & efficaci, vel tantum appetitu conditionato, & inefficaci: non primum, quia Lucifer evidenter scivit, hanc æqualitatem per se, & essentialiter esse impossibilem: non secundum, quia impossibilia evidenter cognita nec quidem simplici affectu appetuntur, nisi a stultissimis, & Scriptura clare indicat appetitum Luciferi absolutum, & efficacem fuisse: *In cælum conscendam, sedebo supra montem*

tem

tem Testamenti, *&c.* ergo Angeli non affectarunt æqualitatem, sed tantum aliquam similitudinem cum DEO, ut rursus ex Scriptura colligitur: *Similis ero Altissimo*, Isaj. 14 v. 14. *Elevatum est cor tuum, & dixistis: DEUS ego sum*, Ezech. 28 v. 2. Jam vero peccatum Luciferi commiserunt etiam cæteri Angeli rebelles, ut est constans omnium doctrina ex cap. 12 Apocalypsis.

Probatur 3 pars. Si dicatur, quod Angeli voluerint esse independentes a gratia DEI, & se solis beati, ac ideo ex inordinato amore suæ excellentiæ pro fine ultimo statuerint beatitudinem naturalem propriis viribus obtinendam cum aversione a beatitudine supernaturali sibi præcepta, & non aliter acquirenda, quam ex viribus gratiæ per actus magnæ demissionis, & subjectionis, videntur sufficienter posse explicari omnia, quæ ad primum illorum peccatum pertinent. Nam 1 habetur specialis ratio superbiæ, & affectata similitudo cum DEO. 2 Asseritur appetitus absolutus, & efficax objecti naturaliter possibilis, & de se in potestate Angelorum siti. 3 Apparet proclivitas Angelorum consentiendi huic peccato præ aliis, tum ex cognitione, & amore suæ excellentiæ, tum ratione difficultatis adhibendi media satis ardua, qualia fuerunt captivare intellectum in obsequium fidei credendo mysteria obscura, amare DEUM tanquam supernaturalem Auctorem gratiæ &c. Unde S. Aug. lib. 22 de Civit. Cap. 1 ait. *Cum DEUS præsciret, Angelos quosdam per elationem, qua sibi ipsis ad beatam vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros &c.* 70.

Per hæc tamen non nego, Angelos malos præter superbiam concomitanter lapsos fuisse in alia peccata, ut sunt inobedientia erga DEUM, invidia erga homines, acedia spiritualis &c. Addunt aliqui cum P. Ant. Mayr, Luciferum ex superbia appetiisse unionem hypostaticam, eandemque sibi, vel saltem naturæ Angelicæ expetiisse alios Angelos; verum cum unio hypostatica sit donum prorsus indebitum, & 71.

lon-

longiſſime tranſcendat vires naturæ, non videtur, quod Angelos movere potuerit ad appetitum abſolutum, & efficacem, ſicut beatitudo naturalis, quam re ipſa imperfecte, & ſecundum quid obtinuerunt, ſcilicet ſecundum independentiam a gratia, & negationem ſubjectionis. Illud veriſimilius admitti poteſt, quod Angeli ſimul peccaverint per hoc, quod ex ſuperbia noluerint ſe ſubmittere Chriſto venturo, ſiquidem myſterium Incarnationis ipſis jam fuerit revelatum, ſaltem quoad ſubſtantiam, prout indicat S. Auguſtinus lib. 5 de Geneſ. ad lit. cap. 19: *Nec illud eos (Angelos) latuit myſterium regni cœlorum, quod opportuno tempore revelatum eſt pro ſalute noſtra;* & ratio eſſe poteſt, quia Chriſtus ut homo futurus erat caput hominum, & Angelorum in gratia perſeverantium.

72 Poſtquam Angeli peccaverunt, ex unanimi Patrum conſenſu DEUS nullum ipſis conceſſit ſpatium, nullamque gratiam ad pœnitentiam agendam, ſed ſtatim ad infernum detruſi ſunt, ibique non ſolum pœna damni, ſeu privatione bonorum cœleſtium, & triſtitia inde reſultante, ſed etiam pœna ſenſus, id eſt, cruciatu poſitivo per ignem infernalem æternum cruciantur, licet aliquibus ad brevius, aliis ad longius tempus ex inferni carcere exire concedatur, ita, ut ſemper aliqui in hoc noſtro aere degant. Nam ad Eph. 6 v. 12 dicitur: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus Principes, & Poteſtates, adverſus mundirectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Porro miſerrima hæc conditio ſtatus, pœnarum acerbitas, deſperatio, & odium erga DEUM ita obſtinatos reddit dæmones, ut non modo nullum unquam opus bonum eliciant, verum omnis eorum voluntas deliberata moraliter mala ſit, ſicut voluntas beatorum Angelorum ſemper eſt bona. Hinc S. Ignat. Epiſt. ad Philipp. ait: *Sapiens eſt dæmon ad malefaciendum, bonum autem quid ſit, ignorat.* Interim per ſuos a-

ctus

ctus malos dæmones nihil amplius demerentur, quia non amplius sunt in via, sed in termino, ubi *lignum in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Eccles. 11 v. 3

Quæres 1 Quot, & quinam Angeli peccaverint? 73
Resp. De peccato Angelorum Apoc. 12 v. 3 & seqq. ita habetur: *Ecce draco magnus - - & cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in tartarum - - - Michaël, & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus.* Ex his SS. Patres, & Doctores colligunt 1, magnum Angelorum numerum peccasse; non tamen tot, quot in gratia perstiterunt. 2 Quod Lucifer alios Angelos suggestione, & exhortatione sua ad peccatum induxerit. 3 Quod fuerit supremus inter Angelos peccantes, imo inter omnes reliquos, quia Ezech. cap. 3 v 8 sub nomine Regis Assyriorum de illo dicitur: *Omne lignum Paradysi DEI non est assimilatum illi, & pulchritudini ejus.* Et Job. 40 v. 14: *Ipse est principium viarum DEI.* 4 Quod ex omnibus ordinibus aliqui Angeli peccarint. Nam Lucifer fuit ex Seraphim; de Cherubim aliquos cecidisse colligitur ex cap. 28 Ezech. De Principatibus, Potestatibus, Virtutibus, & Angelis ex S. Paulo ad Rom. 8 & 1 Cor. 15. De Archangelis, Thronis, & Dominationibus id docet S. Thomas, & probabiliter infertur ex eo, quia ex reliquis ordinibus, etiam superioribus, aliqui peccarunt.

Quæres 2. An Dæmones in inferno vere torque- 74
antur igne corporeo? Resp. Cum S. Thoma, & communissima Theologorum affirmative. Nam Scriptura sæpius hoc diserte asserit. Sic Apoc. 14 v. 10 dicitur: *Cruciabuntur igne bestia, & asseclæ ejus.* Matth. 25 v. 41: *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Quæ verba sæpius repetita, & in ultima sententia proferenda non debent sumi metaphorice, præsertim quia communis auctoritas Patrum illa in proprio sensu accipit, ex quibus S. Aug. lib. 23 de civ. cap. 10 ait:

Adhæ-

Adhærebunt spiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi. S. Greg. lib. 4 Dial. Cap. 29 affirmat, se non ambigere, *Tartareum ignem corporeum esse.* Equidem isti Patres cum S. Ambrosio, Origene, & Tertulliano ignem infernalem quandoque vocant incorporeum, sed Tertullianus, & Origenes etiam in alios crassos errores circa Angelos inciderunt; Patres autem reliqui tantum voluerunt, quod ignis infernalis non indigeat pabulo, & quod non virtute corporea, sed spirituali dæmones torqueat. Pariter non obstat, quod Scriptura & Patres multa de vermibus, frigore, aliisque pœnis inferni tantum metaphorice afferant; nam locutiones Scripturæ, & Patrum nunquam sunt ita frequentes, nec circumstantiæ textus ita proprium sensum exprimunt, sicut de igne infernali, pro quo etiam stat omnium fidelium consensus.

75 Quæres 3. Quomodo Angeli torqueantur ab igne infernali? Resp. varias esse Auctorum sententias. 1 Albert. & Gulielm. Paris. docent, Dæmones torqueri ab igne per falsam apprehensionem, qua illum sibi noxium existimant, & inde timore, ac dolore repleantur. Sed tali modo Dæmones non tam paterentur ab igne, quam a falsa sua apprehensione. 2 Juxta Scotum, & S. Bonaventuram, ignis infernalis Dæmonibus imprimit speciem, ut semper de illo debeant cogitare tanquam de instrumento, & signo irati DEI; sed præterquam, quod sic Angeli rursus tantum a propria cognitione torquerentur, nondum explicatur, quomodo DEUS igne ut instrumento ad puniendum utatur, si enim ipse non potest afferre dolorem, nec ejus species, aut cogitatio dolorem afferet. 3 Thomistæ ajunt, Angelos malos torqueri per alligationem ad ignem infernalem; sed neque hæc alligatio est proprius cruciatus ignis, qui juxta communem sensum fidelium est longe major, quam alligatio ad quodvis corpus vilissimum. 4. Suarius, Arriag. &c. volunt, ignem per potentiam obedientialem elevatum producere in Angelis qualitatem spiritualem;

ita

ita illos proportionaliter afficientem, ſicut qualitas uſtiva afficit animam unitam corpori; ſed quomodo qualitas ſpiritualis poteſt Angelis eſſe contraria? quomodo in ſpiritu cauſare dolorem? nempe ut S. Aug. lib. 21 de civit. cap. 10 ait: *Dæmones ab igne corporeo torquentur veris quidem, ſed miris modis;* hinc cum Bellarmin. Vaſq & Victorino concludamus: *Quomodo Spiritus ſine corporibus a rebus corporalibus patiantur; ecce neſcimus. Nunquid hoc verum eſt?*

DISPUTATIO III.

De cuſtodia, & infeſtatione Angelorum.

Sanctus Thomas 1 part. quæſt. 112 art 2. Angelos bonos dividit in Aſſiſtentes, & Miniſtrantes. Per Aſſiſtentes in ſenſu ſtricto intelligit illos, qui non ſolum ſunt in præſentia DEI, quod omnibus commune eſt; ſed etiam immediate a DEO illuminantur de rebus, quæ ex Divino ordine, & imperio fieri debent. Miniſtrantes ſunt, qui in gubernatione univerſi, & cuſtodia hominum occupantur, quod dupliciter fieri poteſt, vel mere interne, & ſpiritualiter, ut quando unus Angelus ex ordinatione Divina alterum in bonum univerſi præciſe illuminat: vel externe, & corporaliter, quando immediate intenditur, vel intervenit aliqua actio externa circa creaturas ſive rationales, ſive irrationales Angelo inferiores. Ad hæc miniſteria Angeli mitti poſſunt inviſibiliter, aut viſibiliter, ut ſi mittuntur in aliquo corpore aſſumpto, vel ad effectum viſibilem, vel per ſignum viſibile, quod ultimum rarius contingit. Interim miſſio proprie dicta præter imperium DEI involvit motum localem, & præſentiam Angeli in eo loco, ubi ſuum miniſterium exequi debet. 76

Hæc

77 Hac terminorum explicatione ſuppoſita controvertunt, an omnes Angeli ſint Miniſtrantes, & a DEO ad homines mittantur. Affirmat Scotus, Valent. Becan. nixi auctoritate Scripturæ: *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi*, ad Hebr. 1 v. 14. & S. Athanaſ. qui ſermone 3 contra Arianos ait: *Ad miniſterium autem non unus, ſed ex omnibus (Ordinibus) plures præſto ſunt, quos Dominus, ſi velit, amandet.* Negativam tenent S. Dionyſ. de cœleſt. Hier. cap. 7, & S. Greg. hom. 34 in Evang. quos ſequitur S. Thomas loc. cit. ubi docet, tres Angelorum Ordines, nempe Seraphim, Cherubim, & Thronos ſoli DEO ſemper aſſiſtere, ſex reliquos eſſe Miniſtrantes, ſed quinque ſolum mitti ad homines, eo quod Dominationes, quæ circa homines, aliasque creaturas agenda ſunt, diſponant quidem, & ordinent, non tamen per ſe ipſos exſequantur. Ratio eſt, quia proprietates SS. Angelorum ex eorum nominibus manifeſtantur; atqui ſolum in nominibus quinque inferiorum Ordinum denotatur aliquod miniſterium, quod miſſionem, & exſecutionem poſtulat.

78 Utraque hæc opinio aliquo modo conciliari poteſt, ſi dicatur, omnes Angelos in gubernatione univerſi, & cuſtodia hominum DEO miniſtrare miniſterio ſaltem interno, & ſpirituali, ad miniſterium externum autem immediate, & via ordinaria ſolum mitti quinque Ordines inferiores, tres ſupremos per ſe, & ex officio ſuo eſſe Aſſiſtentes; Dominationes denique externe miniſtrare, attamen ſine miſſione proprie tali. Dixi, via ordinaria, & ex officio; nam quod ex ſupremis Ordinibus ne quidem extraordinarie aliqui miſſi, aut mittendi ſint, difficulter probatur, quia licet DEUS ordinarie a conſtituto naturæ ordine non ſoleat recedere, nihilominus id quandoque facit ad oſtendendum ſpecialem favorem erga electos. Certe juxta S. Chryſoſt. in Pſalm. 8: *In Nativitate Chriſti ex omnibus Ordinibus*

aliqui

aliqui Angeli missi sunt, & id multo certius est futurum in extremo judicio: *Cum venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo.* Matth. 25 v. 31. Pariter de Gabriele nunciante B. Virgini mysterium Incarnationis, quod omnem gratiæ sanctificantis ordinem transcendit, valde credibile est, illum fuisse ex primis Ordinibus, quod multi etiam docent de Michaele, qui universæ Ecclesiæ præpositus esse creditur. Vid. num. 34.

QUÆSTIO I.

An omnibus & singulis hominibus a DEO sit assignatus Angelus Custos?

Quod DEUS hunc mundum per Angelos gubernet, eosque ad custodiam saltem aliquorum hominum quandoque deputaverit, est de fide, ob clarissima Scripturæ testimonia. Sic Apoc. 7 Angeli tenere dicuntur quatuor ventos terræ, ne flarent. 14 aliquem habere potestatem supra ignem. 16 & alium supra aquas. Hinc S. Greg. lib. 9 Moral. cap. 17 in illud Jobi: *Sub quo curvantur, qui portant orbem*, ait: *Possunt & Angelicæ virtutes intelligi; ipsæ etenim orbem portant, quæ regendi mundi curas administrant.* Similiter de custodia hominum Jacob Genes. 48 v. 16 ait: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* *Et David* Psalm. 90 v. 11: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Quæ verba, licet principaliter de Christo sint, tamen etiam generaliter de omnibus hominibus a SS. Patribus intelliguntur, cum in principio Psalmi generaliter dicatur: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione DEI cœli commorabitur.* 79

Dicendum 1. Omnes & singuli fideles habent Angelum custodem. Ita contra Calvinum, & Magdeburgenses sentit tota Ecclesia, quanquam de hac re 80

nihil definierit. Probatur 1. auctoritate Scripturæ. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Psalm. 33 v. 8. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* ad, Hebr. 1 v. 14. *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei.* Matth. 18 v. 10. Probatur 2. Auctoritate Patrum communissima. Ex his S. Chrysost. Homil. 3 in cap. 1 epistolæ ad Coloss. ait: *Unusquisque fidelis habet Angelum.* S. Basil. lib. 3 contra Eunom. *Quod singulis fidelibus adsit Angelus ut pædagogus quidam, & pastor ad vitam dirigendam, nemo contradicet.* Ratio conclusionis alia non est, quam suavissima DEI providentia, quæ hominum imbecillitati contra Dæmonum infestationes Angelico adjutorio subvenire voluit. Sane jam primis Christianis persuasum erat, unicuique fidelium deputatum esse Angelum Custodem; Petro enim e carcere educto, & ostium pulsante dixerunt: *Angelus ejus est*, ut Act. 12 v. 15 refertur.

§ 1 Dicendum 2. Etiam reprobi, injusti, & infideles habent suum Angelum Custodem. Ita contra nonnullos antiquos apud Origenem de facto omnes Catholici, tum ob textus Scripturæ supra citatos, tum propter auctoritatem Patrum, ex quibus S. Hieron. in cap. 18 Matth. generaliter ait: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis suæ Angelum delegatum.* S. Anselm. in Elucidar. *Unaquæque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur.* S. Damasc. lib. 2 Orthodox. fidei cap. 3: *Cuique hominum singillatim designatus est Angelus Custos, director, & dux.* Ratio est, quia Custodia Angelorum continetur in latitudine auxilii sufficientis, & ordinarii; auxilium autem sufficiens, & ordinarium commune est reprobis, injustis, & infidelibus. Sicut igitur DEUS omnes permittit tentari a Dæmone; sic per Ange-

los suos omnibus præbet protectionem sufficientem, præsertim cum hæc ipsa Custodia malorum redundet in bonum electorum, ne mali bonis noceant, quantum cupiunt; hinc S. Thomas docet, ipsum etiam Antichristum suum Angelum Custodem habiturum. An vero singulis hominibus, & successive viventibus semper diversi adsint Custodes Angeli, incertum est. Negat Magister sentent. sed Tannerus existimat, supposito sufficienti Angelorum numero rationi conformius esse, ut in eodem munere obeundo Angeli ejusdem conditionis successive mutentur.

Porro Angelorum Custodia juxta S. Thomam 82
incipit a nativitate ex utero matris, & finitur in morte. Nam infans nedum in lucem editus censetur adhuc esse aliquid matris, & proinde communem cum ipsa Custodem habere; in morte autem homo cessat esse viator, a periculis vitæ immunis, & siquidem anima sit in inferno, vel in cœlo, non amplius est locus custodiæ. At Suarius putat, Custodiam statim incipere, quam primum anima infunditur corpori. Idem sentit Tertull. lib. de anima cap. 37, & S. Anselmus in Elucidar. & ratio esse potest, quia tunc homo jam incipit esse viator, est persona quoad salutem animæ a matre distincta, variisque periculis exponitur, quæ avertere tunc solum ex officio ad Angelum matris pertinere videtur, quando bonum ipsius matris id exigit. Prætereà docet, post mortem animas nondum plene purgatas Angelos deducere in purgatorium, ibique eas visitare, ac solari, undique vero Sanctos cœlestibus regnis inferre; nam ita S. Chrysost. intelligit verba Christi Luc. 16 v. 22: *Factum est autem, ut moreretur mendicus, & ab Angelis portaretur in sinum Abrahæ.* Eodem modo S. Ambrosius exponit verba Isai. cap. 60 v. 8: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ cum pullis.*

Objectiones.

83 Obj. 1. Custodes tantum dantur illis, qui vel nesciunt, vel nequeunt se custodire; sed homo per legis cognitionem scit custodire se ipsum, & per liberum arbitrium id potest: ergo. Conf. DEUS ipse hominem custodit, & potest præstare omnia, quæ per Angelos præstantur; ubi autem adest fortior custodia, inferior est superflua. Resp. Transf. maj. dist. min. Homo scit, & potest se ipsum custodire potentia physica, conc. min. potentia morali, & sine magna difficultate, neg. min. Quamvis homo legem cognoscat, & liberum habeat arbitrium, tamen ejus cognitio valde debilis est, aut omnino deficit; liberum vero arbitrium multis passionibus ad malum inclinatur. Hinc Sapient. 9 v. 14 dicitur: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.* & ad Rom. 7 v. 23: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ,* Accedunt gravissimæ infestationes Dæmonis, qui *sicut leo rugiens circuit, quærens, quem devoret.* 1 Petr. 5 v. 8. Ad conf. DEUS quidem hominem custodit tanquam instructor universalis, eum illustrando, & gratias largiendo: vult nihilominus illi addere Angelum tanquam instructorem particularem, sicut multa alia media salutis e. g. prædicationem Evangelii, Sacramenta &c. nobis suppeditavit, etsi sine illis nos salvare potuisset.

84 Dices. Vel Angeli possunt homines a peccatis, aliisque periculis custodire, vel non? si possunt, peccata, & mala custoditi redundant in negligentiam custodis: si non possunt, frustra est illorum custodia. Conf. Majus esset beneficium, si omnes Angeli singulorum curam haberent, quam si quivis ab uno tantum Angelo custoditur: ergo nostra sententia extenuat gratiam DEI, & auxilia Angelorum nobis potius eripit. Resp. Conc. maj. neg. min. Angelus Custos nos potest, & vult custodire, salva

tamen noſtra libertate, & quántum DEUS vult, ut ſuum auxilium nobis præſtet: quod cum ſemper ſaltem ſit ſufficiens, peccata noſtra non Angelorum negligentiæ, ſed noſtræ malitiæ imputanda ſunt; alia vero pericula DEUS ipſe ſæpe permittit, & quod ultra ordinem naturæ Angeli præſtant, id fit ex ſpeciali gratia DEI. Ad conf. Neg. ſuppoſitum, quod curam cujusque hominis ad unum tantum Angelum reſtringamus; quando enim dicimus, quod cuilibet ex officio, & peculiariter certus Angelus tribuatur, neutiquam negamus, quod etiam alii vel ex univerſaliori munere, & ſuperiore adminiſtratione, vel ex communi charitate ejusdem hominis curam habeant, præſertim in caſibus extraordinariis. Sic plures Angeli eduxerunt Loth de Sodama Geneſ. 19, & Eliſæo integer exercitus Angelorum auxilio venit, 4 Reg. 6.

Obj. 2. Juxta Scripturam Angeli Cuſtodes dantur ſolis electis: *Qui hæreditatem capiunt ſalutis*, & DEUM timent. Hinc etiam SS. Patres Chryſoſt. Baſil. &c. expreſſe dicunt, illos dari fidelibus. Conf. Origenes Homil. 35 ait: *Homines, qui ſunt de Eccleſia, habere Angelos Cuſtodes, qui vident faciem Patris, qui vero non ſunt de Eccleſia, non habere Angelos Cuſtodes reſpicientes vultum Patris.* Dydimus quoque apud S. Damaſcenum lib. 1 parallel. cap. 7 inquit: *Probi, ac ſancti viri lucidos Angelos Cuſtodes habent, mali autem tenebroſos.* Reſp. Neg. ant. Nam Scriptura nunquam adhibet particulam excluſivam, neque Apoſtolus dicendo, quod Angeli in miniſterium mittantur propter electos, hoc ipſo negat, quod etiam mittantur propter non electos, quamquam etiam Cuſtodia reproborum in bonum electorum intendatur. In eodem ſenſu tantum præciſivo telligendi ſunt SS. Patres, præſertim quia alii non ſolum de fidelibus, ſed de omni homine generaliter loquuntur. Ad Conf. Origenes hoc loco inſinuat ſuum errorem, quod Angelo Cuſtodi imputentur

85

lapſus hominis cuſtoditi, & propterea Angelus privetur viſione DEI. Verba Dydimi obſcura ſunt, & ſolum videntur velle, quod homines mali potius ſe committant Angelis malis, a quibus excæcantur, quin tamen ideo Angelus bonus, quantum ex ſe eſt, ſuam cuſtodiam omittat, & clientem ſuum illuminare deſinat.

86 Dices. SS. Angeli quandoque deferunt ſuos clientes, juxta illud Jerem. 51 v. 9: *Curavimus Babilonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Conf. SS. Patres docent, quod homines peccando Angelos Cuſtodes a ſe repellant. Sic Baſil. in cap. 5 Iſai. circa verba *Auferam ſepem ejus*, ait, unumquemque noſtrum, cum habet Angelum Cuſtodem, ſe huic periculo exponere: *Ut muro tutelari ſpolietur, ſi in peccatis deprehendatur.* & in Pſalm 33: *Omni in Chriſtum credenti Angelus aſſiſtit, niſi illum a nobis per improbas actiones profligaverimus.* Reſp. Neg. ant. Quia DEUS homini auxilia communia nunquam ſubtrahit, ſed ſicut Dæmones nos ſemper impugnant, ſic Angeli nos ſemper cuſtodiunt; Babilon autem, & domus Iſrael juxta S. Thomam derelictæ dicuntur, quia Angeli eorum Cuſtodes non impediverunt, quin tribulationibus ſubderentur. Ad conf. Diſt. ant. Quod Angelos Cuſtodes a ſe repellant totaliter, neg. ant. aliqualiter, quatenus ſcilicet in pœnam peccati commiſſi aliquid de actuali cuſtodiæ exercitio ſecundum Divinorum Judiciorum ordinem remittunt, conc. ant. Etiam DEUS in pœnam peccati quandoque non impedit, ut peccator alicui tribulationi ſubdatur, vel in ulteriora peccata labatur.

87 Obj. 3. Eſt indignum, Angelos deputari ad cuſtodiam hominum, præſertim impiorum, infidelium, & infantum, eosque ſemper debere comitari, cum iis currere per plateas &c. ergo. Conf. Infantes non ſunt capaces Angelorum cuſtodiæ, in reprobis autem hæc cuſtodia nullum habet effectum, cum nihilominus damnentur: ergo. Reſp. Neg. ant.

Sic

Si enim non est indignum, DEUM pluere super justos, & injustos, fideles, & infideles, omniumque salutis curam agere, cur erit indignum, quod illos Angelis custodiendos tradat? Porro cum Angeli longe majorem locum possint occupare, quam homines, non opus est, ut semper cum illis moveantur, imo ne quidem requiritur, ut semper homini assistant, & nunquam ad cœlos, aut aliorsum digrediantur; nam etiam absentes loco non desunt quoad effectum custodiæ, quia ubique cognoscunt, quid circa hominem agatur, & citissime adesse possunt. Imo ex Scriptura scimus, quod Azarias euntem, & redeuntem Tobiam fideliter comitatus sit. Ad conf. Quamvis parvuli ante usum rationis nondum Angelicæ instructionis sint capaces, custodiuntur tamen ab illis aliis modis, ut indicat Scriptura Matth. 18. quem textum S. Chrysost. & Ambros. expresse de ejusmodi parvulis exponunt; in reprobis vero præter ea, quæ num. 81 indicavimus, Angeli efficiunt, ut a majoribus malis retrahantur, vel præserventur, aut etiam pro aliquo saltem tempore opera meritoria vitæ æternæ exerceant.

Quæres 1. An primi Parentes in statu innocentiæ, B. Virgo, & Christus Angelum Custodem habuerint? Resp. ad 1 affirmative. Nam etiam in statu innocentiæ primi parentes exterius a Dæmone tentari potuerunt, ut rei probavit eventus, & licet primum illud peccatum non commisissent, juxta S. Thomam necdum fuissent in gratia confirmati. Ad 2. Etsi opus non fuisset, ut Angelus B. Virginem illuminaret, aut a Dæmonum tentationibus tueretur, cum ipsa serpentis caput contriverit; B. Virgo tamen erat in via, & decebat, ut Angeli præsentia recrearetur, & illius juvaretur ministerio; existimat autem S. Bernardus Tract. de Baptis. cap. 5, Custodem illius fuisse Gabrielem. Ad 3. Quia Christus fuit omnino impeccabilis, comprehensor, perfectissima omnium rerum præscientia instructus, & ipsis- 88

Angelis potentior, non indigebat illorum custodia; habuit nihilominus multos Angelos tanquam ministros: *Et ecce, Angeli accesserunt, & ministrabant ei*, Matth. 4 v. 11. *Videbitis cœlum apertum, & Angelos DEI ascendentes, & descendentes supra filium hominis.* Joann 1 v. 51.

89 Quæres 2. An Angeli de malis eorum, quos custodiunt, doleant, sicut gaudent de bonis eorum, juxta illud Luc. 15 v. 10: *Gaudium erit coram Angelis DEI super uno peccatore pœnitentiam agente?* Resp. Angelos, etiamsi voluntate universali maxime cupiant clientum suorum bonum promovere, non tamen proprie tristari, vel angi, si præter ipsorum vota secus accidat, eoquod habeant voluntatem voluntati Divinæ per omnia consonam, & hinc juxta S. Thomam tam in pœnitentia, quam in peccato manet eadem ratio gaudii in Angelis, scilicet impletio Ordinis Divinæ providentiæ. Dicuntur nihilominus potius gaudere de pœnitentia, quia de hac gaudent tam voluntate universali, quam particulari; unde si Patres aut Scriptura quandoque aliter loquuntur, explicari debent in sensu metaphorico ad designandam voluntatem universalem in ordine ad hominum salutem; sane etiam in tali sensu metaphorico Scriptura & Patres iram, pœnitentiam, &c. DEO adscribunt. Porro quod in statu beatitudinis, quo Angeli sancti fruuntur, nullus sit locus tristitiæ, parte secunda videbimus.

QUÆSTIO II.

An etiam Regna, Ecclesiæ, aliæque communitates habeant proprium Angelum Custodem?

90 Dicendum 1. Singula Regna, Provinciæ, & Communitates saltem majores habent proprium Angelum Custodem. Probatur 1. Auctoritate Scripturæ

ræ, in qua Daniel. 10 inducuntur quatuor Angeli, quorum unus erat Princeps Perſarum, alter Græcorum, tertius, qui Gabriel fuiſſe creditur, Princeps captivorum in Perſide, quartus Michael Princeps populi DEI; eadem autem eſt ratio de reliquis regnis, provinciis, & communitatibus etiam infidelium, quales erant Perſæ, & Græci. Probatur 2. Auctoritate Patrum. S. Baſil. lib. 3 contra Eunom. ait: *Quod ſint quidam Angeli univerſarum gentium præpoſiti, Sapiens Daniel in viſione Angeli audivit.* S. Epiphan. hæreſ. 51: *Regna, & gentes ſub Angelis poſita ſunt.* S. Clemens Alexandr. lib. 6 Stromat. *Per gentes, & civitates diviſæ ſunt Angelorum præfecturæ.* Similia habent S. Aug. Hieron. Theodoret. aliique communiter apud Suarium lib. 6 cap. 17. Confirmat hoc S. Baſilius loc. cit. ex illo Joſue 5 v. 14: *Princeps exercitus Domini*, quod juxta ſenſum magis receptum de exercitu terreſtri populi Iſrael intelligitur; unde etiam deducitur, dari Angelos Cuſtodes exercituum, præſertim fidelium, qui DEI cauſam agunt.

Dicendum 2. Singulæ Diœceſes, & multo ma- 91
gis Eccleſia univerſalis, habent proprium Angelum Cuſtodem. Probatur 1 pars, quam etiam docuit Origenes Homil. 20 in Numer. dicens: *Secundum ea, quæ Joannes in Apocalypſi ſcribit, unicuique Eccleſiæ generaliter Angelus præeſt*, & S. Ambroſ. lib. 2 in Luc. *Non ſolum Epiſcopos ad tuendum gregem, ſed etiam Angelos deſtinavit.* Denique S. Greg. Nazian. Orat. 32 inquit: *Nec enim mihi dubium eſt, quin alii Angeli, aliarum Eccleſiarum præſides, ac patroni ſint, quemadmodum in Apocalypſi Joannes me docet*, nempe cap. 1, 2 & 3. Conſentiunt rurſus Patres cæteri, & ex hoc ipſo probatur 2da pars; ſi enim Eccleſiæ particulares habent ſuos Angelos Cuſtodes, id multo magis ſentiendum de univerſali, quæ juxta Doctorem Angelicum S. Michaeli concredita eſt. Nam imprimis ille præfuit Synagogæ, ut inſinuatur

Danielis cap. 10 v. 21: *Nemo est adjutor meus, nisi Michael Princeps noster;* hic enim causam egit Judæorum, ut liberarentur ex captivitate Persarum: dein Michaelem præpositum esse Ecclesiæ Christianæ, testantur variæ apparitiones tam in Occidente, quam in Oriente, quibus se Ecclesiæ Patronum probavit, præsertim in monte Gargano Apuliæ anno 493 sub Gelasio; hinc etiam multæ Basilicæ in illius ut universalis Ecclesiæ Principis honorem erectæ sunt.

92 Præter Angelos pro communitatibus, & singulis hominibus deputatos probabiliter Pontifices, Reges, aliique Principes, & Prælati adhuc habent peculiarem Angelum Custodem; sicut enim duplici egent prudentia, & rectitudine; & illa, quæ ad bonum commune pertinet, altioris rationis est, ita duplici indigent gubernatore, & Custode Angelo. Atque sic intelligendum videtur illud Actor. 12 v. 15: *Angelus ejus est.* Ubi juxta Origenem Homil. 11 in Num. sermo est de Angelo peculiariter dato ad custodiam Petri, postquam factus est Pastor Ecclesiæ; dein addit: *Similiter intelligitur & alius Pauli Angelus, & alius alterius Apostoli, & singulorum per ordinem.* Idem Origenes, pluresque SS. Patres docent, Angelos Custodes etiam aliis rebus corporeis præesse. Sic S. Aug. lib. 83 quæst. q. 79 ait: *Unaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi præpositam, sicut aliquot locis Scriptura Divina testatur.* Quare S. Thomas existimat, singulis rerum speciebus singulos Angelos præesse. Addit Suarius, & forte pro variis mundi regionibus plures, licet non tot, quot sunt individua; nam in aliis rebus corruptibilibus plerumque sufficit, si conservetur species: homo autem semper durat, & quilibet per proprias actiones liberas ad æternam felicitatem ordinatur.

Objectiones.

Obj. 1. Si ſingula regna habent Angelum Cuſtodem, non eſt opus, ut etiam quilibet homo aliquem habeat; ſi enim unus homo ſæpe ſufficit ad habendam curam plurium aliorum, multo magis ſufficit Angelus. Conf. In lege Moyſis, & Naturæ tantum ſingulæ communitates habuerunt Angelum Cuſtodem; nam ut S. Chryſoſt. homil. 3 ad Coloſſ. ait: *Prius pro numero gentium erant Angeli, nunc autem non pro numero gentium, ſed fidelium.* Reſp Quod præter Cuſtodes regnorum cuilibet homini Angelus deputetur, non eſt ex defectu virtutis Angelicæ, ſed ex liberali DEI voluntate, qui non ſolum voluit providere homini, prout eſt pars communitatis, ſed etiam prout eſt individuum de ſe ordinatum ad felicitatem æternam, dumque Angelus communitatis præcipue ordinat externa, quæ ad commune bonum pertinent, reliqui etiam inviſibilia, & occulta ſuorum clientum curant. Ad conf. Neg. ant. Contrarium de lege naturæ colligitur Geneſ. 48 v. 16: *Angelus, qui eruit me* &c. & de lege ſcripta ex Pſalm. 90 v. 11: *Angelis ſuis mandavit de te* &c. idque fuiſſe de generali, & perpetua providentia, ſatis explicavit Chriſtus Matth. 18 v. 10: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris;* nam puer ille, quem tunc præ oculis habebat, nondum pertinebat ad legem gratiæ. S. Chryſoſtomus ſtatim addit, etiam inter gentes unumquemque virum probum habuiſſe Angelum, adeoque non voluit dicere, quod prius Angeli tantum fuerint pro numero gentium. 93

Obj. 2. Princeps Judæorum, & Perſarum habuerunt diſſenſiones; nam prior Daniel. 10 v. 13 dicit: *Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & uno diebus: & ecce! Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum:* ergo iſti Præſides non fuerunt Angeli boni. Conf. In Apocalypſi per Angelos intelliguntur Epiſcopi: ergo ex 94

illa

illa non probantur Angeli Custodes Ecclesiarum. Resp. Neg. ant. de dissensione proprie dicta. Equidem Angelus Persarum voluntate conditionata, si DEO placeret, diuturniorem populi Hebraici commorationem in Babilonia captivitate apud DEUM urgebat, quia illam Persis, seu Chaldæis sciebat esse proficuam ad salutem. At vero comperta DEI voluntate non amplius ab Angelo Judæorum dissensit, nec unquam inter Angelos bonos dari potest discordia aliqua formalis secundum voluntatem absolutam; hinc non est opus, ut contra communiorem Patrum, & Scholasticorum expositionem per Principem Persarum Angelum malum intelligamus. Ad conf. Licet in Apocalypsi per Angelos intelligantur Episcopi, tamen juxta Patres simul significantur Angeli tanquam Ecclesiarum Custodes.

95 Obj. 3. Custodia universi, præsertim rerum corporalium, commissa est Angelis, antequam peccarunt: ergo contingere potuit, ut hæc custodia committeretur Angelo malo. Certe S. Damascen. lib. 2 de fide cap. 4 existimat, præcipuum Angelum peccantem illum fuisse; *Qui terrestris Ordinis principatum tenebat, cui custodiendæ terræ cura a DEO commissa fuerat.* Conf. coercere Dæmones pertinet ad potestates: ergo Angeli Custodes, qui sunt ex infimo Ordine, non possunt clientes suos a Dæmonibus defendere. Resp. cum S. Aug. lib. 3 de liber. arbitr. cap. 11, DEUM, utpote omnium futurorum præscium, non nisi Angelis in sanctitate permansuris hoc officium contulisse; si tamen quis cum S. Damasceno sentire velit, poterit dicere, custodiam terræ Angelo malo post peccatum iterum ademptam, & bono Angelo datam esse; quippe soli Angeli boni proprie sunt ministri DEI, & Angelorum custodia non ad perditionem, sed salutem hominis a DEO ordinata est. Ad conf. Dist. ant. Pertinet ad Potestates mediate, & in quantum id requiritur ad bonum commune generis humani, vel Ecclesiæ, conc.

ant.

ant. semper immediate, & in quantum requiritur ad bonum particulare hominis singularis, neg. ant. Etiam Angeli inferiores, ut S. Thomas advertit, exercent officia superiorum, in quantum aliquid de dono eorum participant, & sunt quasi executores virtutis eorum.

Quæres 1. An, & qualem virtutem agendi ad extra habeant Angeli? Resp. 1. Angeli non habent virtutem aliquid creandi; hæc enim soli DEO a sanctis Patribus adscribitur: ex quibus S. Aug. lib. 9 de Genes. ad lit. cap. 4 ait, *Angelum non minus quamlibet rem creare non posse, quam se ipsum.* 2 Angeli non possunt per se, & immediate producere substantiam, formam substantialem, aut aliquod accidens materiale, excepto motu, & forte etiam impetu, si datur; cum enim ad istas res producendas aliæ causæ naturales a DEO constitutæ sint, gratis hæc virtus Angelis tribueretur, & sicut natura in necessariis non deficit, ita superflua non amat. 3. Possunt nihilominus Angeli mediante potentia loco motiva ita agentia naturalia applicare, ut tum ob celeritatem applicandi, tum ob solertiam adtemperandi miri, ac varii effectus oriantur, & ipsa generatio substantiarum acceleretur. Hinc licet non statim possint supplere operationes ad generanda animalia intra matricem requisita, facile tamen producunt, vel potius excludunt illa, quæ per ovula extra matricem propagantur. 96

Quæres 2. Quid Angeli Custodes suis clientibus præstent? Resp. 1. Intellectum illuminant, voluntatem ad prosecutionem boni, & fugam mali excitant, ac Divina consilia revelant. Daniel. 9 & Genes. 18. 2do. Illecebras peccandi removent, vim tentationis infringunt, Dæmones arcent, & eorum conatus cohibent Tob. 12 & Genes. 32 juxta figuram. 3tio. Pericula corporis depellunt, & hostes etiam visibiles profligant, Tob. 5 & Isai. 37. 4to. Afflictos solantur, confirmant, & animum addunt 97

ad

ad progrediendum in via DEI, Tob. 5, & 3 Reg. 19. 5to. Preces ſuorum clientum DEO offerunt, & ipſimet pro illis peculiariter intercedunt, Tob. 12 & Apoc. 8. 6to. Peccata noſtra reprehendunt, & ab illis ſuadendo, ac pungendo conſcientiæ morſibus liberant, Judic. 2. 7mo. Denique ſuos clientes etiam caſtigant, & puniunt; ubi tamen Suarius advertit, pœnas ab Angelis bonis inflictas tantum eſſe temporales hujus vitæ, & plerumque medicinales, licet quandoque etiam contingere poſſit, ut ſint vindicativæ. Sic juxta veriorem expoſitionem ſancti erant Angeli miſſi ad ſubvertendam Sodomam Geneſ. 19; hinc etiam S. Aug. lib. 9 de Civit. cap. 5 ait: *Sanctos Angelos ſine ira punire, quos accipiunt æterna lege puniendos, & miſeris ſine miſeriæ compaſſione ſubvenire.*

98 Quæres 3. Quomodo Angeli intellectum illuminent, & voluntatem excitent? Reſp. Hoc duplici modo fieri poſſe, 1. Viſibiliter per objecta ſenſibilia ſenſibus ita applicata, ut mentem excitent, fere ſicut unus homo alterum per ſigna externa docet. 2. Inviſibiliter, & mere internæ. Modus hic in ordine ad intellectum conſiſtit in eo, quod Angelus ita ſpiritus vitales, aut organum phantaſiæ moveat, ut ſpecies phantaſticæ convenienter applicentur ad formandos conceptus, ſeu ideas, quæ ad cognitionem veritatis intentæ maxime deſerviunt; impedimenta vero ordinatæ apprehenſionis amoveantur; neque enim Angelus immediate per ſe ipſum ſpecies aliorum objectorum, phantaſmata, aut cognitionem in homine producere poteſt, ſed ſolam ſpecies jam ante habitas per motum localem applicare. Multo minus Angeli immediate poſſunt immutare voluntatem humanam, aut in illa aliquam volutionem producere, ſed eandem ſolum movent mediante phantaſia, & appetitu ſenſitivo, in quantum moto, & alterato corpore etiam appetitus naturalis excitatur, & quodammodo voluntatem ſecum rapit, dum ratio non

poteſt

poteſt ſatis advertere, quomodo motus indeliberati, præſertim primo primi, ſoleant aſſurgere, quin tamen ideo voluntas ad ipſum conſenſum neceſſitari valeat.

QUÆSTIO III.

De Infeſtatione Angelorum malorum.

Quemadmodum DEUS per Angelos ſanctos ſa- 99
lutem æternam, & bonum etiam temporale generis humani promovere dignatur: ita Diabolus, qui homicida erat ab initio Joann. 8, hominibus nocere cupit. Hinc cum Magiſtro Sentent. Scholaſtici tum veteres, tum non pauci recentiores ſatis probabiliter docent, quod ſinguli homines ſicut habent Angelum Cuſtodem, ita etiam habeant Dæmonem tentatorem, non quidem a DEO, qui neminem tentat, aut impie agere mandat, ſed a Lucifero, qui ſtudio nocendi ex adverſo paria cum DEO, quantum poteſt, facere conatur. Idem ex Patribus exiſtimant Origenes Homil. 35 in Luc. Tertull. lib. de anima cap. 39, & Greg. Nyſſen. in libro de vita Moyſis ita ſcribens: *Eſt ſermo ex majorum traditione fidem ſibi vindicans, qui dicit, DEUM Angelum quemdam ex iis, qui naturam corporis expertem ſortiti ſunt, adhibuiſſe ad uniuſcujusque vitæ tutelam, ac præſidium: At ex adverſo naturæ corruptorem* (Luciferum) *pari machinatione contra niti, & pravo quodam, ac malefico adjuncto Dæmone humanæ vitæ perniciem afferre.*

Et vero licet Dæmones juxta doctrinam quæſtio- 100
nis præcedentis nullam ſubſtantiam, aut accidens materiale per ſe producere, neque directe aliquid in intellectum, aut voluntatem humanam agere poſſint; quia tamen quoad eſſentiam, & vires naturales, quas in prima creatione acceperunt, per peccatum, & damnationem non fuerunt immutati, facile imbecilles homines per commotos humores, aut ſpecies phantaſticas, aut objecta externa ſenſibus admota in gra-

graviſſimas tentationes præcipitarent, atque applicando activa paſſivis plurima mala tam in bonis fortunæ, quam corporis inferrent, niſi DEUS illos ſubtracto ſuo concurſu ita coërceret, ut ſine permiſſione Divina nihil in hoc genere præſtare valeant, ut paſſim docent SS. Patres, & colligitur ex Scriptura. Sic Job. 1 Dæmon a DEO petiit licentiam nocendi Job, & ejus familiæ; ſic 3 Reg. 22 decepit Achab per falſos Prophetas ex peculiari permiſſione Divina; ſic Chriſtus Luc. 22 v. 53 dixit: *Nunc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Apoſtolus vero 1 ad Cor. 10 v. 13, ut oſtendat, tentationes Dæmonum commenſurari particulatim cujusque viribus, ait: *Fidelis eſt DEUS, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis.*

101 Hæc ita intelligenda ſunt, quod Dæmon ſine ſpeciali licentia Divina neque in bonis externis, neque in corpore per ſe ipſum, aut maleficos damnum inferre poſſit, neque extraordinarios tentandi modos adhibere; pro conſuetis vero impugnandi modis ſpeciali ejusmodi permiſſione non indiget, tametſi etiam in his ſubinde DEUS per ſe, vel per Angelos Dæmonum conatus impediat. Ratio autem, cur DEUS hominem a Dæmone tentari permittat, potiſſimum duplex eſt, 1. Ut, dum tentandis, & exercendis hominibus operam ponunt, bonum eorum, DEIque gloriam vel inviti promoveant per debiles homines ſuperati, quemadmodum pluribus diſſerit Sanctus Chryſoſt. Hom. 1 ad populum. Ratio 2da eſt, ut Dæmones veluti miniſtri Divinæ juſtitiæ homines ob ſua peccata caſtigent, & puniant, quod DEO etiam nonnunquam præcipiente facere poſſunt in iis pœnis exequendis, quæ per ſe culpa vacant. Advertit tamen Tannerus, infeſtationes Dæmonum, præſertim quoad externas, violentasque machinationes, majores fuiſſe ante, quam poſt adventum Chriſti, ubi idolorum reſponſa ceſſabant; item majores eſſe inter infideles e. g. in Indiis,

diis, ubi Dæmones visibiliter inter homines versari narrantur, quam inter fideles, ubi Christi trophæa erecta, aliaque fidei nostræ symbola in usu sunt.

Colliges 1. Dæmones non possunt substantialem statum universi destruere, aut intrinsecas rerum proprietates tollere e. g. astrorum cursum turbare, terram movere loco, integrum aliquod elementum destruere &c. Nam quædam ex his superant naturalem virtutem entis creati, quædam, etsi forte non superent, tamen juxta constitutam legem, & ordinationem DEI de statu hujus universi conservando usque ad finem mundi Dæmonibus non permittuntur. 2. Non possunt causas naturales positis omnibus ad agendum requisitis impedire ab agendo e. g. ne oculus bene dispositus clara luce videat, ne ignis proxime applicatus urat stramen &c. sed ejusmodi actiones negato necessario concursu suspendere est solius DEI. 3. Imo sine speciali permissione DEI ne quidem possunt nocere homini, tempestates cogere, grandine fructus destruere, etsi striges scopis adhibitis Diaboli opem in eam rem evocent. 4. Nequit Diabolus corpora hominum in corpora bestiarum transmutare; tum quia Angeli neque formas substantiales, neque accidentia materialia possunt producere, tum ac præcipue, quia organis ita destructis, & immutatis eadem anima prius corpus non amplius posset informare, & multo minus postquam aliquando a corpore separata est, denuo naturaliter ad illud revocari. 102

Vicissim Dæmon varie potest ludificare sensus, & externam sensationem impedire e. g. reddere homines invisibiles, impenetrabiles, apparentes sub specie alicujus bruti &c. Nam 1. potest figuram organi, præcipue oculorum, quadam compressione aut distractione immutare, illud humore aliquo implere, & spirituum influxum tantisper inhibere, qua ratione in deliquio nihil sentimus. 2. Potest subito formare, adducere, removere, aut aliter configurare ob- 103

jectum e. g. homini circumdare corpus bruti ex aere formatum, verum animal substituere, globum in medio aere inhibere. 3. Potest objectum interposito obstaculo tegere, colorare, condensare &c. & sic facere, ut species ad sensus vel omnino non, vel saltem non ordinate pertingant, quo fit, ut v. g. trabes, domus videantur serpentes, homo arbor &c. 4. Potest impedire applicationem agentis ad passum e. g. interposito inter ignem & stramen lapide, aut liquore igni resistente. 5. Potest commovere, distrahere, perturbare phantasiam, & sensus intimos mediantibus spiritibus vitalibus varie agitare, vel sopire; sic sæpe phantasiam strigum dormientium, aut etiam vigilantium ita deludit, ut putent se esse, ubi non sunt, edere, & bibere, quod non habent &c.

104 Quæres 1. An Dæmon vere possit obsidere hominem? Negant hoc contra communissimam auctoritatem Patrum recentiores aliqui Theologastri, & quia phantastice sibi imaginari non possunt, quomodo Dæmones in corpora agere possint; omnes energumenorum effectus phantasiæ, melancholiæ, maniæ, aut Dæmonibus circumsidentibus adscribunt. Sed contra est 1, quia in Scriptura Christus ipse ad Dæmones obsidentes verba fecisse, silentium illis indixisse, ac, ut e corporibus exeant, imperasse narratur, restituta etiam valetudine ex morbis, quos mali illi hospites induxerant. Sic Luc. 8 v. 29: *præcipiebat spiritui immundo, ut exiret ab homine: multis enim temporibus arripiebat illum, & ruptis vinculis agebatur a Dæmonio in deserta.* 2. Quia Christus etiam Apostolis Luc. 9 dedit potestatem super Dæmones, qua usi sunt, & teste Marco cap. 6 v. 13, *Dæmonia multa ejiciebant.* 3. Quia Ecclesia a primis temporibus varios Exorcismos adhibuit, ut Dæmones ex humanis corporibus pelleret, adeo, ut vel Judæorum Exorcistæ nomen Jesu Christi pellendis Dæmonibus usurparent. 4. Taceo mirabiles effectus va-

variarum linguarum loquelam, revelationem rerum occultarum, repentinos in aera raptus obſeſſorum &c.

Quæres 2. An dentur magi, & utrum ope Dæmonis poſſint patrare prodigia? Reſp. Dari magos, qui implorato tacite, vel expreſſe Dæmonis auxilio varia mirabilia opera efficiunt, docet nos Scriptura. Sic Lev. 19 capitali pœna cautum erat, ne magi conſulantur; quam vero mirabilia opera tempore Pharaonis fecerint, & quomodo prodigia Moſaica ſint æmulati, omnibus notum eſt. Actor. quoque 19 v. 19 dicitur, quod *Multi ex illis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerint libros, & combuſſerint.* Ubi nomine curioſorum magia, aſtrologia judiciaria, faſcinationes, præſtigia, & ars conficiendi amuleta magica intelligitur. Denique quam multa ſigna Antichriſtus patraturus ſit, deſcribit Apoſtolus 2 ad Theſſal. 2 v. 9: *Cujus eſt adventus ſecundum operationem Sathanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus.* Interim tamen omnia ejusmodi facta neutiquam ſunt vera prodigia; nam verum prodigium excedit vires creatas, utque a falſo diſcernatur, debet ad DEUM dirigere, & nihil labis admittere in veram doctrinam, pietatem & Eccleſiam, ad quam denique ultimato ſpectat de illis judicare, licet quædam adeo manifeſta ſint, ut cuivis etiam rudi pateant, ut quando Chriſtus Lazarum quatriduanum ſuſcitavit ad vitam, & ipſemet a mortuis reſurrexit. 105

Quæres 3. An ſagæ, & ſtriges a Dæmone vere, & corporaliter ad ſua conventicula transferantur? Negat Lutherus, Melanchton, aliique hæretici contra communem Catholicorum ſententiam. Quamquam enim valde credibile ſit, quod ſagæ, & ſtriges, quando ſe ad alia loca transferri exiſtimant, per deluſiones phantaſticas ſæpiſſime decipiantur, tum quia vera translatio ſæpe Dæmoni multo labore conſtaret, nec ſine ſpeciali permiſſione Divina 106

fieri potest, tum quia delusio phantastica est magis familiaris, & consentanea Dæmoni, qui mendacii pater est, & ab imposturis Diabolus dicitur: nihilominus striges, non raro etiam vere, & corporaliter transferri, patet non solum constanti, & concordi confessione ipsorum maleficorum utriusque sexus, sed etiam variis aliorum experimentis, & oculari inspectione, quibus fides sine temeritate negari nequit. Idem docet inquisitorum fidei, & omnium in Italia, Hispania, Germania &c. Ecclesiasticorum tribunalium communis sensus, ut colligitur tum ex illorum gestis, tum ex diversis Bullis Pontificum Innoc. VI. Julii III. Adriani VI. & Clementis VII. ad inquisitores fidei. Certe non est ratio dicendi, cur DEUS universim Dæmonibus hæc prohibeat, cum olim & in rebus aliis, & in se ipso fieri hoc permiserit. Quomodo autem veræ translationes a phantasticis discernendæ sint, docet Delrius lib. 5 sect. 16.

PARS II.

De Statu animæ post mortem.

107 Sanctus Thomas in suppl. 3 p. q. 69 a. 7 quinque status animarum post mortem distinguit, & totidem eis diversa loca assignat. 1. Profundissime intra viscera terræ absconditur infernus, ubi pœna damni, & sensus torquentur, qui in peccato mortali personali defuncti sunt. 2. Inferno proximum est Purgatorium, in quo pro reliquiis peccatorum patiuntur justi. 3. Sequitur limbus puerorum, qui cum solo peccato originali decesserunt. 4. In superiore rursus parte fuit limbus Patrum, in quo ante completam redemptionem, & apertam cœli januam detinebantur animæ justæ, & jam plene purgatæ. 5. Cœlum, ubi defacto Beati, supra astra exaltati, æterna beatitudine fruuntur. Quamvis autem animabus ex his

his locis pro libitu exire non liceat; certum tamen est, ex speciali DEI permissione non solum animas sanctas, sed etiam in purgatorio, imo in inferno detentas in terris apparuisse, ut testantur gravissimi Auctores, & probat Bellarm. lib. 2 cap. 8 de purgat. Verum antequam ea, quæ de his statibus præscripta sunt, discutiam, prius agendum est de ultimo fine hominis, Itaque sit

DISPUTATIO I.

De Beatitudine.

Sicut homo, quandocunque deliberate, & rationabiliter operatur, semper aliquem finem intendit, ita non solum appetitu innato, sed etiam elicito necessario fertur in beatitudinem, saltem in communi, & implicite, in quantum semper cupit carere malo, & feliciter vivere beatitudine vera, vel ficta. Quippe nemo vult esse miser, sed etiam quando malum appetit, tendit in illud tanquam bonum satiativum sui appetitus, ut advertit S. Augustinus Tract. de Epicureis cap. 3: *Vitam beatam appetere, vitam beatam concupiscere, desiderare, sectari, omnium hominum esse arbitror - - nam & qui bonus est, ideo bonus est, ut beatus sit, & qui malus est, malus non esset, nisi se inde beatum esse posse speraret.* Hinc communior contra Scotum docet, hominem absque omni deliberatione necessario non tantum quoad speciem, sed etiam quoad exercitium amare beatitudinem, quando illa tanquam bonum ab omni malo depuratum proponitur, & ab hoc amore tam parum posse abstinere, quam intellectus ab assensu veritatis, quæ ipsi evidenter proponitur. 108

Quia vero sæpe de nostra felicitate sub expresso, & formali conceptu non cogitamus, illam explicite non desideramus, sed varios alios fines nobis statuimus. Intelligitur autem hic per finem in genere 109

omne illud, cujus gratia aliquid fit, appetitur, vel amatur. Dividitur 1 in finem cui, qui, & quo. Finis cui est illud subjectum, cui bonum appetitur; finis qui est bonum, quod appetitur; finis quo est actus ille, quo tale bonum formaliter obtinetur, aut possidetur e. g. Si sumis medicinam ad recuperandam valetudinem, finis cui es tu ipse, finis qui est sanitas, finis quo est consecutio, aut reparatio sanitatis. Dividitur 2 in finem ultimum, & non ultimum, seu intermedium. Ultimus est, qui ita propter se appetitur, ut non ordinetur ulterius. Intermedius est, qui quidem appetitur propter se, sed simul etiam propter finem alium, ad quem ulterius ordinatur; unde præter rationem finis etiam habet rationem medii. e. g. Theologus ordinat studia sua ad acquirendam scientiam, scientiam ad statum sacerdotalem, & curam animarum, curam animarumad salutem proximi, salutem proximi ad gloriam DEI; quo casu dantur plures fines non ultimi, qui simul sunt media ad finem ulteriorem.

110 Finis ultimus subdividitur 1. In positive, & negative ultimum. Positive, seu simpliciter ultimus est, ad quem omnia alia referenda sunt, quin ipse prudenter ulterius possit ordinari. Negative ultimus est, qui quidem hic & nunc non refertur ulterius, posset tamen prudenter ulterius ordinari. Quod si ad ejusmodi finem tantum omnia alia in certo genere referantur, finis ultimus secundum quid vocari solet. Subdividitur 2. in finem ultimum vere talem, & apparenter talem. Apparenter talis est, qui omnibus aliis præfertur non ex suo merito, sed ex errore intellectus, vel ab usu voluntatis, ut facit peccator, dum propter amorem creaturæ dissolvit Amicitiam DEI, & sic implicite, ac virtualiter creaturam DEO anteponit. Finis ultimus vere talis est, qui omnibus aliis præfertur ex merito & præeminentia sua intrinseca. Hic ipse finis vere ac positive ultimus est nostra beatitudo; cum enim nequeat

queat prudenter ordinari ulterius, ad ipſum vero omnia cætera referri debeant, hoc perfecte poſſeſſo ſatiatur totus appetitus rationalis: ergo in hoc ipſo fine noſtra beatitudo conſiſtit, ut conſtabit ex conceptu beatitudinis.

Nam beatitudo nihil aliud eſt, quam ſtatus perfecte, & ſtabiliterſa tians appetitum rationalem, cum exclusione omnis miſeriæ & indigentiæ; ad quod duo requiruntur, bonum beatificans, ſive objectum illud, quod perfecte ſatiat, & ſtabilis poſſeſſio hujus boni, miſeriam & indigentiam excludens. Objectum beatificans vocatur beatitudo objectiva, & coincidit cum fine ultimo qui. Poſſeſſio illius dicitur beatitudo formalis, & coincidit cum fine quo. Utraque poteſt conſiderari eſſentialiter, vel integraliter; Beatitudo eſſentialis ſaltem eminenter debet complecti omnia bona, & tam perfecte poſſideri, ut non ſolum appetitum rationalem plene ſatiet, ſed etiam connaturaliter poſt ſe trahat abſentiam malorum, & præſentiam illorum bonorum, quæ ad integritatem beatitudinis, & ſatietatem reliquarum, potentiarum requiruntur uti ſunt variæ dotes accidentales animæ, & corporis, conſortium amicorum, delectationes ſenſuum &c. Hinc quando beatitudo a Boetio lib. 3 de conſolat. definitur, quod ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, hæc definitio vel tantum intelligi debet de beatitudine integrali, vel quod beatitudo eſſentialis debeat quidem complecti omnia bona eminenter, non vero formaliter. 111

QUÆSTIO I.

In quo conſiſtat beatitudo objectiva?

112 Marcus Varro veterum Philoſophorum ſententias de beatitudine ſubtilius ſcrutatus advertit, illas in 288 facile poſſe dividi, quas S. Aug. lib. 19 de Civit. cap. 1 ad tres claſſes reducit, cum ait: *Non tamen eos, quamvis diverſis errantes modis, naturæ*

limes in tantum a via veritatis deviare permisit, ut non alii in animo, alii in corpore, alii in utroque fines bonorum ponerent, & malorum: Sic Cyreniaci duce Aristippo summum bonum dixerunt esse in voluptate corporis; Stoici in virtute, & bonis animi; Peripatetici in bonis animæ, corporis, & fortunæ; Cerinthus quoque teste Dionysio Alexandrin. regnum cœlorum post resurrectionem collocavit in voluptatibus carnis: idemque asseruit Mahometes in suo Alcorano.

113 Dicendum 1. Beatitudo objectiva hominis non consistit in bonis creatis, sive seorsim, sive simul sumptis. Probatur 1. Auctoritate Scripturæ, & Patrum, qui sæpissime inculcant, quod omnia creata sint vanitas vanitatum, & nunquam possint explere cor hominis, ut toto libro docet Ecclesiastes, primo statim capite v. 14 generaliter dicens: *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus.* Christus quoque Matth. 5 beatos pronunciavit non divites, sed pauperes, non dominantes aliis, sed mites, non voluptatibus deditos, sed lugentes, non qui in hoc mundo honorantur, sed qui persecutionem patiuntur. Imo omnis fere Prophetarum, & Apostolorum labor in eo positus fuit, ut homines ab amore rerum caducarum avocarent, & ad DEI amorem transferrent, quod breviter complexus David Psalm. 143 v. ult. ait: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cujus Dominus DEUS ejus.*

114 Probatur conclusio 2 ratione. Beatitudo objectiva creaturæ rationalis debet esse bonum tam præstans, ut per se sufficiat ad perfecte satiandum omnem appetitum rationalem; atqui neque bona creata seorsim, neque simul sumpta sunt tale bonum; cum enim appetitus noster rationalis capax sit boni infiniti, indefectibilis, & increati per cognitionem, & amorem possidendi, non potest plene satiari bonis tantum finitis, defectibilibus, &

creatis,

creatis, quam parum spatium capax molis infinitæ expleri potest grano papaveris. Unde S. Aug. lib. 1 Confess. cap. 1 ait: *Fecisti nos ad te Domine, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te*; quod ipsum S. Thomas hic q. 2 per septem Articulos ostendit, enumeratis variis bonorum creatorum generibus. Certe præcipua bona animæ, scientiæ, & virtutes, sunt valde imperfecta, non sine multo labore, & molestia comparantur, & plerumque versantur circa res humiles, cum tamen objectum beatitudinis debeat esse præstantissimum, ac summum bonum.

Dicendum 2. Beatitudo nostra objectiva essentialis est solus DEUS. Ita cum S. Thoma omnes Catholici. Probatur 1. Auctoritate Scripturæ, & Patrum. Genesis 15 v. 1 dicit DEUS Abrahamo: *Ego protector tuus sum, & merces magna nimis.* David Psalm. 72 v. 25: *Quid mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram &c. DEUS cordis mei, & pars mea, DEUS in æternum.* S. Joann. cap. 17 v. 3: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum, & quem misisti Jesum Christum.* S. Aug. lib. 19 de Civit. cap. 26: *Ut vita carnis anima est, ita vita beata hominis DEUS est.* S. Dionys. cap. 10 de cœlest Hierarch. DEUM vocat *Totius pulchritudinis, atque ordinis principium, & finem.* S. Greg. Nyss. in illud, *Beati pauperes*, inquit: *Beatitudo est illa immortalis, & incorrupta vita, ineffabile pariter, & inanimadversibile, atque inexcogitabile bonum &c.* 115

Probatur conclusio 2 ratione. Ad beatitudinem objectivam ex omnium sapientum consensu requiritur, 1. Ut sit bonum optimum, scilicet pulcherrimum, cujus visione intellectus pascatur, & jucundissimum, cujus amore voluntas satietur. 2. Ut sit simpliciter ultimum, alias appetitus rationalis ab illius possessione ulterius tenderet. 3. Ut sit sufficiens ad excludendam omnem miseriam, & defectum. 4. Ut sit possibile, & obtinibile. 5. Ut sit stabile, & non relinquat anxietatem ac metum jactu- 116

ræ; atqui iſtæ quinque conditiones in nullo bono creato particulari, nec in toto cumulo reperiuntur, ſed in ſolo DEO, ut facile patebit conſideranti tum DEUM, tum creaturas, in quibus videbit deficere vel omnes, vel ſaltem aliquas ex allatis conditionibus. Conf. Illud ſolum eſt beatitudo objectiva, & vera felicitas hominis, quod in ſe continet omne ſimpliciter bonum ſecundum rectam rationem appetibile; ſed ſolus DEUS id in ſe continet: ergo.

Objectiones.

117 Obj. 1. Appetitus rationalis, & capacitas illius eſt tantum finita: ergo ſufficienter ſatiatur bono finito, & creato; cum enim finiti ad infinitum nulla ſit proportio, appetitus tantum finitus non poteſt exigere bonum infinitum. Conf. Homo non poteſt exigere infinitam beatitudinem formalem: ergo neque objectivam. Reſp. Diſt. ant. Eſt tantum finita entitative, & ſubjective, conc. ant. terminative, & objective, neg. ant. Licet inter DEUM, & hominem non detur proportio perfectionis, datur tamen proportio cognoſcibilis, & cognoſcitivi, appetibilis, & appetitivi: ſicut igitur intellectus DEUM poteſt cognoſcere, ſic voluntas illum poteſt appetere tanquam ſuum terminum, & objectum. Unde bene Hugo a S. Victor. lib. 3 de anima inquit: *Cor parvum eſt, & magna capit, vix ad unius milvi refectionem ſufficere poſſet, & totus mundus ei non ſufficit.* Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Quia non datur prudens appetitus ad impoſſibile, jam vero poſſeſſio infinita boni infiniti eſt impoſſibilis; conſiſtit enim in actibus ab ipſo homine elicitis, qui in homine tanquam in ſubjecto recipi debent, adeoque ejus capacitatem entitativam excedere nequeant.

118 Dices. Omnia bona creata poſſibilia habent bonitatem infinitam: ergo ſaltem ſimul ſumpta poſſunt ſa-

ſatiare appetitum hominis. Conſ. Juxta S. Aug. lib. 13 de Trinit. cap. 4: *Beatus eſt, qui habet omnia, quæ vult, & nihil male vult*; ſed qui habet omnem perfectionem animi, & corporis, habet omnia, quæ vult, & per hoc nihil mali vult: ergo. Reſp. Diſt. ant. Habent bonitatem infinitam ſecundum quid, & nunquam actu exiſtentem, conc. ant. infinitam ſimpliciter, & actu exiſtentem, neg. ant. & ſuppoſitum, quod omnes creaturæ poſſibiles poſſint collective ſumi. Ab ente tantum ſyncategorematice infinito, quod ſecundum potiſſimam ſui partem nunquam poteſt exiſtere, nequit expectari plena ſatietas; imo etſi totum infinitum creatum exiſteret, necdum appetitus plene ſatiaretur, quia adhuc reſtaret aliud bonum ſimpliciter infinitum, & multo magis appetibile. Ad conſ. neg. ſuppoſitum minoris, quod ſine DEO poſſit haberi omnis perfectio animi; principalis enim animi perfectio eſt viſio, & fruitio DEI, quæ haberi non poteſt, quin habeatur DEUS per modum objecti, ad quem etiam ordinantur omnes reliquæ perfectiones corporis, & animi.

Obj. 2. Beatus præter DEUM multa rationabiliter deſiderat e. g. reſurrectionem, & gloriam corporis, ſalutem aliorum hominum, delectationes ſenſuum &c. ergo neque DEUS plene ſatiat appetitum rationalem. Conſ. Etſi aliquis perpetuis animi, & corporis frueretur deliciis, nullo dolore impediente, aut impendente, juxta nos non eſſet beatus, quia adhuc plura poſſet deſiderare: ergo a pari. Reſp. Diſt. ant. Deſideraret præter DEUM alia primario, & cum anxietate, ac moleſtia, neg. ant. ſecundario, & cum ſumma ſubordinatione ad voluntatem DEI, conc. ant. & diſt. conſ. Ergo DEUS non plene ſatiat appetitum ſecundarium, trans conſ. primarium, neg. conſ. Cum DEUS ſolus infinite, ac formaliter in ſe contineat omne bonum purum; ſolus perfecte appetitum rationalem quietat; ſatietas autem reliquarum potentiarum, & delectationes ſen- 119

ſuum

ſuum ſolum ad beatitudinem accidentalem pertinent, quamquam etiam iſta ac omnia alia bona creata in DEO eminenter poſſideantur. Unde non eſt, cur beatus anxie aliquid extra DEUM quærat, & nimis avarus eſſet, cui DEUS non ſufficeret. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Qui DEUM non poſſidet, caret ſummo bono, & multa alia nec formaliter habet, nec eminenter.

120 Dices. Homo a DEO poteſt perfici magis & magis in infinitum: ergo nunquam ſatiatur, ſed quocunque bono poſſeſſo adhuc plura deſiderat; hinc Eccleſiaſtes cap. 1 v. 8 ait: *Non impleri oculum viſu, nec aurem auditu* &c. Conf. Homo adhuc conſtitutus in via, prudenter, & ſollicite deſiderat augmentum gloriæ: ergo etiam beatus conſtitutus in patria. Reſp. Diſt. ant. Poteſt magis perfici per perfectiorem beatitudinem formalem, conc. ant. objectivam, neg. ant. Quamvis DEUS ſemper poſſet poſſideri modo perfectiore, non tamen datur perfectius objectum, quod homo appetat, quam DEUS; experientia autem ſolum teſtatur, quod homo non ſatietur bonis creatis, de quibus etiam loquitur Eccleſiaſtes. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Homo adhuc conſtitutus in via ſcit, augmentum gloriæ, & beatitudinis formalis ſibi eſſe poſſibile, & ipſum deſiderium maxime conducere ad acquirendam majorem gloriam, magisque ſecuram reddere ſuſtantiam beatitudinis, quæ a torpentibus facile amittitur: at beatus in patria videt augmentum gloriæ ſibi deinceps eſſe impoſſibile, & contrarium voluntati Divinæ: ergo non poteſt prudenter, & efficaciter illud appetere, ſed abſolute ſolum deſiderat gradum meritis ſuis juxta ordinationem Divinam proportionatum.

121 Obj. 3. Si DEUS eſſet beatitudo objectiva hominis, tunc tanquam finis ultimus qui ordinaretur ad hominem tanquam finem cui; ſed hoc non poteſt admitti; maxima enim eſſet inordinatio, ſi ens

perfectiſſimum, & excellentiſſimum ordinaretur ad ens viliſſimum. Conf. Bonum poſſeſſum ſubjicitur poteſtati poſſidentis; ſed DEUS non poteſt ſubjici homini: ergo. Reſp. Diſt. maj. Ordinaretur ad hominem tanquam finem cui perfectivum, & ſimpliciter ultimum, neg. maj. tanquam finem cui perfectibilem, & ſolum negative, aut ſecundum quid ultimum, conc. maj. Sicut nulla eſt inordinatio, quod cauſa prima, & perfectiſſima aliquo modo ordinetur ad effectum producibilem, & creaturæ ſe communicare poſſit, ita nulla eſt inordinatio, quod finis ſupremus non ex indigentia, ſed abundantia perfectionis ordinetur ad hominem beatificandum tanquam ad finem cui utilitatis, ſic tamen, ut totus homo una cum ſua utilitate, & felicitate ordinetur ultimato ad DEUM tanquam ultimum finem cui excellentiæ, & ut ab homine glorificandum. Ad conf. diſt. maj. Si tale bonum poſſidetur poſſeſſione juridica, vel civili, ut e. g. dominus poſſidet rem ſuam, conc. maj. ſi tantum poſſidetur poſſeſſione vitali, qua intellectus, & voluntas per viſionem, & amorem fruitur ſuo bono, neg. maj. & ſic diſt. min. conf.

Dices. Finis cui magis amatur, quam finis 122
qui; nam propter quod unum quodque tale, illud magis tale; atqui repugnat ordinatæ charitati, ut creatura plus ametur, quam DEUS. Conf. Finis ultimus non poteſt ordinari ad alium finem magis amatum; alias non eſſet ſimpliciter ultimus. Reſp. Diſt. maj. Finis cui magis amatur, ſi ſit ſimpliciter ultimus, conc. maj. ſi ſolum eſt negative ultimus, ſubdiſt. magis amatur per amorem amicitiæ, neg. maj. per amorem concupiſcentiæ, trans. maj. Datur in Beatis duplex amor realiter, vel ſaltem formaliter diſtinctus. Unus eſt amor concupiſcentiæ, quo DEUM quidem amant ut bonum ipſis, quia autem per hunc amorem bonum ſolius hominis appetunt, proprie non poteſt dici, quod per illum magis velint bonum hominis, quam DEI. Alter eſt amor ami-

amicitiæ, quo Beati DEUM amant propter se ut bonum in se ipso, & omni amore, obsequio, ac gloria dignum, per hunc omnia sua ultimato referunt ad DEUM tanquam finem positive ultimum. Ad conf. dist. ant. Non potest ordinari ad alium finem qui magis amatum, conc. ant. ad alium finem cui, neg. ant. Si tantum magis ametur tanquam finis cui indigentiæ, & hic finis iterum ordinetur ulterius.

Obj. 4. Sicut idem omnium est principium, sic
123 etiam finis ultimus, & beatitudo debet esse eadem respectu omnium; atqui DEUS non est finis ultimus respectu omnium; nam unus ultimato intendit divitias, alter honores, & gentiles uti varios colebant DEOS, ita varios fines ultimos sibi statuerunt. Conf. Finis ultimus necessario amatur, & ad illum omnia ordinantur; atqui multi non amant DEUM, nec suas actiones ad illum ordinant, imo peccata ne quidem ad DEUM ordinari possunt. Resp. Dist. maj. Decet esse eadem formaliter, & per se, conc. maj. etiam materialiter, & per accidens, neg. maj. Per se loquendo, & formaliter omnes homines extrinsece ordinantur ad eandem beatitudinem, & felicitatem perfectam appetunt, quamvis dein multi in hoc errent, & per accidens ex privato suo appetitu alias res a DEO distinctas pro fine ultimo sibi statuant. Porro gentiles nunquam coluerunt plures Deos supremos, sed tantum sibi subordinatos, & partiale dominium exercentes in universum. Ad conf. neg. maj. Sed ad rationem finis ultimi sufficit, quod omnia bona ad illum referri possint; peccata vero sunt mala, per quæ potius a DEO receditur, licet etiam aliquo modo referantur ad DEUM ut vindicem, vel misericordem, qui pœnitentibus illa benigne remittit.

124 Quæres. An homo sibi possit proponere plures fines ultimos? Resp. Quamvis homo simul possit intendere 1 plures fines negative ultimos, ita simul amando e. g. voluptates, & honores, ut neu-

trum ad alterum referat, ſed unumquodque propter ſe appetat. 2. Plures fines partialiter ultimos, uti fecerunt gentiles, qui felicitatem partim in bonis corporis, partim in bonis animi collocarunt. 3. Plures fines ultimos diverſi generis aliud intendendo tanquam finem cui, aliud tanquam finem qui. 4. Nequit tamen ſimul intendere plures fines adæquate, & poſitive ultimos ejusdem generis. Nam de ratione finis adæquati, & poſitive ultimi eſt, ut omnia alia ad ipſum referantur, ipſe vero non referatur ad aliud tanquam finem ultimum; atqui ſi plures intenderentur fines poſitive, & adæquate ultimi, non omnia referrentur ad unum, ſed quilibet referretur ad alium e. g. divitiæ ad honorem, & honor ad divitias, & neutrum ſe ſolo totum appetitum ſatiaret; adeoque quilibet eſſet, & non eſſet finis poſitive, & adæquate ultimus. Hinc etiam Scriptura Matth. 6 v. 24 ait: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*, videlicet non ſubordinatis, & ita, ut toto in entis affectu in utrumque feratur.

QUÆSTIO II.

In quo conſiſtat beatitudo formalis?

Henricus Gandavenſis docuit, beatitudinem for- 125
malem conſiſtere in illapſu quodam Divinitatis in animam, vi cujus hæc ita transformetur in DEUM ut in ea nil niſi Divinum appareat, eo fere modo, quo ferrum transformatur in ignem. 2. Doctores quidam Pariſienſes cum Joanne de Rippa beatitudinem conſtituerunt in viſione increata, qua DEUS ſe ipſum, & alia videt, & quæ aliquo modo uniatur animæ beatæ. 3. Aliqui Nominales tradiderunt, beatitudinem eſſe intellectionem creatam, ſed productam a ſolo DEO. Verum iſtæ ſententiæ nunc ſunt exoletæ; cum enim beatitudo a Scriptura, & Patribus frequentiſſime dicatur vita, nemo autem niſi

nisi per actum a se ipso productum vivere valeat, de facto omnes tanquam certum supponunt, beatitudinem formalem non consistere in possessione tantum physica DEI, sed in intentionali, seu actibus quibusdam vitalibus, quibus Beatus perfecte vivit DEO, eoque tanquam summo bono fruitur. Unde beatitudo formalis quoad essentiam metaphysicam est vitalis possessio DEI perfecte satiativa appetitus rationalis.

126 Ad vitalem possessionem DEI varii actus requiruntur, quorum aliqui antecedunt, alii comitantur, alii subsequuntur, alii physice beatitudinem formalem constituunt. 1. Ex parte principii debet adesse lumen gloriæ, quod juxta communem Theologorum est habitus infusus supernaturalis, & stabilis ad eiiciendam DEI visionem deserviens. 2. Ex hoc lumine, & intellectu oritur visio intuitiva DEI 3. Inde in voluntate nascitur amor amicitiæ, quo Beatus DEO vult omne suum bonum. 4. Hunc comitatur amor concupiscentiæ, qua Beatus amat DEUM ut ipsi Beato bonum. 5. Ex utroque amore oritur suo modo immensum gaudium, ac delectatio de tanto bono. 6. Hæc delectatio etiam redundat in corpus post resurrectionem animæ unitum, modo longe perfectiore, quam nunc solatia spiritualia non nunquam corpus afficere solent. 7. Denique beatitudinem comitantur alia gaudia accidentalia, & absentia omnis mali, ac doloris.

127 Dicendum. Beatitudo formalis consistit in operationibus vitalibus appetitus rationalis, scilicet visione intuitiva, vel etiam amore fruitivo DEI. Probatur 1 Auctoritate Scripturæ, & Patrum, qui beatitudinem modo in visione, modo in amore DEI, modo in utroque constituunt. Sic de visione Matth. 5 v. 8 dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* De amore Matth. 15 v. 21: *Intra in gaudium Domini tui.* De utroque simul Psalm. 35 v. 9: *Torrente Voluptatis potabis eos, & in lumine*

tuo

tuo videbimus lumen. Ex Patribus S. Auguſtinus in Pſalm. 90 ait: *Tota merces noſtra viſio eſt.* Lib. 10 Confeſſ. cap. 32. *Ipſa eſt beata vita gaudere ad te, de te, propter te.* Idem poſtquam lib. 83 Quæſt. q. 35 dixerat. *Quid eſt aliud beate vivere, niſi cognoſcendo aliquid æternum habere*, ſubdit: *Nullum bonum perfecte noſcitur, quod non perfecte amatur.* S. Bernard. epiſtol. 18 inquit: *Si enim adhuc abſentes illiciat fides, & deſiderium, præſentes profecto conſummat intellectus, & amor.* Similia leguntur paſſim apud alios Patres, quorum doctrinam approbat Benedict. XI, qui ab aliquibus dicitur XII, in Extravagante Benedictus Dominus, ubi definit animas ex hac vita decedentes, & plene purgatas *viſione, & fruitione beatas eſſe.*

Probatur concluſio 2 ratione. Beatitudo for- 128
malis eſt vitalis poſſeſſio beatitudinis objectivæ, perfectæ ſatiativa appetitus rationalis; ſed hæc poſſeſſio per nihil aliud habetur, quam per viſionem, & amorem fruitivum DEI; neque enim appetitus rationalis alio modo DEO tanquam beatitudine objectiva frui, nec ſatiari poteſt, quam quatenus illi tanquam ſummo, vero, & bono per actus vitales intellectus, & voluntatis conjungitur, cum ad ea, quæ nec cognoſcit, nec amat, ſe prorſus indifferenter & mortuo modo habeat. Certe potentiæ ſenſitivæ DEUM non attingunt, & animæ ſeparatæ in cœlo ſunt vere beatæ, licet non habeant ſenſus. Gaudium, & delectatio ex viſione, & amore orta ſunt tantum effectus conſequens ad beatitudinem. Cætera denique accidentia, uti etiam abſentia doloris, & triſtitiæ non ſunt formalis poſſeſſio DEI, & ſalva beatitudinis eſſentia abeſſe poſſunt, ut inferius videbimus. Conf. Appetitus rationalis involvit duplicem potentiam, intellectum, & voluntatem, quarum quælibet per actum ſibi proprium, & in ſuo genere perfectum DEUM poſſidere, eoque ſatiari poteſt; ergo ſi intellectus in-

tuitive videt DEUM, & per amorem voluntas illo fruitur, utraque potentia perfecte, & formaliter satiatur, nempe intellectus formaliter per visionem, voluntas formaliter per amorem.

129 Hactenus dicta intelligenda sunt de beatitudine supernaturali, quam homo non quidem ex viribus mere naturalibus, attamen per vires gratiæ in hoc statu elevationis obtinere potest. Quomodo autem in statu puræ naturæ DEUS perfecte possideri potuisset, non est locus hic disputandi. Communiter docent, quod etiam tunc beatitudo formalis constitisset in cognitione, & amore DEI, in quantum beatus habuisset cognitionem DEI solum quidem abstractivam, sed tam perfectam, ut creaturam rationalem rapuisset ad ordinatissimum amorem DEI, & sic fuisset radix perpetui gaudii, immunitatis a peccato, & omni miseria. Porro licet in hac mortali, & instabili vita tot miseriis subjecta non detur vera beatitudo, quæ juxta communem persuasionem est merces, quam pro meritis nunc collectis post mortem speramus; constat tamen, etiam veram felicitatem temporalem, qualiscumque illa demum sit, non nisi in cognitione, ac cultu Divino positam esse, quod S. Ambrosius probat ex Psalm. 93 v. 12: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* & Psalm. 3 v. 1: *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.*

Objectiones.

130 Obj. 1. Beatus a non Beato jam distinguitur per lumen gloriæ, quod est prima radix omnium ad beatitudinem pertinentium: ergo beatitudo formalis consistit in lumine gloriæ, vel alio dono speciali, quo potentia rationalis evehitur ad cognitionem, & amorem beatificum. Conf. Potest res aliqua possideri ante omnem usum illius, & operationem possidentis, modo detur plena potestas utendi re

re, & operandi circa illam; atqui per lumen gloriæ DEUS jam ita ponitur in potestate Beati, ut illo possit uti, & omnia commoda, & fructus percipere: ergo. Resp. Dist. ant. Per lumen gloriæ Beatus distinguitur a non beato radicaliter, conc. ant. formaliter, neg. ant. Licet lumen gloriæ sit radix visionis, & amoris fruitivi, nondum tamen formaliter satiat intellectum, & voluntatem. Ad conf. dist. maj. Potest res ante usum & operationem possideri physice, & imperfecte, conc. maj. intentionaliter, & perfecte, neg. maj. Sicut possessio civilis in actu secundo non acquiritur sine rei apprehensione ficta vel vera; sic multo magis ad possessionem intentionalem operatio requiritur. e. g. spectaculum aliquod tunc primum perfecte, & in actu secundo possidemus, quando illud oculis usurpamus.

Dices 1. Etiam per cognitionem, & amorem 131
DEUS non perfecte possidetur. Nam cognitio DEI posset dari, etiamsi objectum non existeret; amor vero tantum fertur in bonum secundum se, prout præscindit a præsentia illius: imo per amorem voluntas potius exit a se, & ab objecto amato trahitur, quam ut illud possideat. Conf. Charitas in via, & in patria inter se non differunt, sed habent idem objectum materiale, & formale; atqui charitas in via non constituit beatitudinem: ergo. Resp. Neg. ant. Cum cognitio Beatorum sit visio intuitiva DEI præsentis, & existentis, ac essentialiter vera, ex sua speciali ratione existentiam objecti indispensabiliter requirit. Pariter licet amor in genere a præsentia objecti præscindat, non potest ita præscindere amor fruitivus, qui suum objectum tanquam præsens amplectitur, atque hic ipse amplexus, & inclinatio voluntatis ad objectum est possessio affectiva DEI. Ad conf. neg. maj. Nam imprimis charitas in patria est longa perfectior, quam charitas in via. Dein juxta Ulloam, aliosque essentialiter præsupponit visionem intuitivam DEI, quæ

in conſideratione Theologica ſpecie differt a cognitione in via tantum ænigmatica.

132 Dices 2. Ex una parte bona ſenſibilia tantum poſſidentur per cognitionem e. g. pulchritudo per viſionem, amœna muſica per auditum: ex altera parte etiam in ſpiritualibus amor jam ſupponit rem poſſeſſam, & eſt potius uſus poſſeſſionis, quam poſſeſſio: ergo. Conf. Damnatio non conſiſtit in actibus vitalibus, neque malum culpæ, aut pœnæ fit noſtrum per cognitionem; alias malum etiam poſſideretur a DEO. Reſp. Antecedens quoad primam partem a pluribus negari, ſi tamen verum eſſet, tunc ideo, quia potentiæ ſenſitivæ non habent alium modum poſſidendi ſua objecta, quam per cognitionem. At rationalis appetitus poteſt ſuum objectum etiam poſſidere per amorem, qui objectum tantum ſupponit poſſeſſum uno genere poſſeſſionis; hinc videtur eſſe uſus incluſus in ipſa ſubſtantia beatitudinis. Ad conf. Damnatio non conſiſtit in poſſeſſione, ſed potius in privatione DEI, ex cognitione hujus privationis, & inde reſultante triſtitia damnati plurimum torquentur. Hinc etiam malum culpæ, & pœnæ fit noſtrum per cognitionem, non quidem qualemcunque, ſed repræſentantem objectum ut nobis malum, afflictivum, nocivum &c. qualem cognitionem de malo DEUS non habet.

133 Obj. 2. Beatitudo formalis eſt gaudium, & delectatio de poſſeſſione finis ultimi: ergo non conſiſtit in ipſa poſſeſſione DEI. Ant. prob. Quia gaudium iſtud eſt finis viſionis, & amoris beatifici, & habita iſta delectatione appetitus rationalis plene quieſcit. Conf. Ad beatitudinem non ſufficit, ut aliquis videat DEUM, ſed etiam debet cognoſcere, ſe DEUM videre, amare, ac viciſſim a DEO amandum eſſe in omnem æternitatem. Reſp. Neg. ant. Beatitudo formalis eſt quidem gaudium, & delectatio exercita de ipſo DEO, identificata cum amore fruitivo; gau-

gaudium vero & delectatio consequens ac reflexa, quam Beatus de possessione finis ultimi tanquam sibi bona habet, immediate tantum versatur circa aliquid creatum, & pertinet ad amorem concupiscentiæ. Unde habita ista delectatione appetitus rationalis tantum quiescit arguitive, neque visio, & amor beatificus illam habent pro fine, sed hæc ipsa delectatio per amorem benevolentiæ rursus ad DEUM ordinatur. Ad conf. dist. ant. Ista requiruntur ad beatitudinem tanquam conditiones, applicationes, vel proprietates consequentes, conc. ant. tanquam partes constitutivæ, neg. ant. Nam omnes isti actus tantum versantur circa objecta creata, quæ non constituunt beatitudinem objectivam.

Dices. Licet Beatus a non beato formaliter di- 134
stinguatur per visionem DEI, & hæc visio prærequiratur ad amorem, tamen amor potest constituere beatitudinem: ergo illam etiam potest constituere delectatio reflexa, aliæque conditiones. Conf. Beati non possunt videre DEUM, quin in ipso etiam videant creaturas, & sicut viatores viso effectu petunt videre illius causam, ita Beati visa causa prima petunt videre ejusdem effectus. Resp. Trans. ant. neg. conf. Disparitas est, quia Beatus non solum per visionem, sed etiam per amorem ipsam beatitudinem objectivam possidet; sicut ergo visio non est tantum medium ad amorem, sed simul finis quo, propter se summe æstimabilis; sic amor non tantum videtur esse effectus aut proprietas beatitudinis, sed simul partialis beatitudo una cum visione Beatum a non beato adæquate distinguens. Ad conf. dist. ant. Quin in DEo videant creaturas tanquam aliquid connexum cum beatitudine objectiva, conc. ant. tanquam intrinsecum illius constitutivum, neg. ant. Alias etiam objectum beatitudinis Divinæ constitueretur per aliquid creatum, quia DEUS etiam se ipsum non potest videre, quin videat creaturas, quas tamen Beati ad summum

videre petunt in ipſo DEO, nihil ſoliciti, ut easdem intuitive videant in ſe ipſis.

135 Obj 3. Viſio beatifica, & amor beatificus non excludunt omnem dolorem, & triſtitiam; nam Chriſtus fuit triſtis usque ad mortem, ſenſitque graviſſimos dolores, & angores, licet jam habuerit viſionem intuitivam DEI, & amorem beatificum. Conf. Summum gaudium non poteſt ſtare cum triſtitia, & dolore: ergo. Reſp. Diſt. ant. Non excludit omnem dolorem, & triſtitiam radicaliter, & connaturaliter, neg. ant. ſemper formaliter, & pro omni caſu ſupernaturali, conc. ant. DEUS per beatitudinem formalem ex affectu benevolentiæ ſe perfecte communicat Beatis; repugnat autem perfectæ amicitiæ, ut amicus amicum vexari patiatur ſine lucro, & ſpe perfectæ tranquillitatis, ipſumque gaudium ex viſione DEI reſultans in corpus, & omnes potentias animæ redundat. Poſſet nihilominus DEUS per miraculum huic naturali exigentiæ quoad aliquod tempus contravenire; unde ſi Beatus aliquis ſupernaturaliter ad breve tempus, & majorem gloriam acquirendam cruciaretur, vere adhuc foret eſſentialiter beatus, quamvis non poſſideret beatitudinem etiam integraliter, & accidentaliter perfectam, qualem defacto Beati poſſident. Ad conf. diſt. ant. Naturaliter, conc. ant. ſupernaturaliter, neg. ant. Summum gaudium non excludit eſſentialiter dolorem corporis, & triſtitiam ex alio motivo, & de alio objecto conceptam.

136 Dices. Beati in cœlo poſſunt dolere propter neglectos gradus gloriæ; nam jactura boni ſumme æſtimabilis eſt materia magnæ triſtitiæ, ob quam animæ in purgatorio fortaſſis maxime cruciantur. Conf. qui habent majorem gloriam in cœlo, gaudent de augmento gloriæ; ergo reliqui dolent de carentia majoris gloriæ. Reſp. neg. ant. Rationem additam diſt. Eſt materia magnæ triſtitiæ in via, conc. in patria, neg. Quamvis jactura unius gradus gloriæ ſum-

ſumme æſtimabilis ſit tum in ſe, tum reſpectu bonorum naturalium, nihilominus quælibet intenſio, & majoritas gloriæ eſt quid exiguum reſpectu gaudii beatifici ſubſtantialis, quod in quolibet Beato adeo exuberans eſt, & ita omnem triſtitiam abſorbet, vel potius impedit, ut quivis omnimode ſe conformet Divinæ prædeſtinationi, & DEI beneplacitum proprio commodo infinities anteponat. Declarat rem Haunoldus exemplo Patriarchæ Jacob, qui præter omnem ſpem intelligens, Joſephum ſuum adhuc vivere, tantam inde concepit lætitiam, ut eo tempore nihil prorſus curaſſet exiguum damnum domeſticum e. g. jacturam aliquot ovicularum. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Immenſitas gaudii cœleſtis debet quidem excludere triſtitiam, at non quodlibet gaudium accidentale, quod potius beatitudinem auget, quam minuit.

Quæres. In quonam ergo conſiſtit eſſentia phyſica beatitudinis formalis? Reſp. Triplicem hic eſſe Auctorum ſententiam. 1. Thomiſtæ cum Bellarm. & Valquez illam conſtituunt in ſola viſione intuitiva, quia per illam Beatus a non beato jam diſtinguitur, & ipſa voluntas radicaliter ſatiatur, in quantum viſio eſt radix amoris; ſicut ergo conceptus DEI: Ens a ſe juxta multos tantum debet arguitive, & radicaliter involvere reliquas perfectiones DEI, ſic ad eſſentiam beatitudinis putant ſufficere, quod illa intellectum ſatiet formaliter, & voluntatem radicaliter. 2. Ex oppoſito Scotiſtæ ſtant pro ſolo amore, tum quia ſola voluntas beatitudinem formaliter meretur, tum quia amor videtur operatio omnium nobiliſſima, & meta noſtra deſiderii, ad quem ipſa viſio ordinatur, & in quo Beatus perfectiſſime quieſcit. 3. At de facto communior Recentiorum cum Suario contendit, beatitudinem formalem phyſice conſtitui ex complexo viſionis, & amoris. Sicut enim tam intellectus, quam voluntas eſt potentia appetitus rationalis in ſuo genere primaria, quæ per proprium ſuum actum immediate in DEUM tendere, & beatificari poteſt: 137

ita beatitudo essentialiter debet esse satietas formalis utriusque potentiæ.

138 Accedit, quod tali modo optime concilientur textus Scripturæ, & Patrum, dicendo, quod in visione, & amore seorsim sumptis constituant beatitudinem inadæquatam, in complexo autem adæquatam, vel, ut Gormaz loquitur, in visione beatitudinem expressivam, in amore affectivam, in utroque totam. Quod si aliquando totum visioni adscribere videantur, non debent intelligi de visione mere speculativa, & arida, sed dulci & conjuncta cum amore. Porro quando DEUS dicitur ens a se, tantum definitur essentia DEI metaphysica; in qua, ut Patroni hujus definitionis volunt, non debent explicite poni omnia prædicata essentialia, hic autem quæritur de essentia physica, & partibus physice constituentibus beatitudinem, inter quas non minus locum habet amor, quam visio. Scotistas quod attinet, sicut voluntas potest mereri pœnam sibi, & aliis potentiis, quibus abutitur, ita etiam sibi, & intellectui potest mereri beatitudinem. Neque novum quid est, quod una pars totius sit nobilior altera, aut ad alteram compartem præsupponatur; desiderium vero nostrum fertur tam in visionem, quam in amorem, & per neutrum seorsim sumptum totus appetitus satiatur immediate, & formaliter; sed intellectus per amorem solum arguitive, voluntas vero per visionem solum præsuppositive.

QUÆSTIO III.

An beatitudo debeat esse perpetua?

139 Duplex perpetuitas beatitudinis considerari potest, realis, & formalis. Realis consistit in duratione æterna visionis, & amoris beatifici, quam Scriptura tum alias sæpe, tum Matth. 25 v. 46 clare asserit. *Ibunt hi in supplicium æternum; justi autem*

autem in vitam æternam; quæ verba de æternitate simpliciter dicta accipienda esse, consentiunt omnes Patres, & contra Origenem definitum est in synodo V & VI. item in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. cap. firmiter de summ. Trinit. Perpetuitas formalis est cognitio, qua certo cognoscitur, beatitudinem semper esse duraturam. Hunc quoque defacto dari, nemo dubitat; hinc S. Aug. libr. 11 de Civit. cap. 32 ait: *Angelos sanctos de sua sempiterna felicitate securos, & certos esse, nemo ambigat*; idem autem est de hominibus beatis. Itaque solum controvertitur, an perpetuitas tam realis, quam formalis oriatur ex sola libera voluntate, & decreto DEI, an vero ex natura rei ita, ut visio, & amor beatificus ex suis prædicatis intrinsecis exigant perpetuam conservationem, & certam hujus cognitionem.

Dicendum 1. Beatitudo formalis est necessario, & ex natura sua realiter perpetua. Ita cum S. Thoma communior. Probatur. Beatitudo formalis ex natura sua debet perfecte satiare appetitum rationalem, & excludere omnem dolorem, anxietatem, & miseriam; atqui hoc non faceret, nisi ab intrinseco esset perpetua. Cum enim creatura rationalis maximum habeat desiderium retinendi beatitudinem, utpote bonum suum maximum, hoc desiderium neutiquam satiaretur, si beatitudo non esset ex natura sua perpetua; imo Beatus potius afficeretur summo dolore, & anxietate, ne forte tantum bonum perdat. Quippe sicut finis malorum est præsens in perpessione solatium, ita finis bonorum est præsens in illorum possessione tormentum, & quidem eo acerbius, quo majora bona sunt amittenda. Neque dicas, Beatos nescire, vel saltem non cogitare de defectibilitate suæ beatitudinis. Nam sic beatitudo non satiaret ratione sui, sed præcise ratione erroris, vel inadvertentiæ, quæ esset maximum malum intellectus, & immanis stupiditas, cum utique nihil stultius esse possit, quam non curare, nec cogitare 140

de amissione summi boni. Hinc S. Aug. lib. 3 de Trinit. cap. 38 nostram conclusionem suse probat, & tandem concludit: *Nullo modo igitur esse potest vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna.*

141 Dicendum 2. Beatitudo ex natura sua debet etiam esse perpetua formaliter. Probatur, ut supra; quia, nisi Beati certo cognoscerent, beatitudinem fore æternam, non satiarentur, sed anxii timerent, ne aliquando illa excidant, cum sit bonum tam æstimabile, ut vel sola prudens suspicio illam amittendi non possit non summopere affligere, quin hæc afflictio absorberi, aut impediri possit præsentia cujuscunque alterius boni, ut iterum clare indicat S. Aug. de Civit. Libro enim 10 cap. 3 de vita Beatorum ait: *Non erit beata, nisi secura.* & lib. 12 cap. 13: *Quomodo enim vera beatitudo est, de cujus nunquam æternitate confiditur, dum anima venturam miseriam aut imperitissime in veritate nescit, aut infelicissime in beatitudine pertimescit.* Nempe sicut damnatis certitudo de æternitate suarum miseriarum est maximum tormentum, ita certitudo de æternitate felicitatis Beatis maximum affert gaudium. Quod si illi finem sperare, isti vero timere possent, damnati secundum quid essent feliciores, quam Beati; nam sperans est secundum quid felicior, quam timens.

Objectiones.

142 Obj. 1. Aliqui Beati jam in hac vita habuerunt visionem intuitivam DEI, & amorem beatificum, ut multi docent de B. Virgine, Moyse, Paulo, & quibusdam aliis Sanctis, & tamen hæc visio non fuit æterna: ergo beatitudo realis non debet esse intrinsece perpetua. Conf. Comprehensor est perfecte beatus in quolibet instanti; atqui in nullo instanti datur æternitas. Resp. Omitto ant. dist. cons. Non debet esse perpetua, vel potius continua physice, conc. ant. moraliter, neg. ant. & cons. Licet beatitudo quoad breve

breve tempus interrumperetur, hæc interruptio respectu æternitatis se haberet instar puncti ad lineam infinitam; hinc modo Beatus sciret, beatitudinem sibi denuo reddendam, & dein semper duraturam esse, plene satiaretur, præsertim si hoc cederet ad majus meritum. Interim teste Lorino melior pars Theologorum negat, quod ullus viator DEUM proprie viderit intuitive; cum DEUS ipse Moysi Exodi 33 v. 20 dixerit: *Non poteris videre faciem meam; non enim me videbit homo, & vivet.* & 1 Joann. 4 v. 12 dicatur: *DEUM nemo vidit unquam.* Unde sancti illi probabilius tantum habuerunt specialissimam aliquam contemplationem DEI, quæ juxta phrasin Scripturæ, & communem modum loquendi etiam visio vocatur. Quod si tamen daretur visio DEI sine cognitione perpetuitatis, non esset beatifica. Ad conf. dist. maj. In quolibet instanti est perfecte beatus intensive, conc. maj. extensive, neg. maj. & suppositum, quod beatitudo extensiva simul dari possit, aut debeat.

Dices. Visio, & amor beatificus sunt ens creatum: 143
sed nullum ens creatum potest essentialiter exigere durationem perpetuam; alias daretur creatura essentialiter indestruibilis. Conf. Si beatitudo formalis necessario esset æterna, ipse Beatus fieret essentialiter indestruibilis: ergo. Resp. conc. maj. dist. min. Nullum ens creatum potest essentialiter exigere durationem perpetuam sui quoad individuum, trans. min. quoad speciem, neg. min. Si DEUS quodlibet determinatum individuum libere potest destruere, indefectibilitas nulli individuo est intrinseca, sed DEUS de singulis liberrime disponit, adeoque indefectibilitas tantum quod speciem non præjudicat perfecto DEI dominio. Ad conf. dist. ant. Beatus fieret essentialiter indestruibilis intrinsece, & ex natura sua, neg. ant. extrinsece propter exigentiam alterius, nempe suæ beatitudinis, con. ant. & neg. conf. Quod aliquid creatum possit essentialiter

exigere·

exigere indestruibilitatem alterius rei, patet ex actu fidei, qua creditur æternitas animæ rationalis; cum enim talis actus sit supernaturalis, & essentialiter verus, essentialiter exigit durationes perpetuas, & indestruibilitatem animæ.

144 Obj. 2. Vel Beatus cognosceret perpetuitatem suæ beatitudinis per ipsam visionem beatificam, vel per aliam cognitionem? non primum, alias hæc numero visio, utpote essentialiter vera, esset indestruibilis: non 2dum, alias beatitudo formalis non consisteret in sola visione, & amore DEI. Conf. Beatus debet perpetuitatem beatitudinis non tantum cognoscere vage, & imperfecte, sed ea ratione, qua futura est; hoc enim pertinet ad ejus statum. Resp. conc. maj. dist. min. quoad 1 membrum. Hæc numero visio esset indestruibilis, si repræsentaret se ipsam in individuo semper duraturam, conc. min. si tantum repræsentat aliquam visionem in specie semper duraturam, neg. min. Dummodo Beatus certo cognoscat, aliquam visionem disjunctive semper exstituram, plene de sua felicitate securus est. Ad conf. Multi dicunt, cognitiones esse essentialiter fluentes, ut adeo nulla in individuo possit videri perpetua; juxta alios potest quidem manere, & manet eadem visio, sed ad statum beatitudinis non est necessarium, ut determinate suam perpetuitatem repræsentet, licet forte hoc Beatus per aliam cognitionem cognoscat. Porro vagus ille, & disjunctivus repræsentandi modus tantum est imperfectio negativa, neque Beatus proprias suas actiones, quas eliciet, aliter cognoscit; alias clare cognosceret infinita.

145 Dices. Quod cognoscitur per visionem beatificam, est beatitudo objectiva; sed perpetuitas beatitudinis non est beatitudo objectiva; alias illa partialiter consisteret in aliquo creato. Conf. Juxta nos visio DEUM non tantum repræsentaret ut bonum sibi, sed etiam ut bonum nobis, in quantum nos vult æternum beare: ergo

ergo non tantum amor amicitiæ, ſed etiam amor concupiſcentiæ conſtitueret beatitudinem, & ipſe amor beatificus amaret DEUM, ut nobis bonum. Reſp. diſt. maj. Quod cognoſcitur per viſionem beatificam tanquam objectum immediatum, & directum, eſt beatitudo objectiva, trans. maj. quod tantum cognoſcitur tanquam objectum mediatum, & indirectum, neg. maj. Æternitas beatitudinis objectivæ identificatur cum ipſo DEO; æternitas vero beatitudinis formalis conſiſtit in perpetua duratione viſionis, & amoris beatifici: hæc ſufficienter a Beato poteſt videri, modo immediate, & directe cognoſcat decretum Divinum de conſervanda ſemper beatitudine; ſic enim perpetuitas jam etiam mediate, & in obliquo cognoſcitur. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. DEUS per viſionem etiam repræſentatur tanquam nobis bonus, ut amor amicitiæ poſſit elici ſine anxietate, & timore; amor autem concupiſcentiæ potius pro fine habet ipſum hominem, & ad ſummum eſt conditio ad beatitudinem formalem requiſita.

Obj. 3. Beatus per viſionem, & amorem beatificum ita abripitur in DEUM, ut nihil cogitet de futuro: ergo ſine cognitione perpetuitatis eſt perfecte ſatiatus, ſicut Rex contentus eſt Regia dignitate, etſi non cognoſcat æternum duraturam. Conf. Triſtitia, & anxietas, quam Beatus poſſet concipere ex jactura beatitudinis, abſorbetur per viſionem, & ineffabile gaudium de bonis infinitis DEI, ſicut per illud abſorbetur triſtitia de neglecta majore gloria. Reſp. neg. ant. Teſte experientia nihil a nobis prius, aut magis anxie cogitatur, quam utrum bonis acquiſitis diu liceat frui, & alias beatitudo non ſatiaret ex propria ſufficientia, & perfectione, ſed mere per accidens ob inadvertentiam. Dignitas Regis nec omnem anxietatem excludere debet, nec plene ſatiat, & quando Reges cogitant, ſe mori debere, multum minuitur oblectatio de Regia poteſta-

146

te.

te. Ad conf. neg. paritatem; tum quia carentia majoris gloriæ est tantum privatio boni indebiti, adeoque de se non mala, tum quia excessus majoris gloriæ est bonum finitum, cujus carentia facile potest tolerari in possessione æterna boni infiniti; At beatitudo quoad substantiam est bonum quasi infinitum, & ratione perfectæ amicitiæ cum DEO debitum, cui nulla visio, aut gaudium temporale potest comparari.

147 Dices: Beatus incomparabiliter magis amat DEUM per amorem amicitiæ, quam se ipsum per amorem concupiscentiæ: ergo erit perfecte contentus per hoc, quod videat, DEUM fore æternum felicem; sic enim jam satiatur affectus amicitiæ. Conf. Beatus cognoscens, suam beatitudinem aliquando esse cessaturam, se perfectissime conformaret voluntati Divinæ, præsertim si postea acquireret beatitudinem naturalem, & cognitionem DEI abstractivam valde perfectam. Resp. conc. ant. neg. conf. cum ratione addita, quia amicus inseparabiliter vult adhærere amico etiam per affectum amicitiæ; hinc durissima accidit amicorum separatio. Unde amor amicitiæ DEUM, & Beatum simul respicit tanquam affective unum, DEUM scilicet, & ejus bonum principaliter, Beatum vero, & ejus bonum secundario, & mediate. Ad conf. dist. ant. Se conformaret voluntati Divinæ simpliciter, conc. ant. sine gravi dolore, neg. ant. DEUS ipse velle non potest, ut intimus amicus sine dolore ferat separationem a summo bono, & ultimo fine, vel saltem a statu altissimo redeat ad incomparabiliter inferiorem; hinc Ulloa ait, talem dicturum DEO illud Psalm. 101 v. 11: *Elevans allisisti me.*

148 Quæres I. An perpetuitas sit pars constitutiva beatitudinis formalis, vel tantum conditio essentialiter ad illam requisita? Resp. Quamvis multi, & graves Doctores existiment, perpetuitatem tam realem, quam formalem esse partem constitutivam beatitu-

titudinis formalis, eoquod perfecta satietas non videatur posse concipi, nisi concipiatur ut firma, stabilis, perpetua, & certa, ut indicare videtur S. Augustinus locis citatis: nihilominus forte plures docent, totam substantiam beatitudinis formalis consistere in visione, & amore DEI, perpetuitatem vero tantum esse conditionem, & modum, quo beatitudo firmiter, & inseparabiliter Beato applicetur. Nam perpetuitas realis tantum est duratio, & extensio beatitudinis, perpetuitas autem formalis beatitudinem jam videtur præsupponere; de hoc enim Beatum reddit certum, & securum, per neutram autem perpetuitatem DEUS intentionaliter possidetur. Ego hanc litem, tanquam exercitationem pro rite cognoscenda regula partis Philosophis decidendam reliquo.

Quæres 2. An, & quomodo Beati sint impeccabiles? Resp. Sicuti certum est, quod Beati debeant esse expertes omnis peccati tam actualis, quam habitualis, quia in civitatem cœlestem *non intrabit aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium.* Apoc. 21 v. ult. sic fides contra Origenem docet, Beatos non amplius peccare posse. Unde S. Augustinus libr. 3 contra 2 epist. Pelag. cap. 7 ait: *Hic præceptum est, ut non peccemus, ibi præmium est, non posse peccare.* Exigit hoc ipsa natura beatitudinis. Nam 1 visio clara DEI tanquam boni puri, & infiniti necessitat voluntatem ad amandum DEUM: ergo necessario impedit omnem actum cum hoc amore incompossibilem. 2. Beatitudo ex natura sua debet excludere omnem dolorem, & miseriam, quia ibi *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra,* Apoc. 21 v. 4; atqui peccatum est magna miseria, & causa doloris. 3. Nisi Beati cognoscerent, se non amplius posse peccare, non essent securi de perpetuitate beatitudinis: ergo sicut beatitudo ex natura sua debet esse perpetua, sic etiam Beatos debet reddere impeccabiles. 149

biles. Ex quibus ulterius colligitur, beatitudinem etiam excludere omnem ignorantiam positivam, & errorem, qui esset maximum malum intellectus.

DISPUTATIO II.

De statu damnatorum, & animarum in Purgatorio.

150 Quemvis hominem statim in fine vitæ a Christo judicari, & vel æternis pœnis, vel Purgatorio, vel cœlesti patriæ adjudicari, ut ibi pro diversitate meritorum diversa tormenta, aut præmia recipiat, manifeste patebit ex dicendis & probatur ex verbis Ecclesiastici cap. 11 v. 28: *Facile est coram DEO in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas*; quæ exhortatio ad bona opera inefficax esset, si tantum de possibilitate, & non de actu retributionis intelligeretur; hinc inferius vers. 29 additur: *In fine hominis denudatio operum ejus.* Consentiunt SS. Patres, Chrysost. Gregor. & apertissime S. Aug. dum lib. 2 de anima cap. 4 ait: *Illud rectissime, & salubriter credi, judicari animas, dum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari.* Ratio congrua juxta S. Thomam 3 p. q. 59 a 5 est, quia quilibet homo est singularis quædam persona, & pars totius humani generis, unde duplex ei judicium convenit, unum singulare, aliud universale: per primum statuitur retributio animæ, per alterum etiam corpori.

151 Porro cum sententia Judicis, quam quisque in judicio particulari accipit, sit ipsa decreti Divini manifestatio, quo cuilibet sua finalis retributio statuitur, animæ mox de sua æterna felicitate, vel miseria certæ redduntur. Imo hæc etiam cognoscunt ab effectu, & ex principiis fidei, juxta quæ animæ plene purgatæ statim admittuntur

ad

ad cœlum, damnatæ vero ſtatim detruduntur in infernum, ubi nulla ſpes, nulla DEI dilectio, ſed horrendæ blasphemiæ, cum tamen animæ in purgatorio evidenter experiantur, ſe diligere DEUM, deteſtari peccata, & ſperare malorum finem. Pariter ex fide ipſis conſtat, ſe nihil amplius mereri, aut demereri, nec in jure ad gloriam creſcere, aut decreſcere poſſe; nam tempus merendi, & demerendi in morte finitur; & poſtquam finalis ſententia lata eſt, nulla amplius dantur opera, de quibus poſtea judicamur, ut teſtatur communis Eccleſiæ, & SS. Patrum ſenſus, ac ipſa Scriptura ſæpius monet. *Dum tempus habemus, operemur bonum*, ad Galat. 6 v. 10. *Venit nox, quando nemo poteſt operari*, Joann. 9 v. 4. *Quia tempus non erit amplius*. Apoc. 10 v. 6.

His veritatibus catholicis varii opponuntur er- 152
rores, quorum aliqui in hac diſputatione confutandi ſunt. Pytagoras, Lucianus, Cicero, Plinius, &c. pœnas inferorum tanquam falſa terriculamenta deludebant, quos ſecutus eſt Hermannus Riſwick, & Albigenſes, dicentes, nihil eſſe Paradiſum, neque infernum, ſed qui habent cognitionem DEI in ſe, habere ipſum paradiſum, qui vero habent mortale peccatum, habere infernum, ſicut dentem putridum in ore. His addi poteſt Origenes; nam licet veram beatitudinem, & pœnas inferni admiſerit, negavit tamen illas eſſe æternas, ſed poſt certas annorum revolutiones omnium impiorum hominum, ipſorumque Dæmonum tormenta finem habitura. Eandem hæreſin ſectantur Sociniani, impie arbitrantes, juſtum non fore DEI judicium, ſi creaturas ob unum lethale peccatum æternis pœnis addiceret.

Pœnas purgatorii primo e medio tollere conati 153
ſunt Albanenſes, dein ſæculo XII Petro Bruſiani a Petro de Bruis, & Henriciani a quodam Henrico Theoloſano ſic appellati, ſæculo XIII Pſeudo-Apoſtoli, denique Calvinus, & Lutherus, juxta quem omnia peccata purgantur in hac vita per hor-

rorem mortis, & ipsam mortem. Unde omnes isti hæretici tanquam inutiles, vel etiam superstitiosas rejiciunt orationes, Missas, aliaque suffragia pro defunctis. Specialem opinionem de purgatorio edidit Thomas quidam Anglus in suo opusculo de medio animarum statu, in quo asserit, ignem purgatorium nullum alium esse, quam ultimam mundi conflagationem. Interea animas, quibus aliquid purgandum superest, dolere quidem, & angi, nec DEUM visuras esse, postea vero omnes illarum maculas hoc igne fore abstergendas, dum econtra Origenes tempus purgatorii etiam ultra diem universalis resurrectionis extendit.

QUÆSTIO I.

An animæ in statu peccati mortalis decedentes statim amandentur ad infernum?

154 Quemadmodum DEUS statim ab initio mundi præparavit cœlum empyreum, in quo præmiarentur merita justorum, ita juxta S. Gregor. lib. 15 Moral. cap. 17, Rupert. lib. 9 de Spirit. sanct. cap. 21, & Hugo a S. Victore lib. de Sacram. p. 1 cap. 10 statim præparavit carcerem inferni, in quo punirentur delicta impiorum, non solum pœna damni, seu privatione æternæ beatitudinis, sed etiam pœna sensus, & ignis, de quo plura dixi Part. 1 a num. 74. Pœna damni respectu omnium est æqualis, cumque damnatis nihil remittatur culpæ, etiam pœna sensus nunquam remittitur, saltem respectu peccatorum mortalium, quæ in hac vita quoad culpam nunquam fuerunt remissa. Nihilominus hæc pœna est inæqualis pro diversitate peccatorum; nam *DEUS reddet unicuique secundum opera ejus*, ad Rom. 2 v. 6. Existimant tamen multi, etiam damnatos puniri infra condignum, quia *Universæ viæ Domini misericordia*, Psalm. 34 v. 10, & *DEUS non continebit*

tinebit in ira sua misericordias, Psalm. 76 v. 10, *sed Miserationes ejus supra omnia opera ejus*, Psalm. 144 v. 9.

Dicendum. Animæ in peccato mortali dece- 155
dentes statim ad infernum amandantur. Ita definiit concilium Florentinum in decreto Unionis his verbis: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas*; quippe Psalm. 48 v. 15 dicitur: *Sicut oves in inferno positi sunt*. Num. 16 v. 33 de Dathan, & Abiron narratur: *Descenderunt vivi in infernum* Luc. 16 v. 22 de divite epulone: *Mortuus autem est dives, & sepultus est in inferno*. In quibus textibus per infernum non tantum sepulchrum, ut quandoque in Scriptura fit, sed in sensu proprio locum damnatorum intelligendum esse, colligitur tum ex contextu, tum ex mente SS Patrum, qui nostram conclusionem passim, ac clarissime tradunt. Sic S. Aug. lib. 13 de Civit. cap. 8 ait: *In requie sunt animæ piorum a corpore separatæ, impiorum autem pœnas luunt*. S. Greg. Mag. lib. 4 Dial. cap. 28: *Sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat*. S. Hilar. ad Psalm. 2: *Excipit impios statim ultor infernus, & decedentes de corpore confestim de via justa peribunt*. Conf. DEUS post peccatum non pepercit Angelis, sed illos statim detrusit in infernum: ergo etiam animas in peccato mortali decedentes statim in infernum præcipitat.

Objectiones.

Obj. 1. Ecclesia pro defunctis orat, ne in ex- 156
tremo die judicii in infernum mittantur: ergo decedentes in peccato mortali non statim amandantur in infernum. Ant. patet ex his, & similibus precandi formulis: *Dum veneris judicare terram, noli me condemnare; Libera me Domine de morte æterna in die illa*

tremenda; A porta inferi erue animas eorum, & libera eas de ore Leonis, ne absorbeat eas Tartarus. Conf. Si animæ statim judicarentur in morte, superfluum esset judicium universale. Resp. conc. ant. neg. conf. Quando Ecclesia pro defunctis in gratia postulat liberationem a pœnis inferni, refert suas preces ad illud instans, quo animæ e corpore migrarunt, ferme sicut in festis Incarnationis, Natalis, Passionis Domini ita orat, ac si tunc deberet Christus incarnari, nasci, pati, &c. Dein etiam in universali judicio feretur sententia, & sæpe funduntur preces etiam pro iis rebus, quas certo sumus accepturi, denique per tales orationes simul petitur liberatio a pœnis purgatorii. Ad conf. Judicium universale adhuc servit tum ad ostendendam misericordiam, & justitiam DEI, ad gloriam Christi, tum ad laudem bonorum, & ignominiam malorum.

157 Dices 1. Ex una parte juxta Apostolum ad Rom. 2 v. 6 DEUS in judicio universali *reddet unicuique secundum opera ejus*, quod ideo dies justi judicii vocatur: ex altera parte anima, & caro simul operantur bonum, & malum: ergo una non debet puniri ante alteram. Conf. S. Greg. lib. 4 Dial. cap. 36 refert, cujusdam Stephani mortui sententiam alteri per extasin visam adhuc pendere; & libr. 4 Revelat. S. Birgittæ cap. 8 introducitur Angelus de quadam anima dicens, se non intelligere, utrum post purgatorium ventura sit in requiem, an vero sit damnata. Resp. conc. ant. neg. conf. Ultimum judicium vocatur dies Domini, & judicii, quia dies illa ad hoc instituta est, ut DEUS cuilibet mercedem suam det publice, & manifeste; cum vero anima principaliter ad opera bona, vel mala concurrat, & separata capax sit pœnæ vel præmii, nil obstat, quo minus statim puniatur. Ad conf. Ille Stephanus, de quo S. Gregorius, rursus fuit revocatus ad vitam, adeoque sententia finalis nondum

dum fuerat in illum pronunciata. Quod a S. Birgitta additur, ad providentiam extraordinariam pertinet, nisi potius tota revelatio sit supposititia.

Dices 2. Quod Lucæ 16 de epulone divite 158 narratur, tantum est parabola, & solum continet narrationem futurorum: ergo. Conf. Quando Eccles. cap. 11 dicitur, in die obitus cuique reddi præmium, vel pœnam, nondum dabatur visio DEI: ergo solum indicatur, quod tunc animæ accipiant certam cognitionem de præmio, vel pœna futura. Resp. Trans. ant. nam S. Ambros. Hieron. & Augustinus apud Cornel. a Lapide in hunc locum dicunt, esse historiam, quia in ea ponuntur nomina propria Lazari, & Abrahæ. Neg. conf. cum Dives v. 27 dicat: *Rogo te Pater* (Abraham) *ut mittas eum* (Lazarum) *ad fratres meos*; & Abraham v. 29 respondeat: *Habent Moysen, & Prophetas*, non significatur res futura post universale judicium, ubi nulli amplius erunt homines in mundo: ergo significatur res præterita, vel præsens. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Sed Ecclesiasticus indicat, post mortem dari pœnam vel remunerationem, quæ pro temporum diversitate haberi poterat, nempe ante cœlum reseratum requiem justis dari solitam, nunc autem cœlum, & veram felicitatem.

Obj. 2. Angeli damnati nondum torquentur 159 igne infernali, sed in extremum judicii diem reservantur: ergo etiam animæ impiorum. Ant. prob. Quia Matth. 8 v. 29 Dæmones dicunt Christo: *venisti ante tempus torquere nos*; Matth. 25 v. 41 in extremo judicio dicetur malis: *Discedite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo*; & 1 ad Cor. 6 v. 3 Apostolus ait: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus.* Conf. Quia necdum omnes Dæmones sunt in inferno, sed multi supra terram vagantur. Resp. neg. ant. Textus allati non loquuntur de pœna Dæmonum principali, seu accidentali, quatenus Christus eorum vim, & potestatem in homi-

nes plurimum reſtrinxit, & in ultima plublica damnatione ipſis omnis poteſtas electis nocendi auferetur, ubi non ſolum a DEO, ſed etiam ab hominibus judicandi ſunt, & cum maxima confuſione eorum malitia, fraudes, & debilitas manifeſtabuntur. Ad conf. Sicut Angeli boni etiam, dum apud nos ſunt, ſemper vident faciem Patris, & hac ratione Matth. 18 a Chriſto in cælis eſſe dicuntur, ita Dæmones, etiam dum ſupra terram vagantur, pœnas inferni ſuſtinent, &, ut Beda in cap. 3 epiſtolæ S. Jacobi loquitur, ubique ſuam gehennam circumferunt.

160 Dices tamen non pauci ex SS. Patribus, uti Juſtinus, Irenæus, Epiphan. Euſebius, &c. aſſerunt, Dæmones non torqueri pœna gehennæ ante ultimum judicium. Conf. S. Ambroſius libr. de Cain, & Abel. cap. 2 ait: *Solvitur anima corpore, & poſt finem vitæ hujus adhuc futuri judicii ſuſpenditur ambigua.* Similia habet S. Cyprianus. Reſp. cum Bellarmino de Sanct. Beatit. lib. 1 cap. 6, hos Patres deſerendos eſſe ob auctoritatem Scripturæ, aliorumque Patrum, Ambroſ. Aug. Hieron. Gregor. &c. qui noſtram tenent ſententiam, & quando eidem adverſari videntur, ſolum volunt, Dæmones poſt extremum judicium miſeriores fore, & pœnarum ſuarum complementum habituros, acceſſione pœnarum accidentalium, de quibus numero ſuperiore dixi. Sane Dæmones non ſunt melioris conditionis, quam animæ damnatæ, & illas in inferno torquent; cur ergo non etiam ipſi pœnis ſubjecti ſint? Ad conf. diſt. ant. Suſpenditur ambigua quoad judicium vitæ, vel mortis æternæ, neg. ant. quoad modum, & tempus pœnæ adhuc exſolvendæ, vel quoad tempus extremi judicii, quod etiam Beati ignorant, conc. ant. & neg. conſ.

QUÆSTIO II.

An pœnæ inferni ſint æternæ?

Quod de æternitate inferni dicturi ſumus, proportionaliter etiam intelligi debet de limbo puerorum, qui ſine Baptiſmo ex hac vita deceſſerunt. Quamvis enim ſolum ob peccatum originale ibi detineantur, & nulla pœna ſenſus affici videantur, ſunt tamen in ſtatu immutabili, in quo nec per propria merita gratiam acquirere, nec a fidelibus juvari poſſunt; hinc Eccleſia pro illis non orat, & multo minus pro damnatis, quos fides Divina docet, ſalvari non poſſe. Adde, quod neque illi, neque iſti ſint membra Eccleſiæ, eidem per gratiam & charitatem in Chriſto conjuncta, ut adeo in inferno ne quidem ulla pœnarum mitigatio ſperanda ſit, ut colligitur ex S. Luca cap. 16, ubi cum dives damnatus rogaſſet Abrahamum, ut mittat Lazarum, qui extremum digiti in aquam intingat, & ejus linguam refrigeret, repulſam paſſus eſt, & nec minimum refrigerium, aut ſolatium illi fuit conceſſum. 161

Dicendum. Pœnæ damnatorum ſunt æternæ. 162
Eſt de fide, nam Marci 9 v. 42: *Gehennæ ignis* dicitur *inextinguibilis.* Iſai. 66 v. 24: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Apoc 20 v. 10: *Cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.* Matth. 25 v. 46: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam,* qui modi loquendi ſatis indicant, æternitatem hic ſumi pro duratione nunquam habitura finem, prout etiam conſtat ex traditione, & perpetuo Eccleſiæ ſenſu. Certe in hoc ſenſu Concilium Lateranenſe IV cap. firmiter, dixit: *Reprobos cum Diabolo pœnam perpetuam recepturos eſſe* In eodem Tridentinum ſeſſ. 6 damnatorum pœnas vocat *æternas*, & ſeſſ. 14 Can. 5 ait: *Per peccatum contrahi amiſſionem æternæ Beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum.* In eodem denique

 ſenſu

ſenſu paſſim locuti ſunt Patres. e. g. S. Leo ſerm. 4 de collectis: *Quis iſtam ſortem æternorum cruciatuum non paveſcat? quis mala nunquam finienda non timeat?* S. Aug. libr. 24 de Civit. c. g. *Quod de ſempiterno ſupplicio dammnatorum DEUS per Prophetam ſuum dixit, fiet omnino, & vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

163 Probatur concluſio etiam ratione congrua. Ex una parte quodvis peccatum mortale eſt gravis offenſa Majeſtatis Divinæ infinitæ: ex altera parte quælibet offenſa, ſaltem proportione geometrica creſcit juxta dignitatem perſonæ offenſæ: ergo quodvis peccatum mortale eſt malum ſecundum quid infinitum, & dignum pœna ſecundum quid infinita. Sicut enim culpa, ſic etiam pœna juxta dignitatem perſonæ taxatur, & majori ſupplicio dignus eſt, qui alapa percutit Principem, quam quemvis alium. Unde ſicut DEUS omnes creaturas dignitate ſuperat, ſic gravis ejus offenſa meretur pœnam omni finita majorem; cum igitur quælibet pœna temporalis mere finita ſit, peccatum mortale meretur pœnam, ſaltem extenſive infinitam, & in hoc vel maxime conſiſtit miſerrimus damnatorum ſtatus, quod certo ſciant, ſe nunquam eſſe liberandos. Conf. Ex S. Thoma quæſt. 99 ſupplement. Art. 1. Sicut ſe habet præmium ad meritum, ita pœna ad culpam, ſed ſecundum Divinam juſtitiam merito temporali debetur præmium æternum. *Omnis, qui videt Filium, & credet in eum, habet vitam æternam*, Joann. 6 v. 40: ergo etiam culpæ temporali ſecundum Divinam juſtitiam debetur pœna æterna.

Objectiones.

164 Obj 1. Quæ in Scriptura de æternitate pœnarum dicuntur, ſunt tantum minæ, & comminationes; ſicut quando Ninivitis fuit prædicta everſio. Nam Pſalm. 76 v. 10 habetur: *Nunquid obliviſcetur miſe-*

misereri DEUS, aut continebit in ira sua misericordias suas. Psalm. 202 v. 9: *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.* Jacob 2 v. 13: *Superexaltat misericordia judicium.* Conf. Apostolus ad Rom. 11 v. 32 ait: *Conclusit DEUS omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Isaias autem cap. 24 v. 22: *Congregabuntur in locum, & post multos dies visitabuntur.* Resp. neg. ant. Quando DEUS in hac vita intentat supplicia, intelligi potest conditio, nisi agatur pœnitentia, quæ post mortem non amplius fructuose agi potest, nec a damnatis in malo obstinatis agetur; hinc textus additi loquuntur de vita præsenti, in qua DEUS, præsertim erga pœnitentes, misericordiam suam exercet. Ad conf. S. Paulus per omnes non denotat omnes homines, sed omnes nationes, id est, tam gentes, quam Judæos, quos permisit cadere in infidelitatem, ut postea confusi medium requirerent, & invenirent. In altero textu τὸ Visitare sumitur in malam partem pro punire, sicut alias sæpius e. g. Isai. 26 v. 14: *Visitasti, & contrivisti eos.*

Dices. Saltem fideles, maxime misericordes, 165
possunt sperare redemptionem ex inferno. Nam 1 vita æterna promittitur omnibus credentibus, & manducantibus carnem Christi; hinc Apostolus 1 ad Cor. 3 v. 15 de fidelibus ait: *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* 2. Juxta S. Matth. cap. 25 Christus in ultimo judicio discrimen Electorum a reprobis faciet ex solis operibus misericordiæ; hinc Tob. 4 v. 11 dicitur: *Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Resp. neg. ant. S. Paulus ad Galat. 5 recensens opera carnis tam fideles, quam infideles perpetuo a regno DEI excludit; & 1 ad Cor. 13 v. 3 ait: *Si destribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Unde vita æterna illis solum promittitur, qui habent fidem vivam, & carnem Christi

manducant utiliter, ac in gratia moriuntur; & de his loquitur Paulus ad Cor. 3 per ignem intelligens tribulationes hujus vitæ, aut purgatorium. S. Matthæus vero eleemoſynæ meminit, tum ut ex iſto exemplo colligamus, quale examen futurum ſit de rebus gravioribus. Tum quia eleemoſyna diſponit hominem ad pœnitentiam, liberat a reatu pœnæ, cuſtodit a peccatis futuris, & majorem gloriam promeretur in cœlo.

166 Obj. 2. S. Auguſtinus lib. 21 de Civit. cap. 24 ait, *Quod facta reſurrectione mortuorum non deerunt, quibus poſt pœnas impertiatur miſericordia, ut non mittantur in ignem æternum*; & cap. ultimo, *Quibusdam defunctis non ſufficere ſua merita, niſi aliorum meritis miſericordiam conſequantur.* In Enchirid. autem cap. 110 dicit, *Preces Eccleſiæ defunctis, quibus proſunt, aut ad hoc prodeſſe, ut ſit plena remiſſio, aut certe tolerabilior fiat damnatio.* Conf. Theophilact. in caput 12 Lucæ dicit: *Non enim ſemper, qui moriuntur peccatores, mittuntur in gehennam, ſed ſunt in poteſtate DEI, ut etiam dimitti poſſint propter oblationes, & diſtributiones, quæ fiunt pro defunctis.* Similia habent S. Gregor. Nyſſen. & Ambroſius, apud Petav. lib. 3 de Angel. cap. 8. Reſp. S. Auguſtinus ſolum vult, quod aliquorum animæ in purgatorio detentæ usque ad generalem reſurrectionem non ſint conſecuturæ miſericordiam, & beatitudinem, niſi aliorum ſuffragiis juventur, per quæ ſi antea non plene liberentur, ſaltem mitigationem pœnarum obtineant. Ad conf. Theophilactus forte poteſt exponi de peccatis quoad culpam jam in vita remiſſis. Opera Gregorii teſte Germano, & Photio hac in parte ab Origeniſtis corrupta ſunt. Ambroſ. in Pſalm. 118 obſcure quidem loquitur, ſed lib. de lapſu virginis clare pœnarum æternitatem adſtruit.

167 Dices. S. Hieronymus in 1 Dial. contra Pelagianos ait, *Non eſſe ferendum, quod in die judicii omni-*

omnibus peccatoribus interdicatur misericordia DEI; Christianos enim, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas. Hinc textus scripturæ, quibus damnatorum supplicium exprimitur, in alium sensum detorquet, vel de solis infidelibus explicat, addens, *Aliud esse gloriam perdere non resurgendi, aliud perire perpetuo.* Conf. Idem Sanctus, postquam errorem Origenis retulit, subdit: *Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ sententiam.* Resp. Quia Pelagius per peccatorem intellexit omnem, qui cujuscunque peccati reus est, per Justum vero illum solum, qui ab omni omnino peccato immunis est; S. Hieronymus merito dicere potuit, non omnes peccatores damnandos esse, sed Christianos, etiamsi in peccato veniali præventi sint, post pœnas purgatorii esse salvandos, cum aliqua loca Scripturæ a Pelagio citata non probent pœnam æternam, vel certe non intelligenda sint de omnibus peccatis etiam levibus. Porro aliud esse perdere gloriam illam eximiam, quæ eximie sanctis debetur, aliud perpetuo perire. Ad conf. Iste locus vel loquitur de Christianis in purgatorio, vel solum vult, illos in inferno puniri infra condignum; nam S. Doctor in caput 3 Jonæ refutat Origenem, & pœnarum æternitatem in multis aliis locis clare adstruit.

Obj. 3. Pœna non debet excedere culpam; sed 168
pœna æterna excederet culpam, tum quia peccatum tantum est temporaneum, tum quia unum est gravius altero, & magis puniri debet; hinc Marci 12 v. 40 de scribis dicitur: *Accipient prolixius judicium.* Conf. DEUS punit infra condignum, & τὸ æternum in Scriptura sæpe tantum significat tempus valde longum: imo licet ignis sit æternus, ideo supplicia non debent esse æterna: ergo. Resp. conc. maj, neg. min. Proportio supplicii non debet desumi ex mora, sed ex gravitate culpæ; non enim, ut advertit

vertit S. Aug. lib. 21 de Civit. cap. 11; quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur, sed quandoque perpetuo carcere, vel exilio; quod longe magis locum habet in damnatis, in quibus culpa semper manet, unde peccatum gravius tantum debet puniri prolixius intensive. Ad conf. Si DEUS punit infra condignum, id debet intelligi de pœnæ intensione; nam Scriptura dicit, ipsa supplicia fore æterna, quod autem τὸ æternum hic sumatur stricte pro tempore sine fine, patet ex probationibus.

169 Dices. Si proportio supplicii desumi debet a gravitate culpæ, etiam peccatum veniale posset in æternum puniri, utpote offensa infinitæ Majestatis; imo anima deberet annihilari, quia homo peccavit contra DEUM Auctorem. Conf. Justus Judex pœnam non vult propter se ipsam, sed propter aliquam utilitatem, nempe ad correctionem aliorum; sed ex pœna damnatorum nulla utilitas potest intendi: ergo. Resp. Peccatum veniale in damnatis juxta multos in æternum puniri, saltem per accidens; de justis vero, neg. ant. cum enim veniale sit tantum offensa levis, non tollens amicitiam cum DEO, homo stante illo retinet gratiam sanctificantem, & manet dignus felicitate æterna, adeoque non potest esse simul dignus pœna æterna. Quamvis, autem per peccatum grave mereatur in nihilum redigi, hæc pœna non est illi debita, quia per illam potius commeritum supplicium effugeret. Ad conf. conc. maj. neg. min. Equidem pœnæ non sunt ad correctionem damnatorum, qui penitus a fine ultimo, & amicitia Divina rejecti sunt; servit nihilominus illorum determinatio ad corrigendos, & absterrendos illos, qui adhuc vivunt. Dum vero actu infliguntur, per illas exercetur justitia Divina, DEO propter se ipsam acceptabilis; hinc etiam Electi de his pœnis gaudent, juxta illud Psalm. 57 v. 11: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam.*

Quæres.

Quæres. An saltem de providentia DEI extraordinaria pœnæ damnatorum quandoque finiantur? Ratio dubitandi est, quia quandoque homines improbi, ac ethnici a mortuis resuscitati sunt. Sic S. Petrus teste Egesippo resuscitavit affinem Cæsaris ethnicum. S. Agnes teste Maximo filium Præfecti in actuali peccato mortali a Diabolo necatum. S. Thecla a S. Damasceno in oratione de mortuis dicitur ex inferno liberasse Flaconillam fœminam paganam, & S. Gregorius Trajanum, eo quod proficiscens ad bellum Scythicum equo disilierit, ut viduæ de occiso filio conquerentis causam cognosceret. Idem de Trajano asserunt Petrus, & Joannes Diaconus, Euchologium Græcorum, revelationes S. Birgittæ, & Mechtildis. Resp. nihilominus negative. Tum quia non est ratio adstruendi exceptionem a lege generali per sacram Scripturam, & traditionem sufficienter promulgata: tum quia alias quilibet damnatus salutem sperare, & alii pro ipso orare possent. Hinc si quidam impii ad vitam resuscitati sunt, dicendum est, eos nondum fuisse damnatos, sed sententiam suspensam, & interim punitos esse secundum præsentem suam injustitiam; ut docet S. Thomas in 4 sentent. Dist. 45 q. 2 Art. 2. 170

Quod Trajanum attinet, nullus Scriptorum veterum, qui res ab eo gestas accuratissime scripserunt, de impensa viduæ hac misericordia meminit; Scriptores quoque Latini de Gregorii precibus pro Cæsare fusis altum silent, & ipse Gregorius libr. 34 Moral. cap. 13 expresse docet, *pro damnatis tam parum esse orandum, quam pro Diabolo.* Porro Auctores in contrarium supra citati in ipsa specie facti valde dissentiunt; & 1 testimonium S Damasceni est suppostitium, scatet enim multis erroribus, & *Neminem, qui in Christum crediderit, periturum*, affirmat, cum tamen ipsemet libr. de fide cap. 4 doceat, *Quod hominibus mors est, hoc Angelis exstitisse lapsum, postquam præclusa sit omnis resipiscendi facultas* 171

cultas. 2. Joannes Diaconus non nititur actis authenticis Ecclesiæ Romanæ, sed quibusdam Anglicis, vel ipsius judicio obscuris; testimonium vero Petri, quod Ciaconius ex Vaticano profert, redolet novitatem, continet inepta, aitque, *Gregorium insuper a DEO petiisse, ut nullus Christianus, sepeliendus ad S. Andreæ in clivo Scauri damnetur.* 3. Euchologia Græca a tempore schismatis multis erroribus sunt depravata, & fundantur Pseudo Joanne Damasceno. 4. S. Birgittæ non dicitur revelata liberatio Trajani ex inferno, sed pœnæ mitigatio; testimonium vero S. Mechtildis potius esset contrarium; neque istæ revelationes aliter approbatæ sunt, quam quatenus nihil continent Ecclesiæ doctrinæ adversum. Vid. P. Schwarz part. 5 Colleg. histor. q. 7 sect. 2.

QUÆSTIO III.

An animæ in gratia decedentes, quibus adhuc aliquid luendum superest, detineantur in purgatorio?

172 Controversia præsens cum hæreticis consistit in eo, utrum detur aliquis locus, in quo animæ Justorum post mortem detineantur, donec justitiæ Divinæ plene satisfecerint, vel pro aliqua pœna temporali, quæ ipsis post condonatam in hac vita culpam solvenda restat, vel pro venialibus quibusdam noxis, illis, dum vivebant, non remissis. Locus hic vocatur Purgatorium, & est juxta communem Catholicorum carcer quidam obscurus, in quo omnes animæ purgantes congregatæ præter pœnam damni, qua ab ingressu in cœlestem patriam retardantur, & resultantem inde tristitiam, etiam gravissimis pœnis sensus, & vero igne torquentur, ita, ut ejusmodi pœnæ juxta SS. Patres August. Hilar.

Hilar. Anſelm. &c. omnes cruciatus temporales longe ſuperent; non tamen reſpectu omnium ſunt æquales, ſed pro diverſitate reatus diverſæ, ſaltem quoad durationem. Hinc Eccleſia ſentit, animas e purgatorio ad beatitudinem ſucceſſive tranſire, ut etiam notat S. Aug. lib. 83 quæſt. q. 1 dicens: *Quanto magis, minusve tranſeuntia dilexerunt, tanto brevius, tardiusve ſalvabuntur; nam quanta fuerit peccati materia, tanta erit tranſeundi mora.*

Dicendum: Animæ juſtæ, quibus aliquid luendum ſupereſt, detinentur in purgatorio. Eſt de fide, & probatur 1 Auctoritate Scripturæ, quæ multis in locis hanc veritatem aſſerit; ſic Act. 2 v. 24 de Chriſto dicitur: *Quem DEUS reſuſcitavit ex mortuis, ſolutis inferni doloribus.* Unde S. Aug. epiſt. 99 ad Evodium colligit, Chriſtum reſurgentem multos liberaſſe e purgatorio; nam Patres in limbo non cruciabantur doloribus; ex inferno autem damnatorum nulla eſt redemptio. Ad Philipp. 2 v. 10 Apoſtolus ait: *Ut in Nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum;* quo loco iterum utitur S. Aug. lib. 12 de Gen. cap 3, quia damnati non venerantur nomen Jeſu. Denique, ac præcipue ipſe Chriſtus Matth. 12 v. 32 dixit: *Qui dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc, neque in futuro ſæculo:* ergo ſupponit, dari aliqua peccata, quæ in futuro ſæculo remittuntur; non quæ merentur adhuc pœnam æternam: ergo promerita pœnam temporalem purgatorii, ut cum S. Auguſt. lib. 21 de Civit. cap. 24, & Bernard. Homil. 66 in Cant. arguit Greg. Magn. lib. 4 Dial. cap. 39 his verbis: *In qua ſententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc ſæculo, quasdam in futuro poſſe laxari.* 173

Prob. 2 Auctoritate Eccleſiæ. Concilium Trident. ſeſſ. 25 ſpeciale decretum de purgatorio edidit, poſtquam jam ſeſſ. 6 præmiſit hunc canonem 30. *Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam, cui-* 174

libet

libet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum pœnæ deleri dixerit, ut nullus permaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit. Concil. Florent. in decreto unionis ait: *Si vere pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatorii post mortem purgari*; quæ eadem verba continentur in professione fidei, quam Clemens IV obtulit Michaeli Paleologo, & in litteris, quas Gregorius X in Concilio Lugdunensi a Græcis accepit, qui etiam postmodum tum in Concilio Constantinopolitano sub Parthenio, anno 1642, tum in Hierosolymitano sub Dositheo, anno 1672, tanquam hæreticos damnarunt, qui cum Calvino purgatorium, & suffragia pro fidelibus defunctis negant. Accedit consensus SS. Patrum tam Græcorum, quam Latinorum, & perpetua traditio apud Bellarminum de purgat. cap. 10.

175 Probatur 3 Ratione. Ex una parte justi non raro ex hac vita decedunt cum uno, vel pluribus peccatis venialibus, neque peccata mortalia remisso reatu culpæ ipsis etiam sunt remissa quoad omnem reatum pœnæ temporalis: ex altera parte ad æquitatem Divinæ justitiæ pertinet, ut nemini præmium beatitudinis concedat, nisi plene prius solvat pro peccatis: ergo datur purgatorium, seu locus, in quo residuæ maculæ, & debita peccati exsolvuntur. Ant. quoad 1 membr. patet partim ex dictis, partim ex eo, quia contingere potest, ut quis in ipsa morte leviter peccet, vel moriatur, antequam plene pro pœna temporali satisfecit. Quod autem remisso reatu culpæ mortalis maneat reatus temporalis, manifestum est exemplis. Sic Adamus absolutus a culpa Gen. 3 v. 19 audire debuit: *In sudore vultus tui vesceris pane*; Davidi 2 Reg. 12 v. 13 post dimissum peccatum adulterii Propheta dictavit

pœnam,

pœnam, videlicet futuram infantis mortem. De populo Israelitico Num. 14 v. 20, & seqq. dicitur: *Dimisi juxta verbum tuum* (peccatum populi) *attamen non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum.* 2dum membrum definitum est a Concilio Trident. & Florent. nihil enim coinquinatum potest intrare in regnum cœlorum; hinc Matth. 5 v. 26 dicitur: *Dico tibi, non exies inde,* (e purgatorio) *donec reddas novissimum quadrantem.*

Objectiones.

Obj. 1. Scriptura tantum admittit duos status mortuorum, nempe justorum, qui statim DEO fruuntur, & impiorum, qui torquentur in inferno, ut colligitur ex sententia Christi Matth. 25, & cap. 11 Ecclesiastis, ubi v. 3 dicitur: *Si ceciderit lingnum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Conf. In ultimo die judicii statim omnes vel in infernum, vel in cœlum mittuntur, etsi in hac vita pro peccatis non plene satisfecerint: ergo. Resp. dist. ant. Tantum admittit duos status stabiles, & perpetuos, conc. ant. universim tantum duos, neg. ant. Quanquam ad ordinem salvandorum sine dubio etiam pertineant illi, qui post mortem ad tempus purgantur. S. Matthæus loquitur de sententia in extremo judicio proferenda: Ecclesiastes vero de morte corporali; vel ad summum vult, quod anima post vitam non amplius possit amittere, vel acquirere gratiam Divinam, sed vel in statu Divinæ amicitiæ, vel inimicitiæ mansura sit. Certe Patres veteris Testamenti post mortem non semper manserunt in eodem statu. Ad conf. neg. ant. Nam prius omnes justi erunt purgati, vel per ignem purgatorii, vel per ignem ultimæ conflagrationis, compensante gravitate pœnæ, quod deerit diuturnitati temporis, ut advertit S. Thomas q. 74 suppl. art. 8 ad 5. 176

177 Dices 1. Qui moriuntur in gratia, ſtatim veniunt in cœlum; dicuntur enim eſſe *In manu DEI, In pace, In refrigerio, Non tangi tormento mortis &c.* hinc Apoc. 14 v. 13 dicitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus, opera enim illorum ſequentur illos.* Conf. S. Paulus 2 ad Cor. 5 v. 1 ait: *Si domus terrenæ noſtræ habitationis diſſolvitur, habemus domum non manu factam æternam in cœlis:* ergo. Reſp. neg. ant. Animæ juſtorum, quæ purgantur, ſunt *In manu DEI*, quia in tutiſſima DEI cuſtodia, a qua nemo illas poteſt extrahere, ſunt *In pace*, & dormiunt ſomnum pacis, quia de vita beata ſecuræ, ſunt *In refrigerio*, quia non patiuntur æſtum tentationum; licet hoc refrigerium necdum ſit adeo plenum, ut fuit apud Patres in limbo. Textus additus vel loquitur de requie a laboribus hujus vitæ, vel potius de requie poſt extremum judicium, de quo S. Joannes toto illo capite agit. Ad conf. S. Paulus ſolum aſſerit, domum cœleſtem non patere ante mortem, ſed poſt illam, *Si tamen*, ut ſubdit, *veſtiti, & non nudi inveniamur;* ita videlicet, ut ſimus ab omni macula, & debito peccati immunes.

178 Dices 2. Juſti poſt mortem non judicantur; nam Joann. 3 v. 18 dicitur: *Qui credit, non judicatur.* Joann. 5 v. 24: *Qui verbum meum audit, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſit a morte in vitam.* ad Rom. 8 v. 1: *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt de Chriſto Jeſu.* Conf. Pſalm. 126 v. 3 legimus: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini:* ergo inter mortem juſtorum, & hæreditatem non intercedit purgatorium. Reſp. neg. ant. Primi textus ſenſus eſt: qui credit, non condemnabitur, ſi etiam cætera, quæ ad ſalutem requiruntur, præſtet. Textus ſecundus agit de judicio extremo, ubi juſti reſurgentes non ſubjacebunt damnationi, ſed a morte ad vitam tranſibunt. In textu 3tio S. Paulus diſputat de concupiſcentia, & vult dicere, quod illi, qui ſunt

gra-

gratia Christi muniti, non consentiant motibus carnis, & nihil peccati ex illis contrahant. Ad conf. neg. conf. Psalmista juxta S. Augustinum tractat de generali resurrectione, aitque, cum per corporalem mortem dormierint omnes Electi, continuo apparebit hæreditas Christi, nempe ipsi Electi in gloria resurgentes.

Obj. 2. Post remissam culpam peccatorum mor- 179
talium nulla remanet pœna: ergo non debet pro illis satisfieri in purgatorio. Ant. prob. Quia Ezechielis 18 v. 21 dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et cap. 33 v. 12: *Impietas impii non nocebit ei, in quocunque die conversus fuerit ab iniquitate sua.* Conf. Christus abunde satisfecit pro peccatis nostris: ergo a nobis nulla amplius potest exigi satisfactio; alias nobis plus nocuisset Adamus, quam Christus profuit. Resp. neg. ant. DEUS post pœnitentiam non recordatur impietatum, nec illæ nocebunt impio, in quantum DEUS illas non puniet pœna æterna, imo nequidem temporali, si talis sit pœnitentia, quæ plene satisfaciat Divinæ Justitiæ. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Quamvis Christus abunde pro nobis satisfecerit pretio sanguinis sui, illud nobis debet applicari per Sacramenta, & bona opera, quæ quidem omnem valorem habent a meritis Christi, attamen necessaria sunt juxta illud ad Rom. 8 v. 17: *Cohæredes Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Hinc merita Christi non sunt ita absolute, & moraliter nobis propria, sicut peccatum Adami, nec omne malum per illud nobis illatum statim auferunt, alias etiam deberent auferri omnia mala temporalia. Ex quibus solum sequitur, quod Adamus nobis nocuerit magis immediate, & absolute.

Dices 1. Sicut se habet peccatum mortale ad 180
æterna supplicia, sic se habet charitas ad æterna præmia: sed qui moriuntur in mortali, nullum præ-

mium bonorum operum recipiunt: ergo a pari; cum DEUS longe pronior ſit ad præmiandum, quam ad puniendum. Conf. Chriſtus Luc. 23 v. 43 latroni in monte converſo dixit: *Hodie mecum eris in Paradiſo*: ergo converſio cordis perfecta ſufficit ad ſalutem ſine ſatisfactione pœnali. Reſp. neg. maj. DEUS pronior eſt præmiandum, quam puniendum, ſi cætera ſint paria; hic vero paria non ſunt. Nam bonum non ſit perfecte bonum ex qualibet virtute, ſed ex integra cauſa, ſeu vinculo, & unione omnium; propterea qui in charitate moriuntur, poſſunt cum illa habere aliquid mali, quod adhuc pœna dignum eſt. At malum ſit abſolute malum ex quolibet vitio, quod ſi grave ſit, omnia opera bona mortificat, ut nihil amplius in altera vita mereantur, quia talis peccator nihil habet, unde DEO poſſit eſſe gratus. Ad conf. conc. ant. diſt. conſ. Si converſio ſit tanta, ut omnem reatum peccati deleat, conc. conſ ſecus neg. conſ. Pœnitentia latronis fuit extraordinaria, & in illis circumſtantiis valde ardua, aut certe habuit ſpeciale privilegium a Chriſtó, qui tunc actu redemptionem noſtram operabatur.

181 Dices 2. Per baptiſmum delentur omnes pœnæ pro peccatis: ergo etiam per Sacramentum pœnitentiæ. Conf. Reatus pœnæ, & culpæ non diſtinguuntur realiter: ergo ſublato hoc aufertur & iſte. Reſp. conc. ant. neg. conſ Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis, & innovatio ſpiritualis creaturæ, pœnitentia vero eſt Sacramentum ſanationis, in quo majores ex parte pœnitentis diſpoſitiones requiruntur, eoquod peccatum poſt baptiſmum commiſſum gravius ſit, ut docet Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 2 & 8, ac Apoſtolus ad Hebr. 10 v. 26 dicens: *Voluntarie peccantibus poſt acceptam veritatem non relinquitur hoſtia pro peccatis*; ſcilicet alter baptiſmus, per quem cum culpa rémittatur omnis pœna, niſi præſtetur debita ſatisfactio. Ad conf. Aliqui concedunt antecedens, & dicunt, remiſſo reatu culpæ gravis

gravis remanere adhuc reatum culpæ levem, proportionatum pœnæ temporali: Alii negant antecedens, quamvis enim reatus pœnæ ex culpa oriatur, & culpa creſcente creſcat, quia tamen a reatu culpæ non dependet in conſervatione, non debet eodem modo decreſcere, ſicut reatus culpæ; ſicut e. g. vulnus non ſtatim curatur, quando auſertur gladius, licet ſit effectus gladii, & eo majus, quo major fuit gladius.

Obj. 3. Peccata venialia poſt mortem non poſ- 182
ſunt remitti quoad culpam; tunc enim anima jam eſt in termino, & nullum peccatum remittitur ſine pœnitentia. Conf. Quando Chriſtus dixit, peccata in Spiritum ſanctum neque in hoc, neque in futuro ſæculo remitti, tantum voluit dicere, quod hoc peccatum nunquam remittatur; comparat enim illud cum graviſſimis peccatis mortalibus. Hinc S. Lucas cap. 12 v. 10 ſimpliciter dicit: *Non remittitur*; & S. Marcus cap. 3 v. 29: *Non habebit remiſſionem in æternum.* Reſp. Neg. ant. Anima, poſtquam a corpore ſeparata eſt, optime cognoſcit ſtatum ſuum, & habet auxilium efficaciſſimum, ut eliciat ferventem actum dilectionis DEI, & contritionem perfectam omnium præcedentium culparum; cum igitur nondum omnino ſit in termino, hic actus pœnitentiæ, licet proprie non ſit meritorius novæ gratiæ, aut gloriæ, ſufficit ad delendas culpas veniales, vel ſtatim omnes in inſtanti ſeparationis, ut vult Suarez, vel ſaltem ſucceſſive, ut docere videtur S. Thomas. Ad conf. neg. ant. Sicut inepte quis diceret: Neque in hoc ſæculo nubam, neque in futuro, quia in futuro nullæ ſunt nuptiæ, ſic inepta eſſet locutio Chriſti, ſi nullum peccatum in altero ſæculo remitteretur. Itaque tunc remittuntur mortalia quoad pœnam reſiduam, venialia autem etiam quoad culpam. S. Lucas vero, & Marcus juxta uſitatum apud Hebræos loquendi modum ſolum indicant, quod blaſphemia in Spiritum ſanctum difficulter remittatur.

183 Dices 1. Si culpa ſtatim dimittitur in inſtanti ſeparationis, venialia non amplius poſſunt puniri; nam pœna eſt tantum propter culpam, & alias exigeretur ſolutio debiti jam remiſſi. Conf. SS. Patres negant, requiri ſatisfactionem pro peccatis jam remiſſis; ſic S. Chryſoſt. in Pſalm. 50 ait: *Ubi miſericordia eſt, pœnæ non expetuntur.* S. Ambroſ. in cap 22 Lucæ: *Lachrymas Petri lego, ſatisfactionem non lego.* S. Auguſt. libr. 2 de peccat. cap. 34 dicit: *Hujus vitæ miſerias ante remiſſionem eſſe ſupplicia peccatorum, poſtea autem certamina, & exercitationes juſtorum.* Reſp. neg. ant. Quia pœna non ſolum eſt propter culpam præſentem, ſed etiam propter præteritam, & ſiquidem reatus culpæ diſtinguatur a reatu pœnæ, poteſt obligatio ad averſionem ſuſtinendam remitti, & peccator in gratiam recipi ea lege, ut adhuc ſuſtineat pœnam, quam fuit promeritus. Hinc ſolutio non exigitur pro debito, jam remiſſo plene, etiam quoad reatum pœnæ. Ad conf. neg. ant. S. Chryſ. ſolum indicat, quod tempore miſericordiæ pœnæ non expetantur ad ruinam, & perditionem peccatorum. S. Ambroſ. per ſatisfactionem intelligit excuſationem. S. Auguſt. ſolum vult, quod ejusmodi miſeriæ ante remiſſionem peccatorum gravium ſint puræ pœnæ, poſtea autem habeant rationem meriti.

184 Dices 2. Poteſt dici, quod juſti pro omni pœna ſatisfaciant 1. per ipſam mortem, 2. per fidem, & contritionem in morte elicitam, 3. per non imputationem. Conf. Poſſet contingere, ut aliquis moreretur cum ſolo peccato originali, & aliquo veniali; hic non poteſt puniri in purgatorio, quia juxta ſenſum Eccleſiæ omnes animæ ibi detentæ ſunt fideles, & poſſunt juvari ſuffragiis, neque poſſet puniri in inferno, quia ex illo nulla eſt redemptio. Reſp. neg. ant. Nam 1. mors ſecundum ſe eſt aliquid prorſus naturale, & in præſenti providentia tantum eſt pœna peccati originalis, quam omnes ſuſtinere debent

debent tam boni, quam mali, & magis rei ſæpe magis placide moriuntur, quam alii. 2. Multi moriuntur morte repentina, aut ſine uſu rationis, aut aliis rebus abſtracti ſine actuali fide, & contritione. 3. Ad hoc ut non imputetur peccatum, & remittatur omnis pœna, juxta ipſos Lutheranos requiritur fides actualis. Ad conf. dicit Suarius, vel DEUM hunc caſum non permiſſurum, vel ipſi non defore modos, aliaque loca illud peccatum puniendi. Alii putant, talem animam prius caſtigandam in purgatorio, poſtea vero tranſituram eſſe ad limbum puerorum.

Obj. 4. Eſt communis, & pervulgata ſenten- 185
tia SS. Patrum, poſt hanc vitam nullum relinqui locum ſatisfactioni, & emendationi. Sic S. Cyprianus ad Demetrian. ait: *Quando iſthinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus.* S. Gregorius Nazianz. orat. 15: *Satius eſt nunc caſtigari, ac purgari, quam ad Cruciatum illum transmitti, cum jam pœnæ tempus erit, non purgationis.* S. Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſ. 18: *Pœnitentiæ, & remiſſionis peccatorum tantum in hac vita tempus præſcriptum habemus:* ergo. Conf. Quia alias etiam damnati, ipſique Dæmones Divinæ Juſtitiæ ſatisfacere poſſent. Reſp. diſt. ant. Poſt hanc vitam nullum relinqui locum ſatisfactioni, & purgationi in ordine ad remiſſionem culpæ mortalis, & reatum pœnæ æternæ, conc. ant. in ordine ad remiſſionem culpæ venialis, vel pœnæ temporalis, ſubdiſt. nullum relinqui locum ſatisfactioni proprie tali, conc. ant. latius tali, quatenus etiam accipitur pro ſatispaſſione, neg. ant. & conſ. Quia ad remiſſionem culpæ mortalis, & ſatisfactionem proprie talem requiritur ſtatus viæ, utique defuncti non amplius proprie ſatisfaciunt; poſſunt nihilominus ſatispati, idque ad plenam peccatorum remiſſionem requiri, patet ex probationibus. Ad conf. Etſi Dæmones, cæterique damnati Divinæ juſtitiæ ſatisfaciant in hoc

 ſenſu,

ſenſu, quod pœnam commeritam ſuſtineant, id tamen ſit ſine ulla ſpe refrigerii, ſed ſicut ſemper remanet reatus culpæ mortalis, & pœnæ æternæ, ſic in æternum torquebuntur.

186 Dices 1. S. Auguſtinus lib. 2 de peccat. meritis cap. 33 expreſſe dicit, *Peccata hic remiſſa non obeſſe poſt vitam.* Lib. de Spirit. & lit. cap. 28, *Peccata venialia hominem juſtum non impedire a vita æterna* Tract. 49 in Joann. num. 10, *Requiem, quæ poſt mortem datur, tunc quemvis, ſi dignus ſit, accipere, cum moritur*; & Epiſt. 80 ad Heſych. *In eo noviſſimum diem aliquem comprehenſurum, in quo illum invenit ſuus noviſſimus dies.* Conf. Idem in Pſalm. 31 ait: *Si DEUS texit peccata, noluit advertere; ſi noluit advertere, noluit punire; ſi noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere.* & lib. 5 Hypognoſt. cap 5: *Tertium locum penitus ignoramus, imo nec eſſe in Scripturis ſacris invenimus.* Reſp. S. Auguſtinum per ejusmodi locutiones tantum velle, quod peccata venialia, & gravia hic dimiſſa non obſint quoad vitam æternam ſimpliciter obtinendam, & in ordine quoad gloriam, vel damnationem unumquemque talem futurum in ultimo judicio, qualem poſtrema vitæ dies illum invenerit; requiem autem ſtatim poſt mortem tunc dari, ſi aliquis ea dignus, & perfecte purgatus ſit. Ex textu in confirmationem addito plus non ſequitur, quam quod DEUS dimiſſa ſemel peccata non puniat pœna æterna; nam libr. 21 de Civit. expreſſe aſſerit, quædam peccata primum remitti in futuro ſæculo, imo libr. de hæreſ. cap. 53 Aereum ponit in numero hæreticorum, quod negaverit, pro defunctis orandum eſſe. In altero textu agit contra Pelagium, qui adſtruebat tertium locum pro parvulis non baptizatis, quos volebat fore beatos beatitudine naturali.

187 Dices 2. Saltem non eſt de fide, quod detur purgatorium; nam 1. Scriptura nunquam nominat purgatorium. 2. Eccleſia Græca in concilio Floren-

rentino huic dogmati diu restitit. 3. S. Augus. in Enchiridio cap. 69 aliisque in locis asserit, se habere opinione tantum incerta pœnas purgatorii esse. Resp. neg. ant. Licet Scriptura non utatur hac voce Purgatorium, ipsum significatum hujus vocis satis exprimit, præsertim si accedat declaratio Ecclesiæ. Dein, purgatorium esse, habemus ex definitionibus Conciliorum, & verbo DEI tradito, ex quo etiam fide Divina credimus peccatum originale esse in parvulis. 2. Græci, ut ex dictis, & Patribus Græcis constat, non dubitarunt de purgatorio quoad substantiam, sed tantum, utrum præter pœnam damni, & tristitiam inde resultantem, animæ purgantes etiam torqueantur igne. 3. S. Aug. pariter tantum dubitavit, an in purgatorio dentur, & puniantur certa quædam peccata, nempe nimius amor, & affectus erga temporalia, uxores, liberos &c. eo quod animæ sint formæ corporis, diu in corpore fuerint, & rursum appetant corpori conjungi.

Quæres. Quanto tempore duraturæ sint pœnæ 188 purgatorii? Resp. 1. Certum esse, quod non sint perpetuæ; hæc enim est differentia veluti essentialis inter purgatorium, & infernum, quod hic sit æternus, illud temporale. 2. Certum est, quod non sint duraturæ ultra extremum diem judicii, patet ex sententia finali Matth. 25, per quam omnes judicandi vel in beatitudinem recipiuntur, vel in gehennam relegantur. 3. Incredibile est, pœnas purgatorii in omnibus durare usque ad extremum diem judicii. Colligitur ex numero 172, & ratio ulterior est, quia videtur repugnare æquitati; & nimia inæqualitas, si vir sanctus cum levissimo reatu diu ante mortuus, tamdiu a beatitudine excluderetur. 4. Vicissim nullo sufficienti fundamento nititur sententia Soti, docentis, neminem ultra decennium in purgatorio detineri, & contrarium videtur supponere usus Ecclesiæ, tum in modo, & forma concedendi indulgentias plurium annorum, tum in

ſuffragiis pro defunctis in particulari. Hinc ab Alexandro VII damnata eſt propoſitio 43: *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos.* Neque mirabitur, quod DEUS ſuos amicos tanto tempore, & tam graviter puniat, qui conſideraverit malitiam peccati venialis, quod alias facile contemneretur.

QUÆSTIO IV.

An animæ in purgatorio poſſint juvari ſuffragiis Fidelium?

189 Per ſuffragia fidelium intelliguntur preces, eleemoſynæ, jejunia, & alia opera pia, ac pœnalia, præſertim Sacrificium Miſſæ pro animabus purgantibus a vivis oblata. De his quæritur, an proſint ad mitigationem, abbreviationem, vel omnimodam remiſſionem pœnarum, quas cæteroquin tales animæ ſuſtinere deberent, ſive dein hoc fiat ex opere operato, ut in Sacrificio Miſſæ, ſive ex opere operantis, ut in reliquis operibus piis. In quibus rurſus duplex modus opitulandi conſiderari poteſt; nam primo poſſunt ejusmodi opera pia animabus prodeſſe per modum meræ impetrationis, aut meriti congrui, vi cujus DEUS illis gratuito pœnas remittat. 2do. Per modum ſatisfactionis, in quantum DEUS pœnas pro peccatis ita taxavit, ut illas homo debeat vel in purgatorio ſuſtinere, vel ſatisfacere in vita, idque per ſe, aut per alios, qui ſua opera pro animabus offerunt, eaque per talem donationem ipſis propria faciunt; qui modus videtur eſſe præcipuus, & maxime ab hæreticis impugnatur.

190 Dicendum. Animæ purgantes poſſunt juvari ſuffragiis vivorum. Ita definitum eſt a Concilio Lateranenſi ſub Innocent. III cap. 66, & Florentino in decreto unionis; idemque docet Tridentinum ſeſſ. 25 in decreto de purgatorio. Probatur 1 aucto-

auctoritate Scripturæ. Christus Luc. 16 v. 9 dixit: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula;* quem textum S. Augustin. Hieron. & Ambrosius apud Bellarm. lib. 1 cap. 8 ita interpretantur: Facite eleemosynas pauperibus, qui vos adjuvent, cum ex hac vita exieritis, ut in æternam beatitudinem recipiamini. Judas quoque Machabæus, ut 2 Machab. cap. 12 refertur, *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Ex quo famoso facto, & Scripturæ testimonio clare patet veritas nostræ sententiæ, & quod jam in testamento veteri solenni ritu pro defunctis fuerit sacrificatum. Nempe Sacrificia pro mortuis comprehendebantur sub illis, quæ in die expiationis offerebantur pro peccatis totius populi, a quo non exciderant, qui pie obierunt.

Probatur 2 ex perpetua traditione, & praxi 191
Ecclesiæ. Nam quod in Ecclesia pro defunctis suffragia, & incruentum Missæ Sacrificium semper oblatum fuerit, testantur antiquissimi Patres tam Græci, quam Latini, nominatim Cyrill. Euseb. Chrysost. Cyprian. Ambros. Hieron. & S. August. ut ostendit Bellarm. lib. cit. cap. 10, & ipsi Novatores negare non audent; ideo fingunt, veteres tantum orasse pro defunctis ex naturali compassione, & ut gratum erga illos animum (ritu videlicet nil proficiente) significarent, cum tamen citati Patres expresse asserant, suffragia defunctis levamen, adjumentum, auxilium, &c. afferre, & in hunc finem mos iste in omnibus Ecclesiis receptus fuerit; ut de Ecclesia Africana constat ex Concilio Carthaginensi III, & IV, de Hispanica ex Bracharensi I cap. 34, de Gallica ex Cabillonensi distinct. 1 de consecr. can. Visum est; de Germanica ex Wormatiensi cap. 10, ubi de-

finitur, etiam pro suspensis in patibulo esse orandum, & sacrificandum; de Italica ex concilio VI sub Symacho, ubi dicitur sacrilegium fraudare animas defunctorum orationibus; de Ecclesia Græca denique ex synodis a Martino Bracharensi Episcopo collectis cap. 69. Adde, quod in omnibus Liturgiis Jacobi, Basilii, Chrysost. Ambros. oratio pro defunctis fiat.

192 Probatur 3 ratione congrua. Datur in Ecclesia juxta Symbolum Apostolorum quædam communio Sanctorum, vi cujus omnia membra Ecclesiæ vinculo charitatis inter se copulantur: ergo sicut in humano corpore omnia membra se invicem possunt juvare, juxta uniuscujusque indigentiam, & facultatem, sic etiam membra Ecclesiæ se invicem juvare possunt. *Membra autem corporis*, ait Apostolus 1 ad Cor. 12 v. 26, *pro invicem solicita sunt, & siquid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra;* atque hæc est vera radix, & causa, cur mortui viventium suffragiis, ac vicissim vivi Sanctorum in cœlo orationibus juventur, jure nimirum communionis, quæ est inter omnia Ecclesiæ membra, sive dein sint membra Ecclesiæ militantis in terris, sive triumphantis in cœlo, sive patientis in purgatorio; nam omnes tres sunt una eademque quoad substantiam Ecclesia, in eodem Christo tanquam capite unita, & tantum quoad modum diversa. Conf. Conclusio ex apparitionibus animarum, quæ se in purgatorio esse nunciarunt, & opem a vivis implorarunt, quas apparitiones cum viri gravissimi Gregor. Turonens. Petrus Damiani, Beda, S. Bernard. Gregor. &c. retulerint, immerito a Luthero, & Magdeburgensibus inter fabulas numerantur.

Objectiones.

193 Obj. 1. Juxta Scripturam pro mortuis nullum aliud est remedium, quam propria satispassio; nam ad Gal. 6 v. 5 dicitur: *Unusquisque onus suum portabit.*

tabit. & quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. 2 ad Cor. 5 v. 10: *Omnes manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Luc. 12 v. 59: *Non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Reſp. neg. ant. Textus objecti tantum volunt, quod quisque puniendus ſit non propter peccata aliena, ſed propria, & quod in ultimo judicio nemo aliorum ſuffragiis poſſit juvari, imo neque poſt mortem, niſi in vita meritus ſit, ut juvari poſſit, prout quilibet ſua perſeverantia meretur, ſi usque ad finem in Chriſto, & communione Eccleſiæ permaneat. Porro cum animæ in purgatorio nec proprie ſatisfacere, nec mereri poſſint, utique niſi ab aliis juventur, debent ſolvere noviſſimum quadrantem per ſatispaſſionem, ad quam nec ſtatus viæ, nec libertas requiritur; qui enim ex ſententia Judicis pœnas coactus luit, jam ſatispatitur.

Dices. S. Auguſtinus Sermon. 97 de Verbis 194 Domini ait: *Nihil te adjuvabit, quod hic non feceris.* S. Ambroſ. lib. 1 de Abraham: *Docemur, ut non diutius inhæreamus mortuis, ſed quantum ſatis eſt, officii deferamus.* S. Hieron. in textum Apoſtoli ad Galat. 6: *Cum ante tribunal Chriſti venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogare poteſt pro quopiam.* Similia habent alii Patres, Cyprian. Chryſoſt. Fulgent. qui paſſim docent, poſt mortem non amplius eſſe locum ſatisfactioni, purgationi, emendationi, &c. Reſp. S. Auguſt. ſolum vult, mortuos ſuffragiis non juvari, niſi jam in corpore meriti ſint, ut juvari poſſint. S. Ambroſ. loquitur de ſepultura Saræ, & de luctu, ac pompa funeris, quam vult eſſe moderatam, nec in longum tempus protrahi. S. Hieronymus agit contra Origenem, qui etiam impiis liberationem ex inferno promiſit. Similiter reliqui Patres de inferno loquuntur, ſive de remiſſione culpæ mortalis, de reatu pœnæ æternæ, de converſione cordis; nam alibi noſtrum dogma expreſſe tenent, ut jam quæſtione præcedente adverti.

Obj. 2.

195 Obj. 2. Liber Machabæorum non eſt Canonicus, tum quia non continetur in Canone Hebræorum, tum quia manifeſtum errorem continet, videlicet animas ſimul cum corpore perire, & reſurgere; ait enim v. 44: *Niſi eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.* Conf. Ipſe Auctor in fine libri petit veniam, ſi qua in re errarit, neque hic profert legem aliquam, ſed ſolum Judæ exemplum; atqui non tenemur, nec poſſumus omnia Scripturarum exempla imitari. Reſp. neg. ant. Licet liber Machabæorum non contineatur in Canone Eſdrino, utpote primum poſtea ſcriptus, nihilominus Eccleſia Catholica illum inter Canonicos habet jam ab anno 307, ut patet ex Concilio Carthaginenſi III Can. 47. Innocent. I in epiſt. ad Exſuper. cap. ult. S. Auguſt. libr. 18 de Civit. Dei. cap. 36. Neque Auctor libri animæ immortalitatem negavit, ſed illam cum reſurrectione corporum conjunxit, quia Judæi illas ita conjungere ſolebant, ut vel utramque negarent, vel utramque admitterent, eo quod ipſis non viſum ſit veriſimile, voluiſſe DEUM aninam perpetuo vivere ſine corpore. Ad conf. Auctor non petit veniam erroris, ſed elocutionis, ſicut etiam S. Paulus excuſat ſermonis ſui imperitiam: neque hic tantum profertur exemplum Judæ, ſed ſolennis ritus Eccleſiæ veteris, qui etiam laudatur, & approbatur.

196 Dices. Illi, pro quibus Judas ſacrificium juſſit offerri, erant defuncti in peccato mortali; nam ſub illorum tunicis reperta ſunt aliqua de donariis idolorum, ab ipſis rapta contra expreſſam prohibitionem Deutr. 7, & ob hanc cauſam ceciderunt. Conf. Licet Razias in Scriptura laudetur, quod ſe occiderit, ideo non licet ſe ipſum occidere: de libro autem Machabæorum S. Auguſtinus expreſſe dicit, quod debeat ſobrie legi. Reſp. Sicut nos de facto pie oramus pro omnibus mortuis, etiam qui prius male vixe-

vixerunt, quia ignoramus, an non DEUS in morte illis contulerit spiritum compunctionis, uti optamus: ita pro illis militibus pie Sacrificium offerri potuit, quia verisimiliter in mortis articulo de suo peccato doluerunt, & veniam consecuti sunt, præsertim cum pro fide, & religione pugnaverint. Forte etiam aliqui ignoraverunt, hæc spolia esse donaria idolorum, vel sola cupiditate ditescendi illa acceperunt, quod potuit esse veniale. Quod si Judas in facto particulari errasset, existimans, hos mortuos pie obiisse, certe non erravit in jure publico, scilicet pro juste mortuis esse sacrificandum. Ad conf. Razias tantum laudatur, quod egerit fortiter, & viriliter, non quod pie & sancte, & ob hoc, aliaque exempla non imitanda hic liber Juxta August. sobrie legendus est.

Obj. 3. Debitum pœnæ est personale: ergo non potest solvi per alium. Ant. prob. Tum quia hoc debitum non potest contrahi per alium; tum quia peccator fit pœna dignus in se ipso, non in alio. Conf. Debitum culpæ est personale, & non potest ab alio solvi, sed ipse peccator debet se disponere ad illius remissionem: ergo a pari. Resp. dist. ant. Est personale, in quantum per se ipsum peccatorem constituit debitorem, & juste ab illo potest exigi, conc. ant. ita, ut necessario debeat solvi per actionem, vel passionem propriam peccatoris, neg. ant. alias nec satisfactio Christi ad hoc debitum remittendum posset applicari. Licet itaque aliquis per peccatum fiat dignus pœna in se ipso, & reatus pœnæ proprie non sit in alio, quia solum contrahitur per culpam actualem, quæ voluntate propria committitur; inde non sequitur, quod hæc pœna ab alio non possit solvi, cum opus bonum per charitatem alteri donatum & applicitum juste a DEO pro solutione accipi possit. Ad Conf. conc. ant. neg. conf. Remissio culpæ pertinet ad intrinsecam rectitudinem, & sanctificationem hominis, & ideo 197

in

in adultis non fit ſine intrinſeca diſpoſitione illius, cui remittitur; at remiſſio pœnæ temporalis hominem non facit intrinſece meliorem.

198 Dices. Ex una parte vivi non poſſunt prodeſſe animabus purgantibus quoad meritum, & gloriam cœleſtem: ex altera parte ſolum illi poſſunt proficere, qui ſunt in via; hinc mortui ſuis propriis orationibus non juvantur. Conf. Pœnæ purgatorii ſunt graviores, quam omnes pœnæ temporales: ergo non poſſunt per ſuffragia vivorum exſolvi; præſertim quia animæ in purgatorio non amplius pertinent ad forum Eccleſiæ. Reſp. Trans. ant. neg. conſ. Cum meritum ex lege Divina requirat ſtatum viæ perfectum, & hominem per operationes bonas debeat intrinſece diſponere ad gratiam, & ſanctitatem, cui gloria cœleſtis commenſuratur, patet, nec ipſas animas poſt mortem mereri, nec per meritum alienum magis ſanctificari poſſe. Imo quia cuilibet merito apud DEUM reſpondet in ipſo operante præmium eſſentiale adæquatum operi, vivi ne quidem remiſſionem animabus de condigno mereri poſſunt. Nihilominus aliqui pie exiſtimant, etiam animas in purgatorio per ſuas preces aliquid impetrare. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Sicut pœnæ in altera vita ſunt graviores, ſic opera bona a juſtis in hac vita exercita ſunt majoris valoris; alias nemo poſſet ante mortem ſatisfacere pro peccatis propriis. Porro animæ purgantes non quidem ſubſunt jurisdictioni Eccleſiæ, nihilominus cum illa ſunt unitæ per vinculum charitatis.

199 Obj. 4. Qui habet, unde ſolvat, immerito poſtulat ſolutionem ab alio; ſed ipſæ animæ purgantes poſſunt debitum pœnæ ſolvere tum per actus charitatis, tum per pœnas, quæ DEUM amantibus non accidunt graves. Nam *perfecta charitas foras mittit timorem*, 1 Joann. 4 v. 18, *& non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit*, Proverb. 12 v 21. Conſ. Melius eſt ſatisfacere per ſe ipſum, quam per

per alios; qui enim per ſe ſatisfacit, majorem conſequitur gloriam: ergo juvare animas eſſet minuere ipſarum gloriam. Reſp. Trans. maj. Si quis ſine gravi ſuo incommodo, & moleſtia ſolvere poſſit, neg. min. Sicut animæ extra ſtatum perfectum viæ nihil poſſunt mereri, ſic per actus charitatis non ſatisfaciunt; neque DEUM amanti ita dulceſcunt pœnæ, ut illas non amare ſentiat, ſed tantum, ut easdem nihilominus propter amatum alacriter ferat; hinc charitas ſolum expellit timorem culpæ, & facit, ut juſtus non contriſtetur immodice; alias Chriſtus non habuiſſet perfectam charitatem, quando ex timore pœnarum ſanguinem ſudavit. Ad conf. diſt. ant. In hac vita, ubi propria ſatisfactio conjuncta eſt cum merito, conc. ant. in altera vita, neg. ant. & ſuppoſitum, quod ibi ſatispaſſio ad augmentum gloriæ ſerviat.

Dices. Si animæ non poſſent pro ſe ſatisfacere 200
1 Illa, pro qua nulla fierent ſuffragia, deberet in æternum manere in purgatorio. 2. Aliquæ ſtatim liberarentur, & illarum peccata impunita manerent. 3. Vivi ſecundum quid eſſent mortuorum redemptores, quod dici non poteſt ſine injuria Chriſti, cujus honor ſic plurimum diminueretur. Reſp. ad 1. Etſi parentes, cognati, amici, &c. deeſſent huic pietatis officio, non deeſſet pia, & communis Mater Eccleſia, & ipſa anima poſſet ſatispati. Ad 2. Quando aliqua multiplicatis ſuffragiis ſtatim liberatur, peccata non manent impunita, ſed pœnæ vivorum pro animabus ſuſceptæ, illi computantur. Ad 3. Sicut non minuitur, ſed potius augetur gloria DEI, quod cauſis ſecundis dederit virtutem agendi, ſic potius augetur honor Chriſti, quod nobis impetraverit virtutem ipſi cooperandi ad delendam pœnam peccati, quamvis ipſe ſolus in actu primo ſufficeret, & omnis valor noſtrorum operum ſit ex ipſius meritis. An vero ideo poſſimus vocari Redemptores ſecundario, & ſecundum quid, lis eſt de nomine.

201 Quæres. An ſuffragia vivorum animabus proſint per meram impetrationem, an per ſatisfactionem. Reſp. Licet multi, & graves Auctores exiſtiment, quod per orationem poſſimus animabus in purgatorio obtinere remiſſionem gratuitam pœnæ, tamen hæc ſententia videtur Suario omnino incerta, quia DEUS non ſolet remittere pœnam, niſi oblata ſeu applicata ſatisfactione condigna, & ſervata juſtitia vindicativa; hinc neque Chriſtus remiſſionem pœnæ nobis aliter obtinuit, quam ſuſtinendo pœnam, & ita ſatisfaciendo. Quando igitur etiam Sancti orant pro defunctis, & remiſſionem pœnæ ipſis impetrant, orant, ut DEUS ipſorum ſatisfactiones ſuperfluas animabus applicet, vel vivis præbeat auxilia, ut ipſi ſatisfaciant. Similiter ſuffragia Eccleſiæ animabus proſunt, in quantum ſunt quædam ſatisfactiones, & ipſe valor orationum pro illis offertur, in quo orationes Eccleſiæ militantis excedunt orationem Eccleſiæ triumphantis. Utrum vero Eccleſia militans per orationes publicas etiam intendat applicare aliquam partem ex theſauro ſatisfactionum abundantium Chriſti, & Sanctorum, incertum eſt, quia hæc applicatio ordinarie ſolet fieri per indulgentias. Ex his ulterius infertur,

202 Suffragia defunctis prodeſſe 1 juxta valorem, quem opera præſtita habent, quia valor non dependet a dignitate perſonæ, pro qua offeruntur; ſed ex dignitate perſonæ operantis, & conditione operis. 2. Cum vero idem opus non poſſit eſſe æquale duplici reatui pœnæ, per ſuffragia pro defunctis oblata operantem pro ſe ipſo nihil ſatisfacere, licet ideo non privetur merito, imo meritum ob actum charitatis potius augeatur. 3. Suffragia privata, quæ nomine proprio in ſtatu peccati mortalis fiunt, nullius eſſe valoris, niſi vim operandi ex opere operato habeant. 4. Ut ſuffragia privata proſint, requiri intentionem alteri ferendi ſuffragium: & ſiquidem intentio ſe extendat ad plures, valorem

lorem satisfactionis pro singulis esse minorem, ubi notanda est disparitas inter satisfactionem, & impetrationem. Cum enim impetratio non sit solutio, sed petitio, in illa non attenditur æqualitas, & proportio operis, sed tantum gratia, & dignitas orantis. Plura de his dicentur tract. 8 de Indulgentiis.

DISPUTATIO III.

De statu animarum beatarum.

Quod beatitudo consistat in visione intuitiva, & amore fruitivo DEI, constat ex disputatione prima. Nunc ulterius indagandum, quando, quibus, & quomodo hæc beatitudo concedatur. Loquor autem ferme de sola visione intuitiva, quia ex illa amor fruitivus necessario consequitur. Discutiam itaque 1, An animæ, quibus post mortem nihil amplius luendum superest, post consummatam redemptionem statim admittantur ad visionem intuitivam DEI. 2. An sit de fide, quod aliquæ visione intuitiva jam fruantur. 3. An hæc visio intellectui creato naturaliter possit esse debita. 4. Quomodo DEUS intuitive videatur. 5. An visio intuitiva sit inæqualis juxta inæqualitatem meritorum. 203

Porro per visionem intellectualem, si late accipiatur, intelligitur quævis cognitio certa, & evidens; in sensu stricto autem sola illa, qua aliquid cognoscitur non tantum per species alienas, sed immediate in se ipso, eo fere modo, quo oculus corporeus intuetur colorem tanquam suum objectum, unde etiam visio intuitiva appellatur. Ejusmodi visionem intuitivam DEI negarunt Palamitæ, & Armeni, contendentes, a beatis non videri ipsam essentiam Divinam in se, sed solum lucem quandam a DEO provenientem, in qua DEUS appareat tanquam in imagine, sicut sol per radios in aere, vel 204

aqua receptos apparere solet. Vicissim Beguardi, & Beguinæ sæculo XIV docuerunt, quod quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter sit beata, & anima non indigeat lumine gloriæ ipsam elevante ad DEUM videndum.

205 Cerinthiani primo Ecclesiæ sæculo tradiderunt, Christum post generalem carnis resurrectionem mille annos in terris regnaturum, eoque in regno homines omnibus etiam illicitis corporis voluptatibus fruituros esse, unde Chiliastæ, id est, Millenarii appellati sunt. Simile regnum Millenarium, licet non adeo turpe, & crassum, sed in solis voluptatibus licitis consistens defenderunt alii duce Papia Episcopo Hieropolitano. Rursus alii ex Scriptoribus Catholicis, uti Justinus, Irenæus, Origenes, Tertullianus, Lactantius, Victorinus, Sulpitius Severus, &c primis Ecclesiæ sæculis in ea saltem sententia fuisse dicuntur, quod animæ a corpore separatæ ante generalem corporum resurrectionem non admittantur ad visionem DEI, sed interea in certis quibusdam receptaculis detineantur, quæ communi vocabulo Sinum Abrahæ, aut locum quietis appellare solebant; hæc ipsa opinio rursus excitata, & magna contentione agitata fuit sæculo XII tempore Joannis XXII.

206 Eandem adhuc hodie pertinaciter propugnant Luthericulæ, & Calvinistæ, qui insuper addunt, omnes homines fore æqualiter beatos, prout jam sæculo IV asseruit Jovinianus, licet alio nixus fundamento. Nam hic more Stoicorum censuit, æqualia esse omnia peccata, æquales virtutes, æqualia merita, & demerita; moderni vero hæretici contendunt, nos non aliunde esse justos quam ex sola imputatione justitiæ Christi; cum igitur justitia Christi æqualiter omnibus imputetur, æqualem omnibus fore gloriam; opera autem nostra neutiquam mereri vitam æternam, sed ad summum aliquod præmium temporale, & spirituale, idque non ex propria dignitate, quasi revera justa sint, &

& legi satisfaciant, sed ex fide, & indulgentia DEI, qui credentibus, sibi remissa esse peccata, operum fœditatem tegat, & sic accipiat, quasi justa essent.

Cæterum visionem intuitivam DEI possibilem 207 esse, constat ex eo, quia utique homo per gratiam potest adipisci suum ultimum finem, & beatitudinem, ad quam ex benignitate DEI ordinatus est. Hanc ipsam possibilitatem clare asserit Sacra Scriptura: *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* 1 Cor. 13 v. 12. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* 1 Joann. 3 v. 2. Consentiunt SS. Patres, ex quibus August. epist. 112 cap. 5 ait: *Scimus, posse DEUM videri, quoniam scriptum est; Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* Quando igitur aliis in locis DEUS a Scriptura, & patribus dicitur invisibilis, intelligendum est, quod non possit videri oculo corporeo, solis viribus naturalibus, in hac vita, & de lege ordinaria, vel visione comprehensiva, de qua specialiter loquitur S. Chrysost. dum Homil. 14 contra Eunomium ait, *Quod DEUM videat solus Filius, & Spiritus Sanctus.*

QUÆSTIO I.

An animæ justæ, quibus nihil luendum superest, statim admittantur ad visionem DEI?

Quod ante consummatam redemptionem generis 208 humani animæ justorum ad visionem DEI non sint admissæ, etsi ab omni reatu culpæ, & pœnæ fuerint purgatæ, docet S. Paulus cap. 9 ad Hebr. ubi ait: Priore tabernaculo habente statum nondum propalatam fuisse Sanctorum viam, sed illam primum fuisse apertam a Christo, æterna redemptione per proprium sanguinem inventa. Hinc illa antiquo-

rum Patrum desideria: *Rorate cœli desuper* &c. Pariter ex S. Matth. cap. 22, & seq. constat, post resurrectionem nullam amplius futuram esse carnalem voluptatem; nam *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli DEI.* cap 22 v. 30. Hinc post narratam Antichristi persecutionem, statim ultimum judicium describitur, & Christus ait: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum,* cap. 25 v. 34. &: *Ibunt justi in vitam æternam,* vers. 46. Ex quibus funditus ruit figmentum Cerinthi, & Papiæ de Millenario regno, in voluptatibus sensuum, connubiis, ac festis celebrandis transigendo; *Non est enim regnum DEI esca, & potus,* ad Rom. 14 v. 17.

209 Dicendum. Animæ justæ, quibus nihil luendum superest, nunc statim admittuntur ad cœlum. Est de fide, & patet ex illis textibus, quibus num. 150 ostendimus, statim a morte dari judicium particulare, in quo unusquisque pro merito præmium, vel pœnam recipiat. Ulterius autem probatur ex verbis Apostoli 2 ad Cor. 5 v. 1: *Scimus, quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex DEO habemus, domum non manu factam æternam in cœlis:* ergo juxta Apostolum dissoluta terrestri domo, seu corpore nostro, nobis non est defutura alia domus, nempe cœlestis, & æterna; atqui deesset, & quidem diu, si ea carendum esset usque ad extremum judicium. Sane hunc præcipuum textus citati sensum esse, manifestum est ex verbis v. 4 subsequentibus: *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, & non per speciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Ubi vides, juxta Apostolum ideo nos habere voluntatem peregrinandi a corpore, ut præsentes simus ad Dominum, & non

non amplius ambulemus per fidem, sed per speciem, seu visionem DEI; quod ita optandum non esset, si primum post resurrectionem ad clarum DEI intuitum perveniremus.

Probatur conclusio 2. Auctoritate Ecclesiæ, & 210
perpetua traditione. Nam hæc veritas clare definita est a Benedicto XII in Extravag. Benedictus Dominus, addita quidem limitatione *De providentia ordinaria*, qua tamen omissa postea Concilium Florentinum in decreto unionis universaliter statuit, *Animas, quæ post susceptum Baptisma, nullam omnino maculam incurrerunt, vel post contractam purgatæ sunt, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum DEUM.* Hinc etiam Tridentinum Sess. 25 de invocat. Sanct. dicit, *illos, qui negant Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes invocandos esse, impie sentire.* Eandem veritatem clare afferunt Patres antiquissimi ex Græcis S. Ignat. Mart. Polycarp. Clemens Alexandr. Gregor. Nyssen. & Nazian. Ex Latinis Cyprian. Hieron. Fulgent. Gregor. Magn. Anselm. Prosper. Ratio congrua est, quia neque ex parte hominis, neque ex parte DEI aliquid datur, quod in justis plene purgatis visionem DEI possit retardare; non ex parte hominis, quia anima corpore soluta capax est hujus visionis, neque illam novis meritis potest augere: non ex parte DEI, qui pronior est ad præmiandum, quam ad puniendum, & sicut impios post mortem statim detrudit in infernum, sic Angelis statim a finali perseverantia æternam felicitatem donavit.

Porro textus Patrum videri possunt apud Bel- 211
larminum de Sanct. Beatit. Ego paucos afferam illorum, qui alibi obscurius locuti sunt. Itaque S. Ambros. epist. 15 ait: *Acolius possessor civitatis æternæ illius Jerusalem, quæ in cœlo est, videt illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum, & hæc omnia jam dudum quidem sibi comperta, sed nunc facie ad*

 faciem,

faciem. S. August. libr. 20 de Civit. cap. 17: *Animæ victrices gloriosorum Martyrum, postquam mortalia membra posuerunt, cum Christo utique regnaverunt, & regnant, donec finiantur mille anni, ut postea receptis etiam corporibus jam immortalibus regnent.* S. Bernard. in Epist. ad fratres de Hibernia Malachiam defunctum ita allaquitur: *Absit, ut tua nunc, o anima sancta, minus efficax æstimetur oratio, quando præsenti vividius supplicare est Majestati, nec jam in fide ambulas, sed in specie regnas.* S. Chrysost. Homil. 3 in Epist. ad Philippens. *Justi sive hic, sive in futuro sæculo cum Rege sunt, illic tamen magis ac propius, non per ingressum & fidem, sed facie ad faciem.* S. Hilar. in Psalm. 60 ait: *Sanctos esse Reges, & perpetuo cum DEO habitare* & in Psalm. 64: *Beati sunt, qui jam a DEO ad habitandum in tabernaculis ejus electi sunt: sed festinare nos in consortium hujus beatitudinis congruum est.*

Objectiones.

212 Obj. 1. DEUS Genes. 13 v. 15 promisit Abrahæ, & semini ejus possessionem terræ Chanaan *usque in sempiternum*, & Psalm. 131 v. 12 filius David sedem Patris sui *usque in sæculum*; atqui istæ promissiones nondum sunt impletæ: ergo debent primum impleri in regno Christi millenario. Conf. Scripturæ sæpe loquuntur de futura instauratione Jerusalem, de splendido regno Christi, de usu Sacramentorum resumendo. Resp. conc. maj. neg. min. Posteri Abraham terram Chanaan possederunt, & Juda tenuit sedem David, quamdiu Judæi suis legibus vixerunt. Voces autem, *In sempiternum*, *In sæculum*, &c. sæpe tantum denotant longum temporis spatium, vel si stricte de æternitate deberent accipi, hoc foret contra ipsos Millenarios, & promissio potius deberet exponi in sensu spirituali de possessione æternæ felicitatis, & regno Christi

cœ-

cœlesti. Ad conf. dico, omnia ista in sensu mystico intelligenda esse; nam Christi regnum non est temporale, nec hujus mundi, Sacrificia legalia post mortem Christi cessarunt, Jerusalem instauranda est ipsa beatitudo cœlestis.

Dices 1. Christus Matth. 19 v. 29 discipulis 213
dixit: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut uxorem,* &c. *centuplum accipiet*; atqui hoc centuplum post resurrectionem non potest accipi, nisi in regno millenario. Conf. Matth. 26 v. 29 Christus ait: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*: ergo Christus in terris regnabit, & vinum bibet. Resp. cum S. Hieron. in locum cit. verba ista non debere intelligi ad litteram, sed de centuplo spiritualium bonorum, quæ pretio ita terrena superant, ut numerus centenarius unitatem; alias justi pro una uxore centum haberent, quod aperte est contra Scripturam. Ad conf. conc. ant neg. cons. Si vinum proprie accipitur, sensus est, Christum non amplius illud bibiturum ante resurrectionem; nam postea sæpius cum discipulis manducavit, & bibit; tempus autem a resurrectione usque ad ascensionem in cœlum merito vocatur Regnum Christi, quia tunc jam cœpit exercere potestatem datam a Patre in cœlum, & in terram, & ipsius resurrectio fuit triumphus nostræ religionis. Si autem vinum sumatur in sensu metaphorico, significat cœlestes delicias, quas Scriptura sub imagine nuptiarum sæpe carnali populo Judaico adumbravit.

Dices 2. S. Joann. Apoc. 20 v. 2 & seqq. ait 214
1, se vidisse Angelum, *Qui draconem serpentem antiquum apprehendit*. 2. Animas decollatorum, seu Martyrum *regnasse cum Christo mille annis* ante alios mortuos. 3. *Hanc esse resurrectionem primam*, & in hos, qui partem in illa habent, *mortem secundam non habere potestatem*. 4. Sed *fore sacerdotes DEI*,

& regnaturos cum illo mille annis. 5. His consummatis *solvendum esse Sathanam de carcere suo, & seducturum gentes.* 6. Denique omnes mortuos resumptis corporibus ad generale judicium vocandos esse: ergo S. Joannes asserit regnum millenarium. Resp. conc. ant. neg. cons. Sicut alias in Scriptura numero millenario designatur longum tempus, sic juxta S. August. per mille annos hic intelligitur tempus a morte Christi usque ad adventum Antichristi; unde 1 hoc tempore Sathanas dicitur relegatus, quia ipsi erepta fuit facultas Christianis nocendi. 2. Martyres regnant cum Christo in cœlo, dum interim reprobi per peccatum vitam æternam perdiderunt. 3. Et quia per gratiam finalem hujus vitæ spiritualis non fuerunt facti participes, nec resurrectionis secundæ, seu beatitudinis in extremo judicio participes erunt. 4. Dum interea Beati tanquam membra summi Sacerdotis Christi laudis, & gratiarum Sacrificium DEO offerunt. 5. Tandem circa adventum Antichristi Dæmon iterum potentius oppugnabit gentes 6. Et tunc sequetur secunda resurrectio, & judicium universale.

215 Obj. 2. S. Paulus ad Hebr. 11 v. 13 & seqq. de Sanctis veteris testamenti ait, quod *non acceperint repromissionem.* 2. *Nunc autem meliorem appetant patriam.* 3. *DEO pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur:* ergo visio DEI Sanctis primum conceditur post generale judicium, quando expletus erit numerus omnium Sanctorum. Conf. Ecclesiastes cap. 11 v. 1 ait: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum:* ergo merces bonorum operum non statim datur post mortem. Resp. conc. ant. neg. cons. In textu Apostoli particulæ *nunc autem* non denotant tempus, quo loquebatur; sed accipit illas pro particula *sed*, ut sensus sit, Patres illos ante Christi adventum non accepisse beatitudinem, sed exspectare debuisse, ut illam cum Sanctis

Sanctis novi testamenti acciperent, vel certe hanc beatitudinem non fore consummatam quoad corpus, & animam ante ultimum judicium. Imo primo, & secundo loco solum videtur velle, quod Patres illi non acceperint in remunerationem suorum meritorum terram promissam, sed exspectaverint regnum cœleste. Ad conf. Ecclesiastes scripsit ante reseratam cœli portam, & sensus est, quod DEUS eleemosynam, si non statim, saltem post mortem sit remuneraturus, etsi illa multo post tempore accidat.

Dices 1. Quando Apostolus 2 ad Cor. 5 ait. 216
quod dissoluta domo terrestri habeamus aliam cœlestem, per domum terrestrem intelligitur hic mundus sensibilis, & per domum cœlestem corpus immortale; hinc etiam 1 Joann. 3 v. 2 dicitur: *Cum apparuerit* (nempe Christus in ultimo judicio) *similes ei erimus, quoniam videbimus eum.* Conf. In Epist. ad Cor. Paulus tantum loquitur de quadam beatitudine imperfecta, consistente in visione humanitatis Christi, ut adeo peregrinari a Domino idem significet, ac peregrinari ab humanitate Christi. Resp. neg. ant. Quod per domum terrestrem intelligatur corpus, patet tum ex capite præcedente, ad cujus finem Apostolus dixerat: *Si exterior homo noster corrumpitur, interior renovatur de die in diem;* tum ex verbis subsequentibus: *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino.* Per domum cœlestem vero, quam domui terrestri opponit, juxta S. Anselmum, & Thomam intelligitur beatitudo, quia Apostolus loquitur in præsenti: *Habemus domum manu factam,* & ostendere vult, post mortem Justis nunquam domum defuturam. In textu S. Joannis verba, *cum apparuerit,* non referuntur ad Christum, sed ad præcedentia: *Nondum apparuit, quid erimus;* hinc sensus est: In ultimo judicio coram oculis totius mundi similes Christo erimus quoad gloriam corporis, quæ ex eo nascetur, quia videbimus eum, sicuti est. Ad conf. neg. ant. Qui tantum

tum videt Christi humanitatem, est adhuc peregrinus, & ambulat per fidem, non per speciem.

217 Dices 2. S. Joannes Apoc 6. vidit animas Martyrum subtus altare, cumque voce magna clamarent, ut Dominus eorum sanguinem vindicaret, v. 11 illis dictum est, *Ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi:* ergo animæ Martyrum ante completum numerum Electorum nondum fruuntur visione DEI. Conf. Matth. 20 Paterfamilias omnibus operariis denarium primum solvit ad vesperam; vespera autem denotat resurrectionem, & denarius vitam æternam. Resp. neg. conf. SS. Martyres, ut S. Bernard. Serm. 3 in festo SS. omnium ait, clamant, Vindica Domine sanguinem Sanctorum tuorum, non tanquam vindictæ cupidi, sed ex desiderio resurrectionis, & glorificationis corporum suorum, quæ utique ipsis primum obtinget in ultimo judicio Electorum numero completo. Porro sive per altare Christus, sive quid aliud intelligatur, illud non potest esse locus extra cœlum, ut patebit ex dicendis quæst. seq. Ad conf. Imprimis per vesperam potest intelligi judicium particulare. Dein textus potest exponi de dilatione beatitudinis completæ quoad corpus & animam, denique monet S. Chrysost. in parabolis non debere attendi ad omnia, sed tantum ad scopum, qui in præsenti est docere, quod nemini desperandum de salute, quamdiu vivit.

218 Obj. 3. Ecclesia orat pro omnibus defunctis, ut illis DEUS locum quietis, & refrigerii concedere dignetur, ut patet ex Canone Missæ, & liturgiis S. Jacobi, Basilii &c. ergo supponit, illos necdum frui visione beatifica. Conf. Ecclesia etiam Apostolis, Martyribus & ipsi B. Virgini precatur requiem, & gloriam, ut constat ex liturgia S. Marci, Chrysost. Cyrilli, &c. & cap. cum Marthæ. de celebrat. Missar. ubi Innoc. III testatur, in festo S. Leonis

nis juxta veterem liturgiam latinam dictum fuisse: *Annue, quæsumus, Domine, ut animæ Beati Leonis hæc prosit oblatio.* Resp. dist. ant. Orat pro omnibus defunctis eodem modo, ad eundem finem, & scopum, neg. ant. ad diversum finem, conc. ant. Ecclesiæ orationes per accommodam distributionem ita ad varios fines sunt referendæ, ut animabus purgantibus liberationem a pœnis, & æternam beatitudinem apprecentur, Beatis vero suos triumphos, ac felicitatem gratulentur. Ad conf. Quando Ecclesia Beatis precatur requiem, & gloriam, non orat, ut ipsi in gloria crescant, sed ut illorum gloria crescat apud nos, & coram toto mundo. Licet forte etiam dici posset, quod illis petatur augmentum gloriæ accidentalis, vel etiam gloria corporis, quam consequentur in resurrectione. Oratio de S. Leone hac ipsa de causa mutata est, ne videatur indicare, quod nondum DEUM videat; unde modo ita habet: *Annue nobis Domine, quæsumus, ut intercessione Beati Leonis hæc nobis prosit oblatio.* Vid. etiam num. 156.

Dices. Ipse Christus post mortem non statim ascendit in cœlum, nec sine corpore: ergo neque Sancti recipiuntur in cœlum sine corpore; nam Christi quies, resurrectio, & ascensio fuit exemplar nostræ quietis, resurrectionis, & ascensionis, alias discipuli essent supra Magistrum. Conf. Merita Justorum in novo testamento non sunt majora, quam merita Patriarcharum, & Prophetarum veteris testamenti; atqui isti non statim fuerunt admissi ad visionem DEI: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Licet anima non statim post mortem in cœlum corporeum ascenderit, perfectissime jam ab initio conceptionis vidit DEUM, adeoque jam fuit in paradiso cœlesti formaliter; neque nos de cœlo corporeo multum soliciti sumus, modo concedatur, animas justas statim esse beatas. Porro Christus moriendo, quiescendo, & resurgendo fuit nostrum 219

exem-

exemplar quoad corpus, non tamen Sancti eidem debent conformari in omnibus e. g. quod ad inferos descenderit; quia hoc non fecit, ut illuc nobis viam monstraret, sed ut animas Justorum inde educeret. Ad conf. conc. maj. neg. min. Quia non obstante æqualitate meritorum datur diversitas ex parte temporis, nec decebat, ut animam Christi alia præcederet in regnum cœlorum, sed potius, ut ipse tanquam caput reliquas in conspectum Patris deduceret.

220 Obj. 4. Non pauci ex Patribus negarunt, animas ante extremum judicium videre DEUM, ut adverti num. 205: ergo saltem nostra sententia non est de fide, nec pro illa stat traditio Ecclesiæ. Resp. transf. ant. Nam plerosque ex nominatis ibi Patribus erudite vindicat Bellarminus de Sanct. Beatit. cap. 4 & 5 exceptis solum Tertulliano, Lactantio, & Victorino, quorum primus fuit hæreticus, alter in plures errores circa futurum sæculum incidit, tertius numeratur quidem inter Martyres; at teste S. Hieronymo in Epist. ad Magnum eruditio illi defuit. Neg. conf. Dogmata Catholica, & traditio Apostolica non tantum debent colligi ex sententia aliquorum; cum igitur longe plures primis etiam temporibus affirmarint, Sanctos statim a morte DEUM intuitive videre, salvum stat Apostolicæ traditionis filum. Adde, quod in sola nostra sententia inveniantur veri, ac germani dogmatis characteres. Nam 1. nostrum dogma est coævum ipsi Christo, & Apostolis, nec ullum aliud illius initium potest assignari. At fabulam Millenariorum omnium primi excogitarunt Cerinthus, & Papias, quorum errorem statim impugnavit Dionysius cum Ecclesia Alexandrina, Ignat. cum Antiochena, Polycarp. cum Smirnensi, &c. 2. Dogma Catholicum vero, ac sincero DEI verbo nititur, est simplex, uniforme, & constans; econtra Millenarii in varias partes scinduntur; alii enim cum Cerintho admittebant volupta-

luptates illicitas, alii cum Papia licitas, alii dixerunt, regnum hoc futurum ante generalem resurrectionem, alii postea, rursus alii excipiebant Martyres, quibus visionem DEI statim concedebant.

221 Dices. Illi ipsi Patres, quorum textus num. 211 pro nostra sententia recitati sunt, in aliis locis potius asserunt, beatitudinem omnibus Sanctis differri usque ad extremum judicii diem: ergo. Resp. dist. ant. Asserunt, beatitudinem consummatam, & etiam accidentaliter perfectam differri usque ad extremum judicii diem, conc. ant. beatitudinem substantialem, & ipsam visionem DEI, ac amorem fruitivum ita differri, neg. ant. & cons. Quia Dogma nostrum tempore illorum Patrum necdum ab Ecclesia expresse fuerat definitum, mirum non est, quod de eo quandoque obscurius sint locuti Quid tamen revera senserint, patet ex textibus adductis. Qui in contrarium afferuntur, videri possunt apud Bellarm. loc. cit. & Tournelium de DEO, & Divinis attributis, quæst. 12. Ego, cum singulos exponere nimis longum foret, solum noto, ne Patres sibi ipsis contradixisse videantur, illos exponendos esse vel de tempore veteris legis, vel de beatitudine adæquata tam corporis, quam animæ, post resurrectionem Beatis publice conferenda. Equidem S. Chrysostomus, aliique veteres dubii fuerunt de loco, ubi interea animæ Sanctorum detineantur, eumque alii sinum Abrahæ, alii receptacula, alii regnum Christi appellarunt, sed non negarunt, illos DEUM intuitive videre. S. Augustinus aliquando dubitavit, utrum animæ ante universale judicium in cœlum recipiantur, & non cum Christo in terris regnaturæ sint, sed libr. 2 quæst. Evang. quas primum postea scripsit, expresse ait: *Sinus Abrahæ requies est Beatorum pauperum, quorum est regnum cœlorum, in quo post hanc vitam recipiuntur.* Idem S. Doctor cum S. Bernard. existimavit, animas beatas post resurrectionem in corpore perfectius visuras

ras esse DEUM, eo quod de facto naturale desiderium corpus recipiendi illas non sinat toto conatu in DEUM ferri, & hoc esse discrimen inter Angelos, & animas beatas; quantum autem huic doctrinæ tribuendum sit, patet ex dictis de beatitudine.

222 Quæres. Quid de beatitudine Justorum senserit Joannes XXII. Resp. Negari non posse, quod plus æquo inclinaverit in eam sententiam, quæ dicit, visionem DEI intuitivam non nisi post corporum resurrectionem Sanctis concedendam esse; nihilominus auctoritate Pontificia, & ex Cathedra nihil circa hanc quæstionem definivit, ut testantur Theologi Parisienses a Rege Philippo jussi dicere suam sententiam de beatitudine Sanctorum. Idem declarat ipse Joannes, tum in epistola ad Philippum, in qua cuilibet relinquit libertatem sentiendi, quod vellet, tum in publico consistorio, ubi disertis verbis protestatus est, *Quod in hac quæstione non intenderit aliquid determinare, vel decidere, seu credere; & si forsan aliqua Scripturæ sacræ, seu fidei orthodoxæ obvia ab ipso præter intentionem prolata fuissent, se illa expresse revocare;* quam Joannis declarationem promulgavit ejus successor Benedictus XII. Similem protestationem Joannes repetiit morti proximus, omnia subjiciens judicio Ecclesiæ, quæcunque circa quæstionem illam dixit, aut scripsit: quin imo nostram sententiam professus est dicens: *Fatemur, & credimus, quod animæ purgatæ separatæ a corporibus sunt in cælo, & vident DEUM, ac Divinam essentiam facie ad faciem clare.* Unde audiendi non sunt Ochamus, & Cæsennas, aliique hostes, ac æmuli Joannis. Certe Gerson, Adrian. VI Joann. Villanus, & Nicol. Gillius, licet existiment, propugnatam a Joanne sententiam de retardanda Sanctorum beatitudine, non tamen asserunt, illum decreto Pontificio aliquid definiisse.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An sit de fide, quod aliquæ Justorum animæ visione beatifica jam actu fruantur?

Dogma fidei esse, quod aliquæ Justorum animæ 223
jam actu fruantnr visione beatifica, colligitur ex dictis quæst. præced. Nam 1 de Christo in cœlum ascendente ad Ephes. 4 v. 8 dicitur: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem;* ubi per captivitatem nihil aliud potest intelligi, quam animæ sanctæ in limbo detentæ, per altum vero summum cœlum: ita enim exponit ipse Apostolus inferius v. 10 dicens: *Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cœlos.* 2. De animabus Martyrum Apoc. 6 v. 11 dicitur, quod *datæ sint illis singulæ stolæ albæ,* & cap. 7 v. 33 ac seq. Hi, *qui amicti sunt stolis albis - - sunt ante thronum DEI, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus.* 3. Ex veteri testamento plures, nominatim Henoch, Noe, Abraham, Isaac, &c. canonizavit Ecclesiasticus cap. 44, & S. Paulus ad Hebr. 11. Ex novo testamento S. Lucas in actibus Apostolorum cap. 23 v. 43 inter Sanctos numerat Stephanum, Jacobum majorem, Petrum, Paulum, &c. In eundem sensum Auctores intelligunt illud, quod ipse Christus Luc. 23 v. 43 ad latronem dixit: *Hodie mecum eris in paradiso.*

Quæritur jam ulterius, utrum idem etiam te- 224
nendum sit de illis, qui a Sede Apostolica rite canonizati sunt. Quamquam enim plerique contra Cajetanum, & Augustinum de Ancona, paucosque alios admittant, Pontificem in canonizatione Sanctorum errare non posse; hinc certissimum, & fidei proximum esse, quod anima Sancti rite canonizati actu sit in cœlo; non desunt tamen graves Auctores, qui cum Suario, Bannesio, &c. negant, hoc omnino esse de fide. Econtra pro affirmativa stant S. Bonavent. Antonin. Bellarm & teste Ulloa longe

communior. S. Thomam pars utraque sibi vindicare conatur. Porro canonizatio a Bellarmino de Sanct. Beatit. cap. 7 definitur, quod sit publicum, & authenticum testimonium, ac declaratio de vera sanctitate, & gloria defuncti, simulque ultimum judicium & sententia, qua illi decernuntur honores sanctis debiti. Unde in canonizatione duo decernuntur; primum est, quod canonizatus decesserit in gratia, alterum, quod actu jam fruatur gloria cœlesti, & honore sanctis debito colendus sit.

225 Dicendum. Est de fide, quod Sanctus rite canonizatus sit in cœlo. Probatur. Quandocunque Pontifex, ut publice Ecclesiam alloquens, aliquid definit, illud est de fide; atqui quando Sanctum aliquem canonizat, publice alloquitur Ecclesiam, ac definit, quod decesserit in gratia, & tanquam Sanctus in cœlo triumphans habendus, & colendus sit: ergo. Major patet, quia tali modo Pontifex loquitur ex Cathedra, & totam Ecclesiam vult obligare, ut suam definitionem acceptet. Min. prob. ex definitione canonizationis, & ejus formula: *Auctoritate DEI Patris, & Beatorum Apostolorum decernimus, & definimus, hunc esse Sanctum, & Sanctorum catalogo adscribendum, ipsumque catalogo hujusmodi adscribimus.* Conf. Est de fide, quod homines, qui decesserunt in gratia, & a reatu pœnæ sive in hoc, sive in altero sæculo expurgati sunt, sint in cœlo; atqui homines rite canonizati decesserunt in gratia, & a reatu pœnæ expurgati sunt: ergo. Major est universalis explicite revelata, & quoad 1 membrum patet ex cap. 24 Matth. v. 10: *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit;* quoad alterum membrum demonstrata est quæstione præcedente; Minor vero est stricte, ac positive moraliter certa, saltem quoad 1 membrum; si enim Pontifex in hac re posset errare, tota Ecclesia posset induci in pessimum errorem, & obligari, ut aliquem damnatum coleret tanquam Sanctum, quod per se intrinsece malum foret.

Hoc

Hoc abſurdum quidem non ſequeretur, licet 226
canonizatus necdum omnem reatum pœnæ expurgaſſet; nihilominus etiam ſecundum membrum Minoris videtur moraliter, & poſitive certum. Nam Pontifex canonizando non ſolum definit, canonizatum deceſſiſſe in gratia, ſed etiam publicis Eccleſiæ precibus poſſe invocari, in ejus honorem erigi altaria, & templa, offerri ſacrificia, &c. jam vero iſte cultus ab Eccleſia nunquam ſolet deferri animabus purgantibus, ſed illis, quæ jam actu cum DEO in cœlis regnant. Quare ſatis abſurdum, & moribus Eccleſiæ contrarium foret, ſi in hoc Pontifex poſſet errare, & ad talem cultum incongruum Eccleſiam univerſam inducere. Profecto quando Pontifex decernit, e. g. aliquem librum eſſe canonicum, id non jam antea debet eſſe, ſed fit certum per ipſam definitionem Pontificis, cui in declarandis propoſitionibus univerſalibus infallibilis aſſiſtentia Spiritus Sancti nunquam deeſt: ergo pari ratione per definitionem Pontificis certum fit, quod ille ſit in gloria, quem poſt publicam ſanctitatis famam, poſt jurata de eadem multorum teſtimonia, & rigoroſiſſime probata, atque examinata miracula, Eccleſiæ tanquam Sanctum in cœlo exiſtentem ad publicum cultum proponit.

Hactenus dicta potiſſimum procedunt de Sanctis 227
moderno ritu canonizatis, quamvis etiam extendi poſſint ad Sanctos antiquiores, quos tota Eccleſia indubie ut tales colit. Non tamen æque certum ac de fide eſt, quod etiam Beatificati jam ſint in gloria; nam beatificatio non eſt abſoluta definitio de gloria Beati, ſed ſolum permiſſio quædam Pontificia circa cultum illi exhibendum. Definitur enim, quod ſit indultum, ſeu decretum permiſſivum, ut defunctus aliquis in Eccleſia poſſit haberi Beatus, & certis honoribus coli. Hinc acta proceſſus beatificationis ante canonizationem rurſus ſubjiciebantur examini, ſaltem ante tempora Clementis XI. Interim negare

etiam de beatificato, quod ſit in cœlis, temerarium eſſet, ſcandaloſum, & impium; quippe, licet per beatificationem revelatio de vera ſanctitate, & gloria Beati nondum ita nobis applicetur, ut fide Divina credi poſſit; nihilominus eſt incredibile, Pontificem in hac materia falli, tum quia nullum in numerum Beatorum refert, niſi re diligentiſſime examinata, tum quia ſi cultum Duliæ permitteret exhiberi damnato, vel ſaltem nondum plene purgato, jam magni, multique errores in Eccleſia orirentur, & approbante Pontifice talis cultus poſſet deferri animabus purgantibus, qui ſolos Beatos in cœlo decet.

Objectiones.

228 Obj. 1. Nihil eſt de fide, niſi ſit a DEO revelatum; ſed Sanctum e. g. Udalricum eſſe in cœlo, non eſt a DEO revelatum; ergo. Conſ. Qui tantum revelat veritatem conditionatam, ideo necdum vult revelare veritatem abſolutam; ſed veritates: Qui perſeveraverit usque in finem, Qui ab omni reatu pœnæ expurgatus eſt, &c. ſunt tantum conditionatæ: Si perſeveraverit, ſi expurgatus eſt: ergo. Reſp. diſt. maj. Niſi ſit a DEO revelatum vel explicite, vel implicite, conc. maj. ſi ſaltem implicite ſit revelatum, neg. maj. & ſic diſt. min. conſ. Quamvis DEUS explicite non revelaverit, quod e. g. S. Udalricus in particulari ſit in cœlo, ſatis tamen hoc revelavit implicite in propoſitionibus univerſalibus: Omnis perſeverans usque in finem, & a reatu pœnæ expurgatus eſt in cœlo. Ad conſ. tranſ. maj. diſt. min. Hæ veritates ſunt tantum conditionatæ quoad modum enunciandi, conc. min. quoad ſuam veritatem, neg. min. Cum DEUS ex una parte ab æterno abſolute præviderit, quinam ex omnibus hominibus ſint perſeveraturi usque in finem, & quo tempore ab omni reatu pœnæ ſint expurgandi: ex altera parte vero voluerit, ut Sanctis ſuis debitus honor exhibeatur, Sanctorum gloriam

riam revelavit absolute, Ecclesiæ autem dedit potestatem definiendi, quinam sub revelatione universali contineantur.

Dices 1. Non potest Pontifici certo constare, 229
quod canonizandus decesserit in gratia; nam ipse homo nescit, utrum amore, an odio dignus sit, Eccles. 9 v. 1, & omnia opera bona externa bonis & malis possunt esse communia, ita, ut ne quidem ipsa miracula sint indubitatum signum sanctitatis, cum etiam Judas, imo gentiles miracula patrasse legantur. Conf. Quod aliquis pie vixerit, miracula patraverit, &c. tantum habetur ex testimonio hominum, qui omnes falli, & fallere possunt. Resp. neg. ant. Licet homo, quamdiu vivit, non possit esse stricte moraliter certus de statu gratiæ, esto, quod nullam habeat positivam rationem dubitandi, & etiam miracula patret; si tamen DEUS ad invocationem, & intercessionem alicujus defuncti mira operetur, hæc miracula sunt testimonium omnino certum, quod ejusmodi defunctus sit amicus DEI, cum utique DEUS nequeat patrare mira in confirmationem falsi, nec permittere, ut propter illa per definitionem Pontificis tota Ecclesia in perniciosum errorem inducatur. Ad conf. conc. ant. neg. cons. Aliud est, quod omnes homines absolute possint fallere, & falli; aliud, quod plurimorum, ac fide dignissimorum testimonia jurata non faciant certitudinem moralem, aut actu fallant.

Dices 2. Saltem non potest haberi cer- 230
titudo positiva, quod canonizandus ab omni reatu pœnæ sit expurgatus. Nam 1 etiam amici DEI post mortem sæpe diu cruciantur pœnis purgatorii. 2. DEUS etiam per animas purgantes potest patrare miracula. 3. Tales animæ sunt DEO gratæ, adeoque eorum invocatio, & veneratio non esset mala, sed DEO accepta. Conf. Decretum Pontificis non potest esse certius, quam motiva, quibus ad illud edendum movetur: ergo. Resp. dist. ant. Quod canonizandus

ab omni reatu pœnæ ſit expurgatus, non poteſt haberi certitudo poſitiva independenter a definitione Pontificis, tranſ. ant. per ipſam definitionem Pontificis, neg. ant. Transmiſſo, quod animæ purgantes privatim invocari poſſint, & DEUS per illarum intercessionem quædam miracula patraverit; quia tamen ex perpetua praxi Eccleſiæ habemus, illis non competere talem cultum publicum, qui Sanctis exhiberi ſolet, DEUS non poteſt permittere, ut tota Eccleſia hac in re erret, ſed vel ipſam canonizationem debet impedire, vel Pontifex in illa errare nequit. Hinc ad conf. neg. ant. Quamvis enim motiva, quibus Pontifex ad edendum decretum Canonizationis inducitur, non ſint omnino certa, & indubitata, nihilominus definitio Pontificis eſt infallibilis ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti. Vid. num. 226.

231 Obj. 2. Canonizatio Sanctorum eſt tantum præceptum de exhibendo cultu: ergo non requiritur certitudo poſitiva, quod canonizandus ſit in cœlo. Conf. Tenemur deferre cultum latriæ hoſtiæ conſecratæ, licet non ſit poſitive certum, multo minus de fide, hanc determinatam hoſtiam eſſe rite conſecratam: ergo Pontifex etiam poteſt decernere alicui cultum Duliæ, licet non ſit poſitive certum, quod ſit in gloria. Reſp. neg. ant. Canonizatio non eſt merum præceptum de exhibendo cultu, ſed definitio, per quam Pontifex toti Eccleſiæ declarat, defunctum aliquem vere ſanctum eſſe, & æterna beatitudine frui, ut patet ex ipſis decretis Canonizationis. Sic in Canonizatione S. Bonaventuræ Sixtus IV ait: *Hunc ſanctum eſſe, fideliter, firmiterque teneri debere decernimus;* & Leo X in decreto Canonizationis S. Franciſci de Paula: *Decernimus, & definimus*, eſſe receptum in gloria. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. & paritatem. Eccleſia non definit, hanc determinatam hoſtiam eſſe rite conſecratam, neque illam ut talem

toti

toti Ecclesiæ adorandam proponit. Unde ad cultum Latriæ exhibendum sufficit judicium prudentiale, quod talis hostia prudenter adorari possit, ac debeat. Econtra ut cultus Duliæ publicus deferatur alicui defuncto, requiritur etiam certitudo speculativa de objecto materiali, seu sanctitate defuncti, ne tota Ecclesia in errorem inducatur.

Dices 1. Quod hic vel ille Canonizandus vir- 232
tutibus excelluerit, post obitum miraculis claruerit, & sit in cœlo, est quæstio facti; atqui in quæstionibus facti Pontifex non est infallibilis; alias etiam esset de fide, quod hæ, vel illæ reliquiæ sint alicujus Sancti. Conf. Judicium, quo Ecclesia aliquem damnat ut hæreticum, non est infallibile: ergo neque judicium, quo aliquem declarat ut sanctum Resp. dist. maj. Quod hic vel ille Canonizandus virtutibus excelluerit, &c. est quæstio facti qualiscunque, neg. maj. facti dogmatici, & cum quæstione juris connexi, conc. maj. & sic dist. min. neg. conf. Quæstio, utrum aliquis defunctus sit in cœlo, & cultu publico colendus, pertinet ad materiam morum, & habet connexionem cum articulo fidei de sanctitate Ecclesiæ, ac invocatione Sanctorum. Aliud est de cultu reliquiarum; neque enim ab Ecclesia definitur, has vel illas reliquias esse veras, neque cultus falsarum reliquiarum esset tam universalis, & noxius, cum sit tantum relativus, & reliquiis non deferatur propter se, sed propter Sanctum, cui proin honor cedit. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Quando Ecclesia aliquem damnat ut hæreticum, nihil vult definire in foro interno DEI, & quoad finalem illius impœnitentiam, sed tantum illum damnat in foro externo, & judicat de illo statu, in quo errorem pertinaciter defendit.

Dices 2. Ecclesia multas colit ut Virgines, ex qui- 233
bus aliquæ primum in adultiore ætate ex gentilitate sunt conversæ, cum tamen Virginitatis vix satis explorata indicia haberi possint: ergo sicut judicium Eccle-

siæ de Virginitate non est infallibile, sic neque de sanctitate. Conf. Valor alicujus indulgentiæ particularis potest deficere, si ratio, ex quo Papa concedit indulgentiam, non subsistit: ergo etiam in Canonizatione potest deficere declaratio Papæ ex defectu motivorum. Resp. trans. ant. neg. conf. Sive sancta aliqua revera sit Virgo, sive non, nihilominus cultu Duliæ est digna; unde etsi Pontifex circa hoc erraret, inde nullus error in moribus, aut fide in Ecclesiam induceretur. Interim ut advertit Tannerus, quando Ecclesia aliquam colit tantum titulo Virginitatis, de illius Virginitate certa est per miracula in contestationem Virginitatis facta; si vero titulo Martyrii, tunc quidem ob prudentem Virginitatis præsumptionem recitatur officium de Virginibus, Ecclesia tamen Virginitatem stricte talem non videtur desinire. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Quando Papa concedit indulgentias, non obligat fideles ad ferendum judicium de legitima illarum causa, sed primario solum intendit excitare fideles ad bona opera, quæ per se sunt meritoria. At in Canonizatione imponit præceptum generale Canonizatum colendi ut sanctum, & si falleretur, obligaret ad cultum per se, & intrinsece malum, vel saltem indebitum, & incompetentem.

234 Obj. 3. Pontifex antiquitus ante sententiam definitivam Canonizationis consuevit publice protestari, quod per hunc actum Canonizationis non intendat aliquid facere, quod sit contra fidem, Ecclesiam Catholicam, sive honorem DEI, ut testatur Archiepiscopus Corcyrensis in libro sacrarum Ceremoniarum: ergo ipse Pontifex agnovit, se falli posse. Resp. conc. ant. neg. conf. Protestatio ista Pontificis nihil aliud fuit, quam oratio ad DEUM facta, ne illum sineret in errorem labi, ut tum ex antiquioribus monumentis, ad quæ Archiepiscopus Corcyrensis se retulit, tum ex pluribus eidem coævis Canonizationum Bullis, ut ostendit Benedictus XIV libr.

libr. 1 de Beatific. & Sanctific. cap. 44. Cum enim
Papa qua homo non sit infallibilis, merito a DEO
exoravit assistentiam Spiritus sancti. Nec refert,
quod aliunde sciverit, hanc sibi e cathedra loquenti
non defore; sæpe enim a DEO petitur, quod aliun-
de scitur futurum. Sic ipse Christus rogavit pro
Petro, ne fides ejus deficiat, & Joann. 17 a Patre
petiit glorificari. Quodsi verba Pontificis revera
protestationem continuissent, solum indicassent, quod
sanctis nolit decernere cultum Latriæ, qui soli
DEO debetur. Similis protestatio facta est a synodo
VII, & in Canonizatione S. Udalrici legitur. In-
terim hæc sive oratio, sive protestatio posteriori-
bus temporibus omissa est, tum quia jam continetur
in precibus, quas Pontifex canonizationi præmittit,
& populo ad impetrandam opem Divinam indicit,
tum quia populus modo sufficienter est instructus,
qualis cultus DEO, & qualis Sanctis exhibendus sit.

Dices. Antiquis temporibus Pontifices causas 235
Canonizationis sæpe delegarunt aliis. Sic Canoni-
zationem Beati Eneconis Alexander II commisit
Episcopo Burgensi; Canonizationem Beati Simeo-
nis Eremitæ Benedictus VIII Epicopo Mersebur-
gensi; Canonizationem Beati Othonis Clemens III
Episcopo Merseburgensi & Eustettensi; atqui donum
infallibilitatis nulli alteri potest delegari: ergo.
Conf. Cum de S. Francisco Seraphico, quem Gre-
gorius IX in Sanctorum numerum retulit, aliqui
subdubitarent, Nicolaus III ejus Canonizationem
nova Bulla confirmavit, quin dubitantes reprehen-
derit: ergo. Resp. dist. maj. Causas Canonizatio-
nis delegarunt aliis quoad examen, & instructio-
nem processus, conc. maj. quoad ipsam definitionem,
neg. maj. Canonizatio Beati Eneconis jam antea ab
Alexandro fuerat decreta, & episcopo Burgensi so-
lum commissa ejus promulgatio. Benedictus, &
Clemens Episcopis solum permiserunt Beatificatio-
nem secundum illorum temporum consuetudinem,

 quæ

quæ tamen poftea fuit fublata, ut loc. cit. oftendit Benedictus XIV. Quodfi etiam vera Canonizatio alteri delegata fuiffet, ante confirmationem Pontificis non fuiffet infallibilis; ficut dicitur de Decretis Conciliorum. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Qui de S. Francifco dubitarunt, forte habuerunt juftas caufas, & quia haud pridem defunctus fuerat, exiftimare potuerunt, eundem a Gregorio tantum fuiffe beatificatum, adeoque videntur egiffe bona fide, & nullam majorem reprehenfionem meriti, præfertim quia noftra fententia non eft reflexe, & omnino certa.

236 Obj. 4. Cap. A nobis de fent. excomm. dicitur, judicium Ecclefiæ nonnunquam falli; & cap. Sicut de teftibus revocandam effe fententiam, fi conftet, illam fuiffe latam fecundum affertionem teftium corruptorum: ergo. Conf. Gloffa in cap. unicum de Reliq. & venerat. Sanct. expreffe dicit, accidere poffe, ut Ecclefia in Canonizatione erret, quamvis hoc non fit credendum: ergo. Refp. dift. ant. Judicium Ecclefiæ non nunquam falli, & revocandum effe in quæftionibus meri facti, conc. ant. in quæftionibus facti dogmatici, & cum quæftione juris connexi, neg. ant. & conf. Cum ejusmodi facta nec totam Ecclefiam concernant, nec cum errore in fide, & moribus connexionem habeant, Pontifex in illis judicandis non loquitur ex cathedra, fed fententiam tantum fert ut legitimus Superior. Ad conf. dift. ant. Gloffa afferit, Ecclefiam errare poffe in canonizatione particulari, æquivalente beatificationi, conc. ant. in univerfali, & ex cathedra prolata, neg. ant. Aut, fi plus velit, nequaquam eft irrefragabilis auctoritatis, ut oftendit Peguletus in Tract. probabil. cui titulus: Errores plurimi Gloffæ Canonicæ.

237 Dices. Saltem non eft de fide, quod illi fint fancti, quorum plurimi in Ecclefia coluntur, qui fuerint canonizati. Hinc S. Auguftinus apud Bellarm. lib. cit. cap. 9 ait: *Plurimorum corpora veneran*

rantur in terris, quorum animæ cruciantur in inferno. Conſ. Licet in tota Eccleſia ex præcepto celebretur v. g. Feſtum aſſumptionis B. Virginis, tamen non eſt de fide, quod etiam quoad corpus aſſumpta fuerit, neque eſſet hæreticus, qui hoc negaret: ergo. Reſp. diſt. ant. Non eſt de fide, quod ſint ſancti, ſi tantum colantur ab Eccleſia aliqua particulari, conc. ant. ſi colantur ab Eccleſia univerſa, ſciente, & approbante ſummo Pontifice, neg. ant. DEUS poteſt quidem permittere, ut aliquæ Eccleſiæ particulares in errorem incidant, ſed nunquam, ut erret tota Eccleſia, idque ſciente, & tacite approbante ſummo Pontifice. Utrum textus additus ſit S. Auguſtini, incertum eſt; nonnulli illum exponunt de ethnicis, aut reprobis Chriſtianis, quorum corpora ſuperbis ſepulchris ſunt incluſa, & honorificis epitaphiis decorantur. Alii cum Bellarmino de Martyribus hæreticorum, præſertim Donatiſtarum. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Quod B. Virgo etiam quoad corpus in cœlum fuerit aſſumpta, non eſt definitum ab Eccleſia, ſicut definita eſt gloria Sanctorum, quia tamen etiam de hac non eſt de fide, ſed tantum probabilius, quod ſit de fide, nondum foret hæreticus, qui negaret, illam fide Divina credi poſſe; ut magis explicatur in Tractatu de fide.

QUÆSTIO III.

An viſio intuitiva DEI intellectui creato poſſit eſſe naturaliter debita?

Viſionem intuitivam DEI de facto nulli intel- 238
lectui creato naturaliter debitam eſſe, certa fidei Doctrina eſt; ita enim contra Beguardos, & Beguinos definiit concilium generale Viennenſe, & omnia illa, in quibus damnata eſt doctrina Pelagii, ne-

negantis necessitatem gratiæ supernaturalis ad consequendam vitam æternam, quem errorem etiam amplexus est Michael Bajus in propositionibus 11, & 18, confixis a Pio V, & Gregor. XIII. Unde solum examinandum restat, an saltem absolute possibilis sit intellectus creatus, cui visio intuitiva DEI naturaliter esset debita, ita, ut eam solis naturæ viribus absque lumine gloriæ possit producere, vel saltem tanquam aliquid debitum exigere. Porro per lumen gloriæ hic intelligimus donum quoddam gratuitum, per quod intellectus supernaturaliter ad videndum DEUM elevatur, præscindendo interim, in quo revera hoc donum consistat.

239 Dicendum. Absolute impossibilis est talis intellectus creatus. Ita cum S. Thoma Theologi fere omnes, licet aliqui cum Ripalda, Molina, Marino, &c. sententiam oppositam tanquam probabilem defendant. Probatur 1. Visio intuitiva DEI est Theologice supernaturalis: ergo nulli intellectui creato potest esse naturaliter debita. Cons. patet. Quia theologice supernaturale juxta communem acceptionem ex essentia sua est tale aliquid, quod transcendit vires & exigentiam totius naturæ creatæ ut quod. Ant. prob. Quia visio intuitiva DEI in Scriptura simpliciter vocatur gratia, donum, & præmium gratuitum: *Gratiam & Gloriam dabit Dominus*, Psalm. 83 v. 12. *Gratia vitæ æterna*, ad Rom. 6 v. 23. Certe visio DEI perfectior est actu fidei, qui supernaturalis est, & tanquam medium ad obtinendam visionem beatificam ordinatur; si autem media non sunt ex natura, sed ex gratia, finis quoque per gratiam comparari debet. Imo Theologi supernaturalitatem aliorum entium desumunt ex eo, quod intrinsece ordinentur ad visionem beatificam. Conf. DEUS 1 ad Timoth. 1 v. 17 dicitur *Invisibilis*, & cap. 6 v. 16: *Lucem inhabitare inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*; hæc autem in sensu stricto, & proprio non

veri-

verificarentur, si DEUS absolute ex solis viribus naturæ posset videri: ergo.

Probatur conclusio 2. Omnis creatura rationa- 240
lis, quantumcunque perfecta, essentialiter est serva DEI, titulo creationis DEO longe magis subjecta, quam quodvis mancipium titulo emptionis suo Domino: ergo absolute repugnat, ut illi naturaliter, & sine favore gratuito debeatur perfecta amicitia, & hæreditas propria filiorum DEI, ut indicat Apostolus ad Galat. 4 v. 7: *Itaque jam non est servus, sed filius, quod si filius, & hæres per DEUM*: ergo etiam repugnat, ut ipsi naturaliter debeatur visio intuitiva DEI, tum quia hæreditas propria filiorum DEI partialiter consistit in hac visione, tum quia hæc visio necessario etiam post se trahit amorem fruitivum, & perfectam amicitiam cum DEO. Hoc argumento usus est S. Cyrill. Alexandrin. qui libr. 1 in Evangel. S. Joann. cap. 13 explicans filiationem DEI fundatam in visione beatifica tandem subjungit: *Creatura cum serva sit, nutu solum, & voluntate Patris ad supernaturalia vocatur.* In eundem sensum S. August. libr. 12 de Civit. DEI cap. 1 ait: *Creatura, quæ potest esse beata, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo, a quo creata est.* Similia habent S. Prosper, Epiphanius, &c.

Objectiones.

Obj. 1. Creatura rationalis naturaliler appetit 241
visionem DEI intuitivam: ergo illa debetur intellectui creato, alias appetitus naturalis non posset obtinere suum finem. Ant. prob. Creatura rationalis naturaliter appetit beatitudinem: atqui hæc consistit in visione DEI intuitiva. Conf. Creatura rationalis cognito effectu, exigit cognoscere illius causam: ergo cognitis creaturis exigit cognoscere DEUM. Resp. neg. ant. Ad prob. dist. maj. Naturaliter appetit beatitudinem naturalem,

conc.

conc. maj. ſupernaturalem, ſubdiſt. appetitu innato, & abſoluto, neg. maj. conditionato elicito, & de ſe inefficaci, trans. maj. Licet creatura habeat aliquam capacitatem, & potentiam paſſivam recipiendi lumen gloriæ, proprie tamen, & abſolute loquendo appetitus innatus tantum fertur in bonum debitum; cum igitur beatitudo ſupernaturalis homini naturaliter non ſit debita, eandem ad ſummum appetit appetitu elicito, & inefficaci, qui etiam ferri poteſt in bonum indebitum, aut impoſſibile, ſaltem per vires naturæ. Ad conf. diſt. ant. Appetit cognoſcere cauſam cognitione appetitui ſuo, & ſtatui naturali proportionata, conc. ant. cognitione appetitum & ſtatum naturalem excedente, neg. ant. Ex cognitione creaturarum tantum poteſt haberi cognitio DEI abſtractiva.

242 Dices. Omne accidens debet habere aliquam ſubſtantiam creatam, a qua exigatur, & cui naturaliter poſſit ineſſe: ergo viſio intuitiva DEI ab intellectu exigitur, eique naturaliter ineſt, cum utique aliud ſubjectum connaturale habere nequeat. Conf. Nulla datur forma ſubſtantialis, quæ non poſſit naturaliter ineſſe ſubjecto: ergo neque datur talis forma accidentalis. Reſp. neg. ant. Omne accidens naturaliter quidem exigit ſubjectum, cui poſſit ineſſe, ſed non viciſſim naturaliter debet a ſubjecto exigi, ut patet in unione hypoſtatica, quæ naturam humanam tanquam ſubjectum exigit, quin viciſſim a natura humana naturaliter exigatur. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Forma ſubſtantialis cum ſit natura incompleta, & eſſentialiter ordinetur ad materiam, tanquam alteram partem ſubſtantiæ completæ, ſine ſubjecto non poſſet obtinere ſuum finem naturalem; at formæ accidentales non ſemper debent intendi propter finem naturalem, ſed poſſunt eſſe favor toti naturæ creatæ indebitus.

243 Obj. 2. Ex una parte DEUS continetur intra ſphæram, & objectum intellectus creati, quod eſt

omne

omne verum: ex altera parte DEUS ſe ipſo eſt lux intelligibilis infinita: ergo intellectus ad viſionem DEI tam parum indiget lumine gloriæ, quam oculus ad videndum ſolem indiget lumine alio, quam ipſius ſolis. Conf. Summa cognoſcibilitas, & viſibilitas DEI non poteſt eſſe impedimentum, quo minus DEUS clare videatur: ergo. Reſp. diſt. ant. quoad 1 membrum. DEUS ut cognoſcibilis abſtractive continetur intra Sphæram naturalem intellectus creati, conc. ant. ut cognoſcibilis intuitive, neg. ant. & conceſſo altero membro neg. conſ. Omne verum eſt objectum intellectus creati, non tamen quodlibet ab illo naturaliter poteſt cognoſci omni modo, ſed quamvis ad videndum DEUM non indigeat alio lumine ſe tenente ex parte objecti, ſeu ipſius DEI, indiget tamen ſpeciali dono, ſe tenente ex parte intellectus creati, tanquam potentiæ. Sic, ut lux ſolis videatur a noctua, non requiritur aliud lumen ſoli ſuperadditum, requireretur tamen aliquod lumen ſuperadditum potentiæ viſivæ noctuæ. Ad conf. neg. ant. Sicut maxima viſibilitas ſolis eſt impedimentum videndi reſpectu noctuæ, ſic ſumma cognoſcibilitas DEI poteſt eſſe impedimentum reſpectu intellectus improportionati.

Dices. Voluntas creata poteſt naturaliter DE- 244
UM amare, prout eſt in ſe: ergo intellectus videre. Conf. Potentiæ materiales poſſunt naturaliter percipere omnia ſua objecta immediate, & in ſe v. g. potentia viſiva omnes colores: ergo a pari. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Voluntati creatæ DEUS etiam per ſpecies abſtractas proponitur ut amabilis immediate, & propter ſe, adeoque habet ſufficiens fundamentum illum propter ſe amandi: intellectus autem DEUM naturaliter tantum cognoſcit ex creaturis per ſpecies abſtractas, quæ non ſunt medium ſufficiens illum cognoſcendi immediate in ſe ipſo. Ad conf. iterum neg. conſ. Si potentiæ materiales naturaliter non poſſent immediate in ſe

per-

percipere sua objecta, nullo modo possent ea percipere, cum hic sit modus unicus istis potentiis proportionatus. At intellectus DEUM potest etiam cognoscere per species abstractas, licet illum immediate in se ipso non attingat.

245 Obj. 3. DEUS potest producere substantias perfectiores in infinitum: ergo possibilis est intellectus creatus, qui tantum excedit omnes intellectus de facto existentes, quantum visio intuitiva excedit cognitionem DEI abstractivam: ergo possibilis est intellectus, cui visio intuitiva DEI debetur. Conf. Defacto datur substantia creata ut quo, theologice supernaturalis, ut patet in unione hypostatica: ergo etiam potest dari talis substantia creata ut quod. Resp. trans. ant. dist. conf. Qui tantum excedit omnes intellectus in alio genere perfectionis, trans. conf. in eodem, quo visio intuitiva DEI excedit cognitionem abstractivam, neg. conf. Nam hæc perfectio est theologice supernaturalis, adeoque ordinis altioris, & Divini; quantumcunque autem intellectus creatus ponitur esse perfectus, semper manet ordinis naturalis, & inferioris. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Substantia supernaturalis ut quo accidentia supernaturalia, & visionem beatificam non exigit sibi, & in proprium commodum, sed alteri, nempe suo subjecto; at substantia supernaturalis intellectiva ejusmodi accidentia, visionem ac amicitiam DEI exigeret sibi ipsi, quod superat exigentiam omnis creaturæ.

246 Dices. Visio beatifica debetur complexo ex intellectu creato, & lumine gloriæ; atqui possibilis est intellectus, qui in perfectione huic complexo æquivalet, quia omni complexo finito, & limitato potest æquivalere substantia simplex. Conf. Quando Concilia, & Patres dicunt, dona supernaturalia esse supra naturam, tantum intelligunt creaturas naturales, & nunc existentes. Resp. conc. maj. neg. min. De æquivalentia in eodem genere perfectionis in-

intellectam. Sane multa inter ſe diſtincta, & ſolum invicem unita ſunt poſſibilia, quæ identificata ſe excludunt. Sic complexum ex ſubſtantia, & accidente, ex intellectu, & intellectione eſt aliquid finitum, & limitatum; & tamen DEUS non poteſt creare ens ſimplex, quod ſimul ſit utrumque per identitatem. Ad conf. neg. ant. Sed ſupernaturale quoad ſubſtantiam juxta communem acceptionem tranſcendit exigentiam omnis naturæ creatæ ut quod, & quando Patres dicunt, quod filiatio adoptiva DEI, beatitudo ſupernaturalis, &c. tranſcendant exigentiam creaturæ, allegant titulos creationis, ſervitutis, &c. qui omnibus poſſibilibus communes ſunt.

Obj. 4. Creatura rationalis etiam prædita lu- 247
mine gloriæ manet ſervaDEI: ergo ratio ſervitutis non impedit, quo minus naturaliter poſſit DEUM videre. Conf. Ipſum lumen gloriæ eſt ens creatum, & ſerva DEI, vel ſaltem aliquid ſervile: ergo non poteſt tollere rationem ſervitutis, ſicut ruſticitas ſuperaddita ruſticitati non poteſt tollere conditionem ruſtici. Reſp. diſt. ant. Manet ſerva DEI, ſed per ſpecialem favorem gratuitum elevata ad ſtatum filiationis, & amicitiæ Divinæ, trans. ant. non ita elevata, neg. ant. & conſ. Lumen gloriæ præſupponit gratiam ſanctificantem, quæ eſt forma dignificans, & elevans creaturam ad amicitiam, & filiationem adoptivam DEI; unde creatura rationalis inſtructa lumine gloriæ ſaltem non manet ſerva pura, & excluſive talis. Ad conf. neg ant. Tum quia per ſervam communiter tantum ſignificatur creatura rationalis, alterius dominio ſubjecta; nemo enim dicit v. g. malleum eſſe ſervum ſuum: tum quia lumen gloriæ non pertinet ad ſtatum ſervilem, ſed ad elevationem creaturæ ad amicitiam DEI. Sicut igitur manumiſſio ſervi, licet ſit in plena poteſtate domini, proprie non eſt aliquid ſervile, ſic neque lumen gloriæ, quod ſe potius habet per modum regii diplomatis, quo ruſticus evehitur ad ſtatum nobilitatis.

248 Dices. In humanis servus potest naturaliter videre dominum suum, imo potest inter illos dari amor amicitiæ: ergo a pari; præsertim cum servitus DEI non sit despicabilis, sicut servitus humana, sed potius summe æstimabilis. Conf. Etiam in statu puræ naturæ creatura posset DEUM amare amore benevolo, & simili amore a DEO redamari: ergo. Resp. trans. ant. neg. conf. Visio ocularis servi non supponit perfectam amicitiam, neque filiationem adoptivam, aut hæreditatem propriam filiorum, cumque inter servum, & dominum in humanis detur proportio, & identitas specifica naturæ, etiam inter ipsos naturaliter posset dari amicitia, nisi servitus obstaret. Nam etiam in humanis conditio servilis requirit inæqualitatem, & servus qua talis nequit dominum respicere tanquam debitorem, nec hæreditatem adire, nisi manu mittatur. At inter DEUM, & hominem non datur proportio in natura, sed hæc primum inducitur per gratiam, & elevationem supernaturalem. Hinc licet servire DEO sit laudabile, nihilominus conditio servilis creaturam facit improportionatam ad amicitiam. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Quia amor benevolentiæ, quem homo etiam erga brutum habere potest, sine proportione in natura non sufficit ad amicitiam.

249 Quæres 1. Quid sit lumen gloriæ? Resp. Id juxta communissimam Theologorum consistere in qualitate supernaturali, intrinsece recepta in intellectu, stabiliter permanente, & serviente ad eliciendam visionem DEI. Quamquam enim Concilium Viennense explicite non declaraverit, quid per lumen gloriæ intelligatur, merito præsumitur, quod illud acceperit in allato sensu, qui jam tunc inter Theologos communiter erat receptus. Quippe cum visio beatifica sit actus vitalis, & semper perseverans, saltem quod speciem, connaturale est, ut procedat a principio vitali intrinsece completo per qualitatem stabilem, & permanentem, quæ se habeat per

modum habitus, ſicut etiam anima hominis defacto in via ad eliciendos connaturalius actus ſupernaturales, & voluntas in patria ad eliciendum amorem, per ſupernaturales habitus elevantur. Interim non nego, quod lumen gloriæ abſolute a DEO ſuppleri poſſet per qualitatem ſupernaturalem tranſeuntem, vel etiam per aſſiſtentiam extrinſecam Omnipotentiæ Divinæ ſpecialiter applicatæ; quippe nulla in hoc apparet repugnantia, & etiam habitus ſupernaturales in via ita poſſunt ſuppleri. Sic per Omnipotentiam extrinſece applicatam in homine infideli ſuppletur habitus fidei, & in peccatore habitus charitatis in ordine ad eliciendam fidem, & charitatem ſupernaturalem.

Quæres 2. An, & quomodo lumen gloriæ in viſionem DEI influat? Reſp. Sicut juxta communem habitus infuſi virtutum ſupernaturalium active, & immediate influunt in actus ſupernaturales ſibi proportionatos, ita lumen gloriæ influit in viſionem DEI, nec alia ratione melius poteſt explicari, qua ratione per illud intellectus creatus ad videndum DEUM elevetur. Attamen, ut contra Banneſium, & Recentiores Thomiſtas docent alii communiſſime, lumen gloriæ non eſt unicum principium productivum viſionis, ſed illam partialiter producit intellectus creatus; tum quia de eſſentia omnis actus vitalis eſt, ut immediate procedat a principio vitali, per quod vivens ſe ipſum ſpeciali modo intrinſece moveat: tum quia Voluntas creata immediate, & active influit in actus ſupernaturales in via elicitos, alias ejuſmodi actus non eſſent liberi, ſed voluntas ſe haberet mere paſſive, velut inanime quoddam, quod repugnat definitioni Concilii Tridentini Seſſ. 6 Can. 4, & Apoſtolo, dum 1 ad Cor. 15 v. 10 ait: *Non ego, ſed gratia DEI mecum*; quæ verba S. Auguſt. libr. de Gratia, & liber. Arbitr. cap. 5 ita interpretatur; *Non gratia DEI ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia DEI cum illo.* 250

QUÆSTIO IV.

Quomodo DEUS intuitive videatur?

251 Circa visionem DEI duplicem speciem distinguere solent; unam vocant expressam, & verbum mentis, quæ a parte rei nihil aliud est, quam actualis, & formalis rei cognitio, qua intellectus objectum sibi repræsentat, adeoque identificatur cum ipsa visione intuitiva DEI; alteram dicunt impressam; consistit in virtuali objecti similitudine, seu imagine, quæ intellectui imprimitur, ut cum illo ad producendam visionem concurrat loco objecti, vel non potentis, vel nolentis immediate per se concurrere. Ejusmodi species impressa, licet non videatur omnino impossibilis, neutiquam ad visionem DEI connaturaliter eliciendam necessaria est, cum ipse DEUS de se summe intelligibilis semper sit præsens, beneficio luminis gloriæ attemperatus intellectui nostro, & ad visionem intuitivam per se ipsum producendam plenissime sufficiat. Videatur num. 49.

252 Species expressa, seu ipsa visio DEI dividitur in comprehensivam, & non comprehensivam; cognitio comprehensiva est, qua aliquid cognoscitur perfecte, sive tantum, quantum ex cognoscibilitate, & perfectione sua intrinseca cognosci meretur. Unde talis cognitio in linea cognoscitivi debet esse tam perfecta, quam perfectum est objectum in linea cognoscibilis. Dividunt aliqui comprehensionem in extensive, & intensive talem. Per priorem intelligunt illam, per quam clare, & distincte repræsentantur omnia, quæ formaliter, & eminenter in objecto continentur. Per posteriorem intelligunt eam, per quam omnia in objecto formaliter, & eminenter contenta repræsentantur claritate, & intensione summa, quam cognitio talis objecti meretur, atque hanc solam posteriorem non pauci volunt, esse comprehensionem simpliciter talem. Quidquid de hoc sit,

Com-

Communnis, ac certa eſt ſententia S. Thomæ 1 253
part. q. 12 art. 7, quod DEUS a nullo intellectu creato, etiam adjuvante lumine gloriæ, poſſit comprehendi intenſive. Nam in Scriptura Jerem. 32 v. 19 DEUS dicitur *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu.* 1 ad Timoth. 6 v. 16: *Quod inhabitet lucem inacceſſibilem.* Concilium Lateranenſe cap. Firmiter ait: *Credimus, quod unus eſt verus DEUS, æternus, immenſus, incommutabilis, incomprehenſibilis.* Concilium vero Baſileenſe anno 1435 proſcripſit propoſitionem Auguſtini de Roma, qua dixerat: *Animam Chriſti videre DEUM tam clare, & intenſe, quam clare, & intenſe DEUS videt ſe ipſum.* Sane cum cognoſcibilitas DEI intrinſeca non minus ſit ſimpliciter infinita, quam eſſentia Divina, nulla cognitio poteſt illi eſſe perfecte commenſurata, niſi ſimpliciter ſit infinita; atqui intellectus creatus, & limitatus non poteſt producere cognitionem in ſua linea ſimpliciter infinitam. Hinc quando Apoſtolus 1 ad Cor. 9. v. 24 hortatur; *Currite, ut comprehendatis*, comprehenſionem accipit latius pro aſſecutione rei, quam quis inſequitur.

Imo probabilius DEUS ab intellectu creato ne 254
quidem poteſt comprehendi extenſive. Nam etiam hæc comprehenſio deberet clare, & diſtincte repræſentare omnia, quæ formaliter, & eminenter in DEO continentur; hoc autem non poteſt dici, tum quia talis cognitio ſaltem extenſive adæquaret ipſam cognitionem, & cognoſcibilitatem Divinam, tum quia rurſus eſſet in repræſentando infinita; æquivaleret enim infinitis cognitionibus realiter diſtinctis, quarum ſingulæ clare, & diſtincte repræſentarent ſingulas perfectiones DEI. Unde licet Beati juxta definitionem Concilii Florentini clare videant DEUM Trinum, & Unum, id eſt, tam Perſonalitates Divinas, quam Eſſentiam Divinam, & omnes perfectiones primarias, quales ſunt Immen-

 ſitas,

ſitas, Æternitas, Simplicitas, Omnipotentia, aliæque ſimpliciter ſimplices, non jam in alia magis univerſali contentæ; non tamen poſſunt clare, ac diſtincte videre omnia attributa ſecundaria, cum ſint infinita, & ad terminos infinitos ſe extendant e. g. Omnipotentia ad infinitas ſpecies poſſibiles.

255 Nihilominus Beati diſtincte vident illa attributa ſecundaria, & ſaltem per aliam cognitionem in verbo tanquam ſpeculo cognoſcunt illas creaturas, quarum cognitio ſpecialiter ad illorum beatitudinem accidentalem pertinet; uti ſunt 1. Summa Sapientia, Potentia, & Bonitas, quas DEUS ſpecialiter manifeſtavit in eorum creatione, conſervatione, & glorificatione. 2. Fidei myſteria, quorum in via obſcuram, & ænigmaticam cognitionem habuerunt. 3. Angeli, ac beatæ patriæ concives, & intimæ illorum cogitationes; nam ut S. Auguſt. ſerm. 43 de diverſis cap. 5 advertit: *Nemo ibi vult tectum eſſe, quod cogitat, quia ibi nemo male cogitat.* 4. Amicorum, filiorum, parentum, &c. proſperi, & adverſi caſus, ac preces, quas viventes ad eos dirigunt; licet enim illi de ſua immortalitate ſint ſecuri, adhuc tamen de noſtra ſalute ſunt ſoliciti, ut ait S. Cyprian. de Immortalit. circa finem. 5. Denique omnes creaturæ exiſtentes rerum naturalium cauſæ, ſpecies, vires, & proprietates. O ſapientia! exclamat S. Bernard. ſerm. de triplici genere bonorum, *qua tunc omnia, quæ in cœlo, & in terra ſunt, perfectiſſime cognoſcemus, in ipſo fonte Sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes.*

256 Quæres 1. An intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ producat perfectiorem viſionem DEI, quam minus perfectus? Reſp. cum Thomiſtis, & communi Noſtrorum contra Scotiſtas negative. Nam 1. Concilium Florentinum in decreto Unionis indefinite ait, inter Beatos alium alio perfectius DEUM videre pro diverſitate meritorum, ut plus ibus oſtendam quæſt. ſeq. ſed hoc non eſſet univerſaliter verum,

rum, ſi intellectus perfectior cum æquali lumine produceret viſionem perfectiorem. Quippe poſito, quod Angelus hominem tantum excederet intellectu, quantum homo Angelum merito, uterque æqualiter DEUM videret, licet merita eſſent diverſa. 2. Intellectus in viſionem DEI non influit ut cauſa naturalis, ſed ut potentia obedientialis elevata per lumen gloriæ: ergo ſub hac ratione intellectus Beatorum non eſt inæqualis, ſed tantum agit juxta menſuram principii elevantis. Sic ſi homo, & Angelus æqualiter elevarentur ad producendam lucem, Angelus non produceret majorem, quam homo. Sic Balſamum perfectius in Sacramento Confirmationis ſupernaturaliter elevatum ad cauſandam ſive moraliter, ſive phyſice gratiam cæteris paribus non cauſat plus gratiæ; neque ſpecies vini generoſioris in Evchariſtia cauſat gratiam perfectiorem.

Quæres 2. An eſſentia Divina abſolute loquen- 257
do videri poſſet non viſis perſonalitatibus? Reſp. cum Scotiſtis, & Suario contra Thomiſtas affirmative. Neque enim datur implicantia ex parte viſionis intuitivæ, de cujus ratione ſolum eſt, ut objectum ſuum cognoſcat immediate in ſe, non vero ut illud cognoſcat adæquate, & diſtincte quoad omnia prædicata. Neque datur implicantia ex parte objecti; nam licet DEUS ſit ſimpliciſſimus, unio hypoſtatica poſſet immediate terminare perſonalitatem Filii, quin immediate terminaret eſſentiam Divinam: ergo etiam poteſt intuitive videri eſſentia Divina, quin videantur perſonalitates. Putant tamen aliqui, ejusmodi viſionem non fore beatificam, eo quod Beatus maxime deſideraret etiam videre perſonalitates; ſicut in humanis amicus maxime deſiderat noſſe perſonam amici. Verum ſuppoſito, quod in DEO perſonalitates nullam eſſentiæ ſuperaddant bonitatem, aut perfectionem, & quod præter tres ſubſtantias relativas detur quarta abſoluta cum eſſentia realiter, & virtualiter identificata, Gormaz cum

aliis existimat, visionem intuitivam solius essentiæ Divinæ fore beatificam, quia Beatus videns solam essentiam, nihilominus videret bonum summum, ac infinitum, & quidem per se subsistens.

258 Quæres 3 An DEUS absolute etiam videri possit oculo corporeo? Resp. cum S Thoma quæst. cit. a. 3, & communissima aliorum negative. Nam 1. DEUS in Scriptura simpliciter dicitur invisibilis, quod juxta communem sensum, & expositionem Patrum vel maxime intelligendum est de visione oculari. 2. Ratio specifica potentiæ visivæ est tantum lux materialis, & color; nulla autem potentia cognoscitiva per actum sibi proprium potest ferri in objectum, in quo non reperitur ratio specifica illius; alias auris per auditionem posset percipere colores, & oculus per visionem sonos: ergo oculus corporeus non potest DEUM videre per visionem materialem. 3. Sicut quælibet potentia cognoscitiva habet objectum sibi proprium, ultra quod absolute nequit se extendere per actum vitalem, ita habet modum cognoscendi, & vitaliter operandi proprium, ultra quem absolute se non extendit: atqui hic modus respectu oculi corporei est tantum materialis: ergo neque per visionem spiritualem DEUM potest videre; alias etiam bruta possent supernaturaliter elevari ad producendam cognitionem spiritualem, ad cognoscendum bonum honestum, & inhonestum, ad operandum libere & meritorie, ad ipsam visionem, & amorem beatificum.

QUÆSTIO V.

An visio intuitiva DEI sit inæqualis juxta inæqualitatem meritorum?

259 Quod justi per opera supernaturalia de condigno mereantur visionem intuitivam DEI, abstrahendo a primo illius gradu, patet ex S. Scriptura, ubi vita æter-

æterna, ad quam visio intuitiva necessario requiritur, passim vocatur merces, debitum, corona justitiæ, denarius ex conventione, & pacto, ipsa vero opera dicuntur hac mercede, & præmio digna. Hinc beatitudinem meritis justorum passim adscribunt SS. Patres, concilium Lateranense cap. firmiter, Florentinum in professione fidei, & Tridentinum Sess. 6 cap. 16, ut ex professo ostendetur in Tractatu de merito; hic autem tantum redarguam errorem Joviniani, & modernorum novatorum, contendentium, beatitudinem omnium hominum fore æqualem, non obstante inæqualitate bonorum operum, quibus illam in vita promereri conati sunt.

Dicendum. Beati vident DEUM inæqualiter pro 260
inæqualitate meritorum. Probatur 1 ex Scriptura, quæ Matth. 16 v. 77 ait: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera sua.* ad Rom. 2 v. 6: *DEUS reddet unicuique secundum opera sua iis, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* ad Gal. 6 v. 8: *Quæ seminaverit homo, hæc & metet; qui enim seminat in carne sua, de carne metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* 2 ad Cor. 9 v. 6. Conf. Visio intuitiva DEI datur justis propter ipsa opera bona: ergo ubi opera sunt inæqualia, datur visio inæqualis. Ant. patet ex illis textibus, in quibus per particulas quia, enim, cum, &c. indicatur, quod opera bona sint causa vitæ æternæ. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum - - esurivi enim, & dedistis mihi manducare,* &c. Matth. 25 v. 34. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.* ibid. v. 21, & 23.

Probatur 2 auctoritate Ecclesiæ, & Patrum; 261
nam error Joviniani, de quo dixi num. 206, a Siricio Papa proscriptus est in Concilio Romano;

Tridentinum vero sess. & can. cit. ait, *Justos non solum mereri consecutionem vitæ æternæ, sed etiam augmentum gloriæ.* Florentinum in decret. Union. expresse dicit, *Beatos DEUM videre, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.* S. Hieron. contra Jovinianum urgens illud Joannis 14: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, inquit: *Paratæ sunt in cœlo plurimæ, & diversæ mansiones, plurimis, diversisque virtutibus, quas non personæ accipiunt, sed opera.* & Epistol. 41 in illud Pauli 1 Cor. 5: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ &c. Quid igitur hinc proficiemus? quod in regno, qui sint omnes, non eadem omnes regni gloria fruuntur.* S. Greg. libr. 4 Moral. cap. 42 ait: *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat.* Similia habent SS. Polycarp. Irenæus, Cyprianus, Hieronymus &c. apud Tournelium de DEO q. 15 a. 2.

262 Probatur 3. Ex una parte DEUS visionem intuitivam homini promisit sub conditione onerosa bonorum operum: ex altera parte est Judex justus, & non acceptor personarum: *Non est acceptio personarum apud DEUM*, ad Rom. 2 v. 11. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*, 2 ad Timoth. 4 v. 8. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit DEUS diligentibus se*, Jacob. 1 v. 12: ergo pro diversitate bonorum operum debet dare diversam visionem intuitivam, cum promissio sub conditione onerosa pariat obligationem justitiæ, cui acceptio personarum adversatur, cum videlicet Judex dat præmium sine meritis, aut majus præmium minoribus meritis, vel econtra. Conf. Damnati inæqualiter puniuntur juxta inæqualitatem demeritorum: ergo justi inæqualiter præmiantur juxta inæqualitatem meritorum; de utrisque enim eodem modo loquitur S. Paulus

2 Cor.

2 Cor. 5 v. 10: *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquique propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

Objectiones.

Obj. 1. Juxta parabolam Matth. 20 a Christo 263
propositam Paterfamilias operariis in vinea dedit æqualem mercedem, nempe singulis denarium, etsi aliqui jam hora prima, alii 3tia, 6ta, 9na, aut undecima fuerint conducti; unde qui plus laborarunt v. 12 conquesti sunt: *Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti.* Ergo cœlestis Paterfamilias omnibus justis æqualem dat beatitudinem, sive plus, sive minus in hac vita laboraverint. Conf. S. Prosper. libr. 1 de vocat. gent. cap. 17 ait, ideo in hac parabola dari omnibus æquale præmium, *Ut ii, qui multo labore sudarunt, intelligant, donum se gratiæ, non operum accepisse mercedem.* Resp. conc. ant. dist. conf. Dat omnibus æqualem beatitudinem objectivam, ut vult S. Thomas loc. cit. vel etiam formalem quoad substantiam, ut vult Augustinus serm. 87, conc. conf. æqualem etiam quoad intensionem, subdist. si non obstante diversitate temporis habeant æqualia merita conc. conf. secus, neg. conf. Nec obstat, quod aliqui sint conquesti; nam querelas illas non fuisse justas, patet ex ipsa parabola. Ad conf. S. Prosper tantum indicat, vitam æternam non esse mercedem operum, quæ sunt ex nobis, sed quæ sunt ex gratia DEI; nam eodem loco ait, *Bona merita sequi in homine post adeptam gratiam, non autem præcedere.*

Dices. DEUS a Beatis videtur, sicuti est, & 264
quidem per speciem, ac visionem indivisibilem: ergo beatitudo formalis non est inæqualis. Conf. Carentia visionis beatificæ est æqualis in omnibus damnatis: ergo etiam visio DEI est æqualis in Beatis. Resp. Conc. ant. neg. conf. DEUS videtur,

sicuti

ficuti eft, quia Beati vident ipfam ejus effentiam, licet modus videndi non fit ita perfectus, ficut modus effendi in DEO perfectus eft. Unde quamvis DEUS ipfe objective in vifionem influat, hoc tamen fit juxta proportionem luminis gloriæ, quo mediante unus magis, & clarius illum intuetur. Ad conf. neg. paritatem. Nam vifio eft aliquid pofitivum, quod capit magis, & minus, carentia vero vifionis eft mera privatio, adeoque in fe indivifibilis. Sic unus omnino cæcus non eft minus omni vifione privatus, quam alius omnino cæcus.

265 Obj. 2. Vita æterna adfcribitur mifericordiæ, & gratiæ, *Gratia DEI vita æterna*, ad Rom. 6 v. 23. *Qui coronat te in mifericordia, & miferationibus*, Pfalm. 102 v. 2; ergo non eft inæqualis pro ratione meritorum. Conf. Juxta Scripturam nemo poteft confidere in fuis meritis; hinc Daniel. 9 v. 18 dicitur: *Non in juftificationibus noftris profternimus preces noftras, fed in miferationibus tuis magnis*. Refp. conc. ant. neg. conf. Quando vita æterna adfcribitur mifericordiæ, ac gratiæ, non excluduntur merita, fed tantum indicatur, quod illam non poffimus mereri, nifi gratia DEI prius mifericorditer fuerimus præventi, & juftificati. Ad conf. Quamvis homo ordinarie ignoret, utrum juftus fit, & vera merita habeat, adeoque optime omnis fiducia in fola DEI mifericordia, & meritis Chrifti ponatur; fi tamen quis de fuis meritis certus effet, poffet in illis confidere, ut fecit Paulus 2 Timoth. 4 v. 8: *In reliquo repofita eft mihi corona juftitiæ*. Textus additus agit de liberatione ex captivitate Babylonica; ultro autem fatemur, quod bona temporalia de condigno non mereamur, cum noftris meritis promiffa non fuerint.

266 Dices. SS. Patres vitam æternam foli gratiæ, & mifericordiæ adfcribunt. Sic juxta S. Auguft. in Pfalm. 70 conc. 2: *DEUS dona coronabit, non merita*, & Serm. 1 de verb. Apoft. *DEUS nihil inveniet*

in

in nobis, unde salvet, multum autem, unde damnet. Juxta S. Bernard. Serm. 15 in Psalm. Qui habitas: *Totum hominis meritum spes est, & miseratio Domini*; hinc Serm. de Annunciat. ait: *Vitam æternam homini non deberi ex jure, nec DEUM injuriam facere, nisi eam donet.* Juxta S. Gregor. lib. 9 Moral. cap. 14: *Homo ad vitam non ex meritis, sed ex venia convalescit.* Juxta S. Basil. in Psalm. 114: *Requies æterna non datur secundum debitum operum, sed munificentiam DEI.* Denique juxta S. Hilar. in Psalm. 51: *Opera justitiæ non sufficerent ad beatitudinis meritum, nisi misericordia DEI illis non reputet vitia.* Resp. cum Bellarm. lib. 5 de Justificat. cap. 6, citatos Patres tantum velle 1, quod vita æterna non debeatur illis meritis, quæ tantum sunt ex nobis, id est, facta sine gratia DEI. 2. Quod non debeatur meritis hominum ex jure absolute, eoquod præsupponant gratiam, & promissionem DEI. 3. Quod non tantum detur pro mensura operum, sed multo amplius, quantum videlicet decet munificentiam DEI. 4. Quod apud justos plerumque cum bonis meritis mixta sint peccata levia, quæ misericordia, & remissione indigent, ut docet S. Hilarius.

Obj. 3. Quando Scriptura ait, vitam æternam 267
reddendam esse bonis operibus, de illis solum loquitur tanquam signis, & fructibus fidei; neque enim particulæ cum, quia, &c. causam, sed solum ordinem Divinæ providentiæ denotant, hinc 1 Petr. 1 v. 9 dicitur: *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.* Conf. Si etiam nos deberemus mereri vitam æternam, virtus meritorum inter nos, & Christum divideretur, quod est contra Apostol. ad Ephes. 2 v. 8: *Gratia estis salvati, non ex operibus, nequis glorietur.* Resp. neg. ant. Tum quia vita æterna expresse vocatur merces, debitum, &c. tum quia Christus Matth. 25 v. 35, & 42 eodem modo loquitur de regno dando bonis, & de gehenna reddenda impiis. *Esurivi enim, & non dedistis mihi man-*

manducare &c. Atqui opera mala vere merentur gehennam; hinc Petrus loquitur de fide, quæ dilectionem operatur, neque dicit ſalutem eſſe mercedem, ſed finem fidei. Ad conf. neg. ant. Cum totam vim noſtrorum meritorum meritis Chriſti debeamus, quod ſolum in textu objecto Apoſtolus inſinuat, vis meritorum Chriſti proprie non dividitur, nec ejus gloriæ aliquid derogatur, licet homo eandem vitam æternam etiam ſecundario, & viribus a Chriſto communicatis mereri debeat. Vid. num. 200.

268 Dices. Quidquid homo facit, titulo creationis debet DEO; ſeu qui tantum facit, quod debet, non meretur; nam Chriſtus Luc. 17 v. 10 inquit: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Conf. Gloria æterna debetur juſto tanquam hæreditas: ergo non debet illam mereri, & ideo Iſai. cap. 5 v. 1 ait: *Venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac.* Reſp. trans. maj. neg. min. Quia DEUS id, quod a nobis ut debitum exigere poſſet, ex gratuita conventione, & promiſſione acceptat tanquam ſponte, & voluntarie oblatum. Dicimur nihilominus ſervi inutiles, tum, quia nihil poſſumus ex nobis ſine Divino adjutorio, tum, quia opera noſtra nihil utilitatis DEO afferunt, cum illis non indigeat. Ad conf. conc. a. & neg. conſ. Sicut Chriſtus gloriam corporis, ſibi tanquam filio DEI naturali debitam, voluit ſua paſſione mereri, ita DEUS voluit, ut filii ſui adoptivi, qui uſum rationis habent, vitam æternam non tantum acquirant titulo hæreditatis, ſed quod magis honorificum, etiam titulo coronæ, & mercedis, & quidem in majori gradu, quam parvuli, qui ſolo filiationis nomine illam obtinent. Iſaias non loquitur de felicitate æterna, ſed de gratia hujus temporis, quæ utique gratis datur, & merita noſtra præcedit.

269 Obj. 4. Ex una parte opera noſtra non ſunt ex propriis viribus, neque DEO aliquam utilitatem

afferunt: ex altera parte sunt valde imperfecta propter negligentias, mentis evagationes &c. ut merito Psalmista Psalm. 142 v. 2 exclamaverit: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; & Ecclesiastes cap. 7 v. 21: *Non est justus, qui faciat bonum, & non peccet*: ergo. Conf. Isai. 64 v. 6 dicitur: *Facti sumus, ut immundi omnes, & quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ*. Resp. Quamvis opera nostra tota sint DEI propter gratiam adjuvantem, non tamen sunt DEI totaliter, quia libere gratiæ cooperamur: neque opus est, ut DEO proprie aliquam utilitatem afferant; quam enim utilitatem habet, qui cursoribus præmium proponit, ex obligatione solvendum victori. Equidem etiam justi sæpe leviter peccant, quod solum evincunt textus citati, non tamen omnia illorum opera sunt imperfecta positive, ipsa Scriptura de Job testante: *In his omnibus non peccavit Job labiis suis*; Job 1 v. 22, alias sicut nullum peccatum, sic nullum opus bonum esset faciendum. Ad conf. Isaias loquitur de Judæis illo tempore, quo propter ingentia scelera abstrahendi erant in captivitatem Babylonicam, nec de omnibus absolute, aut de singulis illorum operibus, sed tantum de magna parte, usitato Scripturæ more omnes pro multis ponens.

Dices 1. Saltem opera nostra non habent æqualitatem cum præmio vitæ æternæ; quia actus humanus non potest æquari cum præmio infinito; & ideo Apostolus ad Rom. 8 v. 18 ait: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Conf. DEUS Justos remunerat supra condignum, ut patet ex damnata propositione Baji: *Opera bona non accipiunt in die judicii ampliorem mercedem, quam justo DEI judicio mereantur accipere*. Resp. dist. ant. Non habent æqualitatem absolutam, & arithmeticam, conc. ant. æqualitatem geometricam, & proportionis, neg. ant. Opera 270

justo-

justorum ex dignitate filii adoptivi DEI tantam habent præstantiam, ut a Patre munificentissimo non possent convenienter minus præmiari, quam vita æterna, præsertim cum beatitudo formalis tantum sit finita, licet de objecto infinito. Apostolus loco cit. loquitur de operibus nostris præcise secundum se spectatis; nam de illis ut dignificatis a gratia 2 ad Cor. 4 v. 17 ait: *Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum, in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur.* Ad conf. DEUS remuneratur ultra condignum, non quasi opera nostra condignitate careant, sed quatenus liberaliter promerito præmio aliquid superaddit, nempe majorem intensionem beatitudinis, vel alia præmia accidentalia.

271 Dices 2. Meritum de condigno infert debitum in præmiante; sed DEUS nemini potest esse debitor. Hinc Trident. Sess. 6 cap. 16 ait: *vitam æternam bene operantibus, & filiis DEI proponendam esse tanquam gratiam per Christum misericorditer promissam.* Conf. Vel DEUS deberet vitam æternam bonis operibus reddere ex justitia commutativa, vel ex distributiva, vel ex sola fidelitate? neutrum potest dici: ergo. Resp. conc. maj. dist. min. Nisi DEUS se sponte per promissionem ad dandam mercedem obliget, conc. min. si ita se obligat, neg. min. Quamvis DEUS homini, præsertim post lapsum in peccatum originale, liberrime, & ex mera gratia vitam æternam tanquam mercedem promiserit, ut advertit S. August. Serm. 13 de verbis Apostoli; tamen supposita hac promissione illa proprie meritis nostris debetur. Hinc Tridentinum in eodem loco ait: *Vitam æternam proponendam quoque esse tanquam mercedem.* Est itaque vita æterna, ut Joann. 1 dicitur, gratia pro gratia, seu gratia in radice, nempe in auxiliis præviis, meritis Christi, imo etiam in nostris meritis, quæ & ipsa sunt dona DEI. Ad conf. Conformiter ad ea, quæ in tractatu de Justitia a num. 464 ex-

explicavi, dico, vitam æternam homini deberi ex justitia commutativa, utpote promissam sub conditione onerosa, quatenus tamen DEUS præmiat supra condignum, admiscetur aliqua liberalitas, & potius servatur proportio justitiæ distributivæ. Vid. etiam dicta in Tractatu de DEO a num. 594.

Quæres adhuc 1. An, & quomodo futura sit 272
resurrectio mortuorum? Resp. Resurrectionem corporum præter gentiles negarunt Sadducæi, Simon Magus, Marcionitæ, Gnostici, aliique veteres hæretici, sed illam aperte in Symbolo profitetur Ecclesia: *Credo Carnis resurrectionem.* Equidem hæc resurrectio non habet principium in ipsa natura; verum Scriptura multis in locis illam clare asserit, sic Joann. 5 v. 28 dicitur: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii DEI, & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii;* nempe post universalem mundi conflagrationem; nam Job. 14 v. 12 habetur: *Homo cum dormierit, non resurget, donec alteratur cœlum;* nisi videlicet ex speciali privilegio resurrectio anticipetur, ut de B. Virgine pie credit Ecclesia, & de SS. Patribus, qui cum Christo resurrexerunt, asserit S. Matth. cap. 27. Resurget autem quisque in proprio suo corpore; hinc Job. cap. 19 v. 25 ait: *In novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea;* & quidem in illa perfectione, quam natura habet in statu juvenili, aut virili, seu ut Paulus ad Ephes. 4 v. 13 loquitur: *In virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi;* quod S. Thomas etiam ad damnatos extendit, quia DEUS hic non videtur attendere ad merita, sed ad naturalem constitutionem.


Quæres 2. An, & quomodo futurum sit judi 273
cium universale? Resp. Præter recensitos numero superiore judicium universale negarunt Symmachiani, Hermianitæ, Dositheani, Manichæi, & postea

tempore Clementis VII Gregorius Gandavensis. Idem vero tanquam articulum fidei Ecclesia professa est in omnibus Symbolis, Apostolico, Nicæno I, & Constantinopolitano; de eodem loquitur Apostolus 2 ad Cor. 5 v. 10, dum ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum.* Itaque post resurrectionem mortuorum *apparebit signum filii hominis* (Crux Christi) *in cœlo, & omnes tribus terræ videbunt filium hominis* (in forma humanitatis gloriosa, & supra solem splendente) *in nubibus*, Matth. 24 v. 30, & seq. Simul unusquisque cognoscet omnia opera bona, & mala, non solum propria, sed etiam omnium aliorum; *Nihil enim est opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non scietur*, Matth. 10 v. 26, ut sic omnibus clare appareant gratiæ, virtutes, & justitia Divina. Tandem Christus finalem proferet sententiam, ad eos, qui a dextris erunt, dicens: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum;* ad eos vero, qui a sinistris erunt: *Discedite a me maledicti in ignem æternum.*

274 Quæres 3. Quomodo post resurrectionem constituta sint corpora Beatorum. Resp. De his S. Paulus 1 Cor. 15 v. 42, & 43 ita loquitur: *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget spirituale.* Unde Theologi corporibus gloriosis 4 speciales dotes assignant; prima est Impassibilitas, excludens non tantum mortem, & corruptionem, sed etiam omnem dolorem: secunda est Claritas, per quam corpus non solum quoad superficiem, sed etiam quoad intimas partes lucidissimum, ac splendidissimum reddetur; tertia Agilitas, vi cujus corpus ab anima sine difficultate quocunque celerrime, non tamem instantanee, moveri poterit; quarta est Subtilitas, nam corpus gloriosum

ſum habebit ſubtiliſſimam vim penetrandi alia corpora, quin tamen ideo revera vertatur in ſpiritum, ut quidam hæretici cum Euthychio voluerunt. Præterea quibusdam Beatis, videlicet Martyribus, Virginibus, & Doctoribus, qui alios erudierunt ad Juſtitiam, conferetur aureola, ſeu laureola, per quam juxta S. Thomam in 4 diſt. 49 q. 5 a. 1 intelligitur ſpecialis quædam prærogativa, & gloria accidentalis, eamque ob ſpecialem cum Chriſto conformitatem ipſis tribui indicat Scriptura, dum Apocal. 7 ait, Martyres dealbaviſſe ſtolas ſuas in ſanguine Agni, & ideo eſſe ante Thronum DEI. Apocal. 14 Virgines ſequi Agnum quocunque ierit, & cantare canticum novum. Daniel. 12 Doctores fulgere quaſi ſplendorem firmamenti, & quaſi ſtellas in perpetuas æternitates.





PARS III.

De Actibus humanis.

275 Per actus humanos in sensu Theologico intelliguntur illæ operationes, quæ ab homine modo humano, id est, ex deliberata, & libera voluntate procedunt; quæ autem fiunt mere naturaliter, ut respiratio, aut absque advertentia, & deliberatione, ut jactatio brachii in somno, vocantur actus hominis. Confundunt aliqui cum actibus humanis actus morales; verum puer necdum cognoscens virtutem, aut vitium, dum e. g. cibum dulcem præ amaro eligit, revera agit modo humano, quin ideo talis electio ad genus moris pertineat. Igitur ad actum moralem ulterius requiritur, ut fiat cum advertentia ad regulam quamdam honestatis, sine qua advertentia nec laudis, nec vituperii, nec meriti, nec demeriti in ordine ad ultimum finem capax est; unde forma denominans actum moralem præter ipsius tendentiam in objectum tria involvit, voluntarietatem, libertatem, & moralitatem, seu advertentiam ad regulam honestatis.

276 Dividuntur actus morales 1 in bonos, malos, & indifferentes; si enim actus (vel omissio, quæ etiam ad actum reducitur) est conformis præcepto, vel consilio Divino, erit bonus, & honestus; si sit contra præceptum, erit malus, & inhonestus; si neque sit contra, neque juxta præceptum, vel consilium, erit actus indifferens, id est, neque positive bonus, neque positive malus. Dividuntur 2 in elicitos, imperantes, & imperatos. Eliciti sunt, qui primo & immediate a voluntate procedunt, & quidem mere eliciti, si in se ipsis sistant, & quasi consummentur, uti simplex amor, & odium: si vero alium adhuc actum imperent, simul erunt actus imperantes. Actus vero imperati pos-

possunt esse vel externi, uti ambulatio, vel interni, uti intellectio, imo actus ipsius voluntatis non raro sunt imperati, e. g. quando voluntas sibi imperat actum contritionis.

DISPUTATIO I.

De voluntarietate actuum humanorum.

Voluntarium a philosopho 3 Ethic. cap. 1 definitur illud, cujus principium est in ipso agente, cognoscente singula, in quibus est actus, seu, ut Theologi communiter explicant, quod procedit ab appetitu rationali cum cognitione finis, & illorum omnium, secundum quæ aliquid voluntarium est. Differt 1. A violento, quia hoc provenit a principio extrinseco renitente passo, & cadit etiam in res inanimatas. 2. A spontaneo, quia spontaneum etiam convenit brutis, & ab appetitu sensitivo potest provenire. 3. A libero, quia liberum est, quod ita procedit a voluntate, ut proxime posset ab illa non procedere, velut amor DEI, quem elicimus in via; at amor, quem Beati in patria eliciunt, summe voluntarius est, etsi a voluntate procedat necessario. Hinc omne liberum est voluntarium, sed non omne voluntarium est liberum; licet sæpe a Theologis, & Patribus confundantur, ut quando S. Aug. lib. 3 de lib. arbit. cap. 3 dixit: *Voluntas aut est libera, aut non est voluntas*, ubi per liberum non intelligit libertatem indifferentiæ, sed tantum a coactione. 277

Itaque ad voluntarium proprie tale requiritur, ut procedat a voluntate illius, cui aliquid est voluntarium; quippe homicidium, quod ab alio fieri desideras, quin in illud physice, præbendo auxilium homicidæ, vel moraliter, suadendo, consulendo &c. influas, volitum quidem tibi est, sed non voluntarium, nec imputabile ad culpam; ipsum tamen desiderium homi- 278

micidii est tibi voluntarium, & imputabile. 2. Ut fiat cum prævia cognitione finis, & earum circumstantiarum, secundum quas aliquid est voluntarium. Hinc siquis occideret patrem suum, invincibiliter judicans, esse feram, erit illi voluntaria occisio, sed non homicidium; si vero sciat, illum esse hominem, at invincibiliter ignoret, esse patrem, voluntarie committet homicidium, at non parricidium. 3. Ut cognitio prævia dirigat, & suo modo etiam influat in actionem, quæ dicitur voluntaria; unde licet homo respirationes, pulsus arteriæ, &c. ad aliquem finem referat, non sunt actus voluntarii; nam æque fierent, etsi finis ille nec intenderetur, nec cognosceretur.

279 Dividitur voluntarium 1 in formale, & objectivum. Formale est ipsa volitio immediate a voluntate elicita; huic enim per se ipsam formaliter, & intrinsece ratio voluntarii convenit. Objectivum est objectum, in quod volitio tendit, a qua propterea extrinsece voluntarium denominatur, & subdividitur in actuale, virtuale, & habituale. Actuale tunc datur, quando volitio adhuc actu existit, & quidem expresse. Virtuale, quando volitio non amplius existit in se ipsa, saltem expresse, & perceptibiliter, existit tamen in aliqua sui virtute, vel effectu, ut siquis intendens laudare DEUM inter orandum fit distractus, sed nihilominus pergit, nec priorem suam intentionem revocat, talis oratio illi virtualiter adhuc est voluntaria, quia prima voluntas, & intentio perseverat in aliquo suo effectu, videlicet in actu tenui interno, & in recitatione externa. Voluntarium habituale est, quando volitio quidem præcessit, nec amplius in se, nec in suo effectu perseverat, attamen etiam non est retractata per actum contrarium. Ita peccatum voluntarie admissum, nec retractatum per actum doloris, manet habitualiter voluntarium.

Divi-

Dividitur 2 in Voluntarium purum, quod non 280 habet conjunctam inclinationem in contrarium, & in mixtum, quod talem inclinationem conjunctam habet, & iterum duplex eſt. Nam aliud eſt voluntarium ſimpliciter, quod eſt juxta efficacem, & abſolutam inclinationem: aliud eſt voluntarium ſecundum quid, quod tantum eſt juxta inclinationem voluntatis inefficacem, & conditionatam. In exemplo; ſi mercator ex timore naufragii projicit merces in mare, non projecturus, niſi periculum eſſet naufragii, hæc projectio ſimpliciter manet illi voluntaria, non obſtante inefficaci inclinatione in contrarium, qua vellet retinere merces, & projectio ſecundum quid involuntaria redditur: retentio mercis autem in hoc caſu eſt voluntaria ſecundum quid. Unde etiam patet, quid ſit involuntarium, nempe involuntarium negative eſt, quod vel non procedit a voluntate, vel non cum prævia cognitione; involuntarium autem poſitive tale eſt, quod eſt contra poſitivam inclinationem voluntatis, ut ſiquis contra ſuam voluntatem a ſatellitibus in carcerem abſtrahitur.

Dividitur 3 in voluntarium expreſſum, ſeu in 281 ſe, quod immediate in ſe ipſo volitum eſt; & in voluntarium implicitum, ſeu in alio, quod quis tantum vult in ſua cauſa, cum qua illud cognoſcit eſſe connexum. e. g. Sempronius ſubjicit ignem ædibus ſui inimici ea intentione, ut domus conflagret. Titius paſſerem jaculaturus exonerat ſclopetum in tectum ſtramineum; combuſtio domus Sempronio eſt voluntaria expreſſe, Titio implicite, ſiquidem non intendit, attamen prævidit oriturum incendium. Voluntarium in ſe etiam aliqui vocant voluntarium directum, voluntarium vero in alio indirectum. Sed S. Thomas 1. 2 q. 76 a. 3 per voluntarium directum intelligit illud, quod procedit a voluntate, in quantum eſt agens: per indirectum, quod procedit a voluntate, in quantum aliquid omittit; ſimiliter alii terminos, quibus in his di-

visionibus juxta communiorem acceptionem usi sumus, aliter accipiunt; unde diligenter attendendum, in quo sensu loquantur, ne ex verbis perperam intellectis nascatur error circa ipsam rem.

282 Quæres. Quid requiratur, ut effectus aliquis secundum se non intentus, sit moraliter voluntarius, & imputabilis in causa, vel indirecte? Resp. Hæc tria requiri. 1. Ut quis advertat, vel saltem non inculpabiliter ignoret, effectum certo, aut probabiliter esse secuturum; sicut enim nihil volitum, sic nihil voluntarium, nisi præcognitum. 2. Ut talem effectum possit impedire non ponendo, vel auferendo causam; alias sicut causa alicui non est libera, & imputabilis, sic neque effectus secundum se non intentus. 3. Ut quis etiam teneatur effectum impedire, ad quod non sufficit, ut causa, & effectus sit prohibitus, sed ipsa positio causæ ideo debet esse prohibita, ne talis effectus sequatur. Nam licet ejusmodi prohibitio non faciat, ut effectus physice magis procedat a voluntate; inducit tamen moralem connexionem causæ cum effectu, & est conditio necessaria ad hoc, ut effectus moraliter possit imputari. Unde in sensu morali ille solum dicitur aliquem effectum procurare, qui illum intendit secundum se, vel in alio prohibito eo fine, ne effectus sequatur. Horum neutrum si fiat, dicitur effectus solum permissus, aut non impeditus.

283 Colliges 1. Perjuria in plena ebrietate prolata non sunt moraliter voluntaria illi, qui antea periculum pejerandi inculpabiliter non advertit. 2. Naufragium non est moraliter voluntarium gubernatori, si illud impedire non potuit. 3. Blasphemia subditi non potest imputari superiori, illum pro officio castiganti, nec damnum proximi Petro, habenti jus aquam a suo horto arcendi, licet hæc defluat in hortum vicinum, eique damnum inferat. 4. Motus inhonesti non censentur voluntarii Confessario, qui ex obligatione debet audire confessiones, licet

de

de se sint prohibiti, & provideantur secuturi, dummodo Confessarius directe in illos non consentiat. 5. Fornicatori non est moraliter imputabile peccatum originale, licet fornicatio sit prohibita, & connexa cum conceptione prolis in peccato originali. Neque obstat, quod ejusmodi effectus, si prævidentur, saltem mediate a voluntate, & quidem cum cognitione finis procedere videantur; nam voluntas illos ad summum vult, & causat effective in consideratione physica, non vero affective, ac in consideratione morali.

Econtra ab omnibus moraliter voluntaria censetur 1 occisio hominis intra dumetum latentis, in quem agnito periculo homicidii, nec sufficienti cautela adhibita exoneras sclopum. 2. Motus inhonesti provenientes ex lectione obscœnorum graviter illicita. 3. Oblivio peccati ex defectu culpabili discussionis conscientiæ. 4. Homicidium gubernatori urbis, qui ratione sui muneris illud potuisset, & ex justitia debuisset impedire. 5. Imo modo quis ex charitate fuerit obligatus, & potuerit homicidium impedire, illud ipsi esset imputabile quoad culpam contra charitatem, quamvis proprie non foret homicida, eoquod non peccaret contra justitiam. Unde quando cap. Sicut dignum de homicidio dicitur: *Qui potuit hominem a morte liberare, & non liberavit, eum occidit*, verba ista vel accipi debent largius in sensu minus proprio, vel explicari de eo, qui homicidæ positive cooperatur; nam statim additur: *Constat ab homicidii reatu immunes non esse, qui occisoribus opem præstare contra alios venerunt.* 284

QUÆSTIO I.

Quomodo ad voluntarium se habeat concupiscentia, vis & metus?

Per concupiscentiam hic intelligitur passio, seu motus appetitus sensitivi, prosequens bonum sensi- 285

bile, aut malum ſenſibile fugiens; quamquam in ſenſu ſtricto appetitus concupiſcibilis ſe ſolum ad bona ſenſibus grata extendat, ea vero, quæ ſenſibus ingrata, & cum aliqua moleſtia conjuncta ſunt, potius ad appetitum iraſcibilem pertineant. Dividitur concupiſcentia in antecedentem, quæ deliberatum voluntatis conſenſum præcedit, eumque allicit; ut cum viſa muliere voluntas ſubito ad ejus deſiderium movetur. In conſequentem, quæ ex prævio voluntatis actu ſequitur, in quantum voluntas non poteſt intenſe aliquid amare vel averſari, quin etiam in appetitu ſenſitivo aliquis motus excitetur. In concomitantem, quæ ita voluntatis conſenſum conſequitur, ut ſimul ſit cauſa ardentioris motus ejusdem voluntatis.

286 Hinc concupiſcentia antecedens, & concomitans adeo voluntarium qua tale non minuit, ut illud etiam augeat. Quippe facit, ut voluntas cæteris paribus majore inclinatione in objectum feratur, quemadmodum teſtatur experientia, & inſinuat S. Jacob. cap. 1 v. 14 ita ſcribens: *Unusquisque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus.* Equidem quandoque contingit, ut homo invitus a ſua concupiſcentia trahatur, ita, ut ipſimet vehementia ſuæ paſſionis, & actio inde conſequens diſpliceat. Sic qui actu fertur in voluptates carnis, ſimul habere ſolet remorſum conſcientiæ, eoquod cognoſcat ipſis annexam eſſe pœnam æternam. Verum ejusmodi diſplicentia eſt potius ſpeculativa, quam practica, & non fertur in ipſas voluptates propter ſe, ſed propter annexas pœnas. Hinc dicunt, ejusmodi actiones in ſenſu ſtricto, ne quidem ſecundum quid eſſe involuntarias, ſed ad involuntarium ſtricte tale requiri, ut quis ipſum objectum averſetur ratione ſui tanquam ſibi malum, & illud præciſe velit ex ingrata neceſſitate ad evitandum majus malum.

Nihil-

Nihilominus concupiſcentia antecedens minuit 287
peccatum, & quandoque omnino ab illo excuſat; cum enim ex una parte intellectum longe intenſius applicet ad conſiderandum objectum concupitum, & motiva allicientia, ex altera vero parte a conſiderandis motivis retrahentibus avertat, vel omnino impediat; minuit, vel omnino tollit voluntatis indifferentiam, & libertatem, adeoque etiam ipſum peccatum. Hinc juxta omnes magis venia dignus eſt, qui gravi tentatione vel paſſione victus, quam qui ex mera malitia peccat. Quando igitur S. Thomas q. 66 art. 6 in Corp. ait: *Quando aliquis majori libidine, vel concupiſcentia peccat, tanto magis peccat*, intelligi debet de concupiſcentia conſequente, vel concomitante, in quantum ex illa intenſio voluntatis præviæ colligitur, vel voluntas non obſtante ſufficiente libertate magis, & magis inflammatur. Quæ ut melius explicentur, Theologi aliquos actus voluntatis vocant primo primos, alios ſecundo primos, alios ſecundo ſecundos, ſeu abſolute ſecundos.

Actus, ſeu motus primo primi ſunt, qui fiunt 288
abſque omni advertentia ad bonitatem, vel malitiam moralem; ut quando quis graviter offenſus ſubito excandeſcit in iram, & deſiderium vindictæ, antequam advertat, quid agat. Secundo primi ſunt, qui fiunt cum ſemiplena advertentia ad malitiam. Secundo ſecundi ſunt, qui fiunt cum plena advertentia, & deliberatione; quod iſti in re gravi ſint peccatum grave, licet ob vehementiam concupiſcentiæ non nihil diminutum, nemo dubitat; de motibus primo ſecundis conſtat ex Tractatu de peccatis, illos tantum eſſe peccatum veniale, etſi verſentur circa materiam gravem; de motibus denique primo primis, inter quos raro referri poſſunt actiones externæ, præſertim ſi fiant cum aliqua mora, docet communiſſima, quod omnis libertatis, & culpæ expertes ſint. Hinc miror, quod Laurent. Berti aſſerat, actus vo-

lun-

luntatis adhuc esse liberos, *Etiamsi concupiscentia adeo vehemens sit, & robusta, ut omnem rationem perturbet, nec supernæ gratiæ lumen affulgeat.*

289 Ait nempe lib. 2 de Theolog. discipl. cap. 1: *Foret in eo casu extenuata quidem vis voluntatis in ordine ad bonum, sed perseveraret adhuc liberi arbitrii sub morali quadam necessitate facultas; quoniam nullum bonum sensibile potest rationalis creaturæ animum insuperabili necessitate compellere.* Sed contra est 1. Ubi concupiscentia omnem rationem perturbat, & nullum gratiæ lumen affulget, nulla potest esse deliberatio, nulla advertentia ad bonum, & malum: ergo nequidem datur physica libertas agendi bene, vel male. 2. Ipsa experientia manifeste testatur, quod non raro concupiscentia omnem rationem prævertat, ut de se fatetur Apostolus ad Rom. 7 v. 15: *Non enim, quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* 3. Nisi motus indeliberati concupiscentiæ culpa vacarent, immerito a Pio V damnata fuisset propositio Baji 75: *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto: Non concupisces; unde homo eos sentiens, & non consentiens transgreditur præceptum: Non concupisces, quamvis transgressio in peccatum non imputetur.*

290 Vis, seu violentia alia est absoluta, cui simpliciter resisti non potest; alia conditionalis, & secundum quid, cui non potest resisti sine magna difficultate, quo etiam reduci potest metus, qui ab Ulpiano l. ait Prætor. ff. *Quod metus causa*, dicitur mentis trepidatio instantis, vel futuri periculi causa: sensus est, quod metus sit actus appetitus sensitivi, refugientis a malo imminente, quod difficulter evitari, vel impediri potest. Dividitur metus in gravem, & levem, ab intrinseco, vel extrinseco provenientem, juste, vel injuste incussum. Sed hic præcipue notandum est discrimen inter metum impellentem, & retraheentem, seu concomitantem. Metus concomitans est, qui voluntatem non movet ad agen-

agendum, sed potius ab agendo retrahit, & propterea talis actio dicitur fieri cum metu. Sic mercator navigat cum metu naufragii, quod timet. Metus impellens est, qui voluntatem movet ad agendum, & ideo ejusmodi actio dicitur fieri ex metu. Sic mercator projicit merces in mare ex metu naufragii.

Quoniam omnis volitio est ab intrinseco, & 291 juxta voluntatis inclinationem, vis autem contra illius inclinationem, est ab extrinseco, nunquam voluntati potest inferri violentia absoluta quoad actus internos; loquendo autem de actibus externis violentia absoluta voluntarium perimit; conditionalis illud duntaxat minuit. Ratio primæ partis est, quia actio, quæ fit per coactionem absolutam, fit voluntate modis omnibus renitente. Ratio secundæ partis est, quia ubi voluntas non tantum resistit, quantum potest resistere, manet aliqua ratio voluntarii, major, aut minor juxta proportionem resistentiæ. e. g. Si puella, cui vis infertur, interius, & exterius pro viribus resistit, & nullo modo consentit, nihil peccat, etiamsi corpore violetur; si vero solum renititur interius, & non exterius, quantum moraliter potest, ac debet, repugnando, clamando, &c. culpa non vacat; idem esset, si solum interne consentiret, quia hic consensus hoc ipso esset voluntarius.

Quod ex metu fit, manet simpliciter voluntarium; nam ejusmodi actio est ab intrinsero cum cognitione finis, & quidem ita, ut voluntas illam magis velit, quam nolit; nihilominus talis actio est ordinarie involuntaria secundum quid, quia ordinarie simul est contra inclinationem voluntatis in efficacem, & conditionatam, qua voluntas talem actionem aversatur tanquam sibi malam. Sic licet mercator ex metu naufragii absolute velit projectionem mercium, illam tamen inefficaciter tanquam malam odit. Ubi vides, quod metus impellens causat voluntarium tam materialiter, quam formaliter; in- 292

vo-

voluntarium vero solum materialiter, non enim projectionem mercium aversatur ideo, quia metuit naufragium, sed quia amat divitias, vel paupertatem horret. Imo potest contingere, ut actio ex metu posita ne quidem secundum quid sit involuntaria. Sic qui ex metu inferni abstinet a transgressione præcepti, non est ita constitutus, ut nollet abstinere, si infernus non esset, sed abstrahit, quid tunc esset facturus, alias hoc ipso peccaret, & infernum meretur.

293 Colliges 1. Actio, quæ fit ex metu, potest esse moraliter bona, etsi secundum quid sit involuntaria; siquidem displicentia non tendet in actionem bonam ut præceptam, sed tantum ut difficilem; nam ejusmodi molestiam, & repugnantiam sentire per se malum non est, imo si per observationem præcepti vincitur, adauget meritum. 2. Quia metus impellens minuit voluntarium, & liberum, peccatum ex metu factum tanto est minus, quo gravior, & magis injustus fuit metus; raro tamen, vel nunquam ideo ex mortali fit veniale, si detur deliberatio, & consensus ad mortale requisitus. 3. Hinc ex nullo metu licitum est transgredi præceptum in illis circumstantiis, in quibus illud adhuc obligat, ut fit circa actus intrinsece malos e. g. fornicationem, mendacium, blasphemiam, &c. Nam ejusmodi actus non obstante quocunque metu manerent adhuc prohibiti, voluntarii, & liberi, nisi metus omnino rationem perturbaret, & omnem advertentiam tolleret.

294 Interim circa ea, quæ non sunt intrinsece mala, metus gravis sæpe facit, ut lex non amplius obliget, & in hoc sensu metus gravis quandoque excusat. 1. A præcepto naturali affirmativo; sic non obligaris ad restitutionem rei ablatæ cum gravissimo damno famæ. 2. A lege Divina; sic non teneris peragere confessionem materialiter integram, cum periculo vitæ, vel alterius gravis incommodi, confessioni extrinseci. 3. Communiter a lege humana

tam

tam civili, quam Ecclesiastica e. g. a jejunio, ab audienda Missa cum gravi incommodo valetudinis. Nihilominus etiam istæ leges in quibusdam casibus semper obligant vel per se, quando agitur de bono communi, quod merito præponendum est privato e. g. vita militis stationarii bono reipublicæ: vel per accidens, quando neglectus legis cederet in contemptum Religionis, qua ratione in certis circumstantiis esus carnium die jejunii potest esse illicitus, etsi mors ab hæretico sustinenda esset; quamquam tunc etiam concurrat lex naturalis universim prohibens, ne quid fiat in contemptum Religionis.

QUÆSTIO II.

Quomodo ad voluntarium se habeat Ignorantia vincibilis?

Ignorantia in genere est negatio scientiæ, seu 295
cognitionis de aliqua re, & siquidem sit ignorantia rei, quam quis scire non debet, ut ignorantia jurisprudentiæ in rustico, dicitur nescientia, vel ignorantia negativa; si vero sit ignorantia rei, quam quis scire debet, ut ignorantia Symboli Apostolici in Christiano, vocatur privativa, seu stricte talis; si denique hæc ignorantia conjuncta sit cum errore seu judicio erroneo, quo quis positive judicat contrarium, vocatur ignorantia pravæ dispositionis, vel pravi habitus. Præterea alia ignorantia est juris, alia facti, alia pœnæ. Ignorantia juris versatur circa legem, vel præceptum; ut siquis ignoret, percussionem Clerici esse prohibitam. Ignorantia facti versatur circa factum; ut si quis sciens legem ignoret, hunc hominem, quem percutit, esse clericum. Ignorantia pœnæ versatur circa pœnam; ut si quis ignoret, percussioni clerici esse annexam pœnam excommunicationis.

Sed in ordine ad præsens institutum ignorantia 296
præcipue dividitur in vincibilem, & invincibilem. Posterior est, quæ morali diligentia vinci, & supe-

perari nequit. Eſt quandoque antecedens, quando videlicet imperium voluntatis ita præcedit, ut ſubſecutam actionem cauſet, non quidem influendo poſitive, attamen negative removendo prohibens, in quantum actio illa non poneretur, ſi ignorantia abeſſet; ut ſi quis occidit hominem, invincibiliter exiſtimans, eſſe feram, & non occiſurus, niſi ignoraſſet, eſſe hominem. Quandoque vero ignorantia invincibilis eſt concomitans, cum qua ita actio ſubſecuta ponitur, ut etiam poneretur, quamvis abeſſet ignorantia; ut ſi quis occidit ſuum inimicum, invincibiliter ratus, eſſe feram, vel maxime etiam occiſurus, ſi ſciviſſet ſuum eſſe inimicum; nam in tali caſu ignorantia ne quidem negative in homicidium influit, ſed tantum removet notitiam inimici, quæ homicidium potius promoviſſet.

297 Ignorantia vincibilis eſt, quæ moraliter vinci poteſt ac debet, vocatur etiam conſequens, quia ſemper aliquo modo imperium voluntatis conſequitur. Subdividitur in affectatam, craſſam, & levem. Affectata vocatur, quando quis data opera non vult indagare veritatem, ut liberius peccare, vel aliquam excuſationem prætexere valeat. Craſſa, lata, ſeu ſupina datur, quando in veritate indaganda nulla, aut vix ulla diligentia adhibetur. Levis eſt, ad quam ſuperandam aliquanto major, non tamen ſufficiens diligentia fuit adhibita, vel quæ non facile vinci potuit. Quanta autem diligentia requiratur, ut ignorantia fiat omnino invincibilis, penſata præcepti, perſonarum, & operationum qualitate prudentes judicabunt. Id certum, quod ſaltem debeat eſſe mediocris, & ſeria, qualem homines probi in ſimili negotio communiter adhibere ſolent. Item quod debeat eſſe major in re gravi, quam levi; major in homine docto, quam rudi, major in re, quæ alteri nocere poteſt, quam quæ nulli damnum affert.

Di-

Dicendum 1. Ignorantia vincibilis non tollit voluntarium, nec simpliciter excusat a peccato. Ita communissima cum S. Thoma 1 2 q 76 a. 3. Quod enim fit ex ignorantia vincibili, est volitum, & cognitum in sua causa, videlicet ignorantia, quam operans potuit, & tenebatur impedire: ergo adhuc simpliciter est voluntarium, & liberum. Hinc David Psalm. 24 v. 7 petit veniam pro peccatis ignorantiæ: *Ignorantias meas ne memineris Domine.* Dixi, non excusat a peccato simpliciter; cum enim id, quod fit ex ignorantia, sit tantum voluntarium in causa, & ordinarie secundum quid involuntarium, ignorantia minuit peccatum, modo nón sit affectata; quippe qui ideo vult ignorare, ut liberius peccare possit, neutiquam fit magis dignus venia, sed magis reus, utpote adeo adhærens peccato, ut etiam horreat scientiam ab illo avocantem. 298

Colliges 1. Qui ex ignorantia vincibili judicat, aliquid esse præceptum, quod revera tantum est licitum e. g. comedere carnes festo Natalis Domini incidente in sabbatum, non peccat illud agendo, quia tutius sequitur, & nulli periculo peccandi se exponit. 2. Idem est, si aliquid judicet tantum licitum, quod est præceptum e g. jejunare die Veneris; nam jejunando nullum præceptum transgreditur. 3. Si vero illud judicet esse licitum, quod revera prohibitum est e. g. comedere carnes die Veneris, agit contra præceptum, & peccat 4 Imo si judicet, aliquid esse præceptum, quod revera est prohibitum e. g. mentiri in commodum proximi, peccat, sive mentiatur, sive non; si enim mentitur, jam libere, & voluntarie facit aliquid illicitum; si vero non mentitur, agit contra propriam conscientiam, & amplectitur malum cognitum ut tale. Hinc in tali casu error debet deponi, vel si deponi non amplius possit, evadet invincibilis, saltem supposito, quod ignorantia per dolorem retractetur. 299

300 Dicendum 2. Ad peccatum ex ignorantia vincibili requiritur aliqua advertentia ad legem DEI, aut malitiam objecti, ita videlicet, ut operans saltem formidet, aut suspicetur, id, quod agit, esse malum, & tamen negligat ulterius indagare veritatem: Ita cum plurimis antiquis S. Anton. Alens. Cordub. Cajet. Silv. Suarez, Vasquez, Cardenas, contra Elizalde, Camargo, Habert, Berti, aliosque rigidiores Gallos, & Belgas. Probatur. Ut ignorantia sit theologice vincibilis, & culpabilis, debet dari potentia proxima illam vincendi, ac deponendi; nam remote absolute, & in aliis circumstantiis, puta, si hoc, vel illud mihi occurreret, si DEUS infunderet specialem illustrationem &c. quælibet ignorantia vinci posset: atqui si prorsus nulla datur advertentia ad malitiam objecti, & legem DEI, non datur potentia proxima ignorantiam hujus malitiæ vincendi, cum nullum prorsus motivum detur, aut finis in veritatem indagandi, potentia autem rationalis sine prudente motivo, aut sine agere nequeat. Certe omne voluntarium necessario supponit cognitionem sub ea ratione, sub qua est voluntarium, quomodo ergo malitia actionis potest esse voluntaria, ubi prorsus nulla malitiæ datur cognitio? aut quid præter hanc advertentiam plus adest, si ignorantia est invincibilis, quam quando est vincibilis?

301 Colliges 1. Ut ignorantia sit vincibilis, non sufficit cognitio, qua præcise proponitur commodum, vel incommodum actionis; nam per talem cognitionem necdum cognoscitur, aut apprehenditur malitia objecti, aut existentia legis prohibentis. Imo tali modo nunquam dari posset ignorantia invincibilis; nam quoties ponitur aliqua actio, semper cognoscitur illius commodum, utilitas, aut delectabilitas. Multo minus ignorantia redditur vincibilis solum per hoc, quod aliquis prius peccaverit graviter, ut docuerunt Vincentius Contenson, & Alexander Natalis; nam alias nullus peccator in ope-

operando amplius poſſet ſequi ſententiam minus tutam, licet probabiliſſimam, quod eſt in propoſitione 3tia damnatum ab Alexandro VIII. Quin ſi talis peccator bona ſide exiſtimaret aliquid eſſe graviter præceptum, quod reipſa eſt graviter prohibitum, e. g. reſtitutionem faciendam eſſe Cajo, cum facienda ſit Titio, non poſſet agere veram pœnitentiam; ſi enim proponeret reſtituere Cajo, peccaret ex ignorantia vincibili: ſi Titio, ageret contra propriam conſcientiam.

Dices 1. Qui occiderunt Apoſtolos, peccarunt ex ignorantia vincibili; atqui nullo modo adverterunt ſe peccare; nam Joann. 16 v. 2 de illis dicitur: *Venit hora, ut omnis, qui interficiet vos, arbitretur, obſequium ſe præſtare DEO*: ergo ut ignorantia ſit vincibilis, non requiritur advertentia ad malitiam objecti. Confir. Quia alias nulla darentur peccata occulta, quæ noſtram notitiam ſubterfugerent: atqui Pſalm. 18 v. 13 ait David: *Ab occultis meis munda me.* & Apoſt. 1 Cor. 4 v. 4: *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum; Quod idem eſt*, ait S. Baſil. conſtit. Monaſtic. cap. 12, *ac ſi diceret, multa delicta committo, quæ committere me non intelligo.* Reſp. conc. maj. neg. min. Quamvis enim arbitrabantur, obſequium ſe præſtare DEO, id non arbitrabantur absque formidine oppoſiti, neque ſtupenda Apoſtolorum miracula, vitæ, doctrinæ, ac morum ſanctitas illos omnino ignorare ſinebant atrocitatem ſui facinoris. Ad confir. neg. maj. Non raro memoriam noſtram fugiunt actiones externæ ſatis craſſæ, quanto facilius actus interni, qui etiam cum fiunt, vix percipiuntur? millenos quotidie elicimus, quos nec acutiſſimus, ac perſpicaciſſimus ad examen revocabit. 302

Dices 2. Juxta nos omnis ignorantia DEI eſſet invincibilis; hoc eſt damnatum ab Alexandro VIII, ut dixi in Tract. de legibus num 57: ergo. Maj. prob. Vel infidelis adverteret obligationem inda- 303

gandi in notitiam DEI, vel non? si primum, jam non ignorat DEUM, utpote de quo actu cogitat; si secundum, ignorantia DEI est invincibilis. Conf. Hæc propositio: *Nunquam peccatur, nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, & ejus vitandi desiderio exstimuletur*, est damnata a Sorbona. Resp. neg. maj. Ad prob. neg. min. quoad 1 membrum. Ut aliquis habeat notitiam de existentia alicujus objecti, non sufficit qualiscunque ejus repræsentatio, sed requiritur cognitio affirmans existentiam objecti; sic licet cogitem de numero pari, aut impari stellarum, adhuc ignoro, an sint numero pares, an impares. Simplex tamen repræsentatio objecti sæpe sufficit, ut ignorantia illius sit vincibilis; si enim infidelis habeat hanc, vel similem illustrationem: Si DEUS existit, ille vult, ut inquiram in se, & tamen negligat venire in notitiam DEI, ignorantia hæc ipsi est vincibilis. Ad conf. Propositio damnata debet intelligi de cognitione clara, & actuali; vel si aliud non vult, quam nostra conclusio, non est, cur nos censura terreat; nam fulmina Sorbonæ non transeunt ultra Rhenum.

304 Dices 3. Illa ignorantia est vincibilis, quæ potest, & debet deponi; atqui etsi nulla detur advertentia ad malitiam actionis, sæpe ignorantia posset deponi, modo melius attenderetur, & inquireretur, consequenter etiam debet deponi. Conf. Qui die festo negligit Sacrum Parochiale, prævidens periculum ignorandi, quæ denunciantur circa jejunia ea hebdomade occurrentia, peccat ex ignorantia vincibili etiam tunc, quando postmodum carnes die jejunii comedit, licet prorsus nihil cogitet de malitia hujus comestionis: ergo non requiritur actualis advertentia. Resp. dist. maj. Quæ potest deponi potentia proxima, conc. maj. potentia tantum remota, subdist. est vincibilis proxime, neg. maj. remote, trans. maj. & neg. suppositum, quod ignorantia tantum remote vincibilis sit vincibilis in

ſenſu morali, & ad peccatum ſufficiat. Sane ſacerdos, qui officium nec memoriter ſcit, nec Breviarium habet, nec illud poteſt acquirere, non peccat omittendo horas, licet habeat potentiam conditionatam, & remotam horas recitandi, ſi nempe ad manus eſſet, aut acquiri poſſet Breviarium. Ad confir. Omitt. ant. diſt. conſ. Non requiritur actualis advertentia tunc, quando actus ponitur, Trans. conſ. Saltem antecedenter, quando ignorantia voluntarie fuit admiſſa, neg. conſ.

Utrum ille, qui per præcedentem culpam dedit 305
cauſam transgreſſionis legis, poſtea revera adhuc peccet, quando de præcepto nullam amplius habet cognitionem, vel cauſam non amplius tollere poteſt, nova eſt controverſia. Quamquam enim communiſſime doceant, ejusmodi actum non amplius eſſe peccaminoſum, poſtquam poſitio cauſæ ſaltem per dolorem naturalem fuit retractata, eoquod tunc prior libertas ne quidem habitualiter permaneat, adeoque cauſa præterita nec phyſice, nec moraliter in actum ſubſequentem influat; ſi tamen ignorantia nondum ſit retractata, Medina, Rodriquez, Caſtropal. citantes pro ſe S. Thomam docent, ejusmodi actum vere adhuc eſſe peccatum. Unde ſequitur, quod aliquis teneatur cauſam prius retractare, antequam ſequatur violatio præcepti, vel niſi retractaverit, omnes actus malos inde ſecutos confiteri, utpote non minus formaliter peccaminoſos, quam ſunt actus externi. Addunt tamen, talia peccata a DEO non imputari ad novam pœnam diſtinctam ab illa, quam quis fuit meritus ponendo cauſam; hinc ſi ibi tantum leviter peccaſſet, etiam actum inde ſecutum, licet de ſe gravem, tantum fore peccatum veniale, e. g. ſi quis alteri ex ignorantia tantum leviter culpabili præbuiſſet venenum, mors inde diu poſt ſecuta ipſi imputaretur, ſed tantum ad peccatum leve.

306 Mitius sentiunt Azor, Vasquez, Salas, Præp. Sanchez absolute negantes, quod in tali casu peccatum novum committatur. Probant 1, quia omne peccatum est voluntaria, & libera transgressio legis Divinæ: ergo ubi non datur actualis libertas, non datur novum peccatum actuale. 2. Sic positis circumstantiis actus neque in se, neque in sua causa manet liber; ponitur enim, causam non amplius posse tolli: ergo non potest esse peccaminosus, esto quod aliquo modo physice a priore causa procedat. 3. Ut peccatum imputetur ad novam pœnam, requiritur nova ac libera prosecutio mali: ergo etiam ut imputetur ad novam culpam. Unde quando Patres videntur asserere, in tali casu peccatum committi, dicunt, illos exponendos esse, vel de casu, ubi datur nova advertentia malitiæ, & libertas, vel quod ejusmodi actus sit peccaminosus in sua radice, quatenus ponens causam jam tunc in tale peccatum consentit, quando advertit illud ex sua actione, vel omissione secuturum esse. Quæ ipsa etiam est ratio, cur ex ejusmodi effectibus oriatur obligatio restitutionis, incurrantur irregularitates, aliæque pœnæ, ob quas nonnunquam etiam per accidens debent exponi in confessione.

QUÆSTIO III.

Quomodo ad voluntarium se habeat ignorantia invincibilis?

307 Licet ipsi hæretici communissime admittant, quod ignorantia facti, & juris positivi, siquidem invincibilis, & antecedens sit, voluntarium tollat, & a peccato formali excuset; negant tamen id procedere de ignorantia juris naturæ. Sic Lutherus in cap. 12 Genes. ait: *Falsa est illa celebris scholasticorum sententia de ignorantia invincibili excusante.* Luthero adstipulantur ex Calvini gregalibus Hieron. Zanchius, ex

ex Professoribus Lovaniensibus Bajus, & Sinichius; Jansenius vero, postquam generalem sententiam scholasticorum retulit, oppositam omnino tuetur, ut dogma fidei, & rem extra omnem controversiam. Discrimen inter legem naturalem, & positivas sub nomine Wendrochii assignat Nicolius; quod ignorantia juris naturæ sit pœna peccati originalis, non item ignorantia juris positivi, utpote quod DEUS nec homini, nec Angelo manifestare teneatur.

Dicendum. Omnis ignorantia invincibilis, & 308
antecedens sive facti, sive juris etiam naturalis tollit voluntarium, & excusat a peccato secundum rationem, & circumstantiam ab operante ignoratam. Probatur 1. Ex una parte nihil potest esse voluntarium, nisi cognitum: ex altera parte laborans ignorantia invincibili inculpabiliter caret notitia inhonestatis ignoratæ: ergo ejusmodi inhonestas invincibiliter ignoranti non est voluntaria: ergo neque libera; cum omne liberum debeat esse voluntarium; atqui quod homini inculpabiliter nec liberum, nec voluntarium est, non potest ipsi imputari ad peccatum: ergo. Conf. Quia ad peccatum non sufficit, quod ignorantia legis sit pœna peccati originalis, & in illo quodam modo voluntaria, ut pluribus sequenti disputatione demonstrabo, & patet ex propositione 1 damnata ab Alexandro VIII: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, & liberum fuit in sua causa, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

Probatur conclusio 2, præsertim de ignorantia juris naturalis. Juxta Apostolum ad Rom. 1 v. 21 309
gentiles erant inexcusabiles, quia, *Cum cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt*: ergo infert S. Thomas lect. 7 in hunc locum; Si forte DEUM invincibiliter ignorassent, excusati fuissent a culpa. Pius V damnavit has propositiones Baji num. 46: *Ad rationem, & definitionem peccati non*

 per-

pertinet voluntarium. Item num. 68: *Infidelitas negativa in iis, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Alexander VIII damnavit istam num. 2: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ, operantem ex ipsa, non excusat a peccato formali.* S. August. lib. de vera Relig. cap. 4 ait: *Usque adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, & hoc ita manifestum, ut nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Lib. 3 de lib. arbitr. cap. 18 inquit: *Nec est, cui recte imputetur peccatum, nisi volenti;* & cap. 19: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.*

310 Probatur 3 ex absurdis, & durissimis sequelis. Si enim invincibilis ignorantia non excusaret a peccato formali, 1 DEUS præciperet impossibilia; cum juxta Jansenium etiam juberet vitare ea peccata, quæ ex invincibili ignorantia admittimus, & nullo modo possumus cognoscere: atqui juxta Tridentinum DEUS impossibilia non jubet. 2. Tali modo etiam in peccatum actuale nobis imputari possent omnes motus, ac passiones concupiscentiæ rebellis, licet prorsus indeliberate etiam in somno sine data causa insurgerent; nam ejusmodi motus etiam in peccato originali essent nobis voluntarii. 3. Sic nemini liceret in se suscipere munus Principis, Consiliarii, Judicis, Confessarii, aut docendi Theologiam, maxime moralem, quia se præsenti periculo exponeret aliquid agendi, consulendi, vel docendi contra jus naturæ, quin ignorantia invincibilis illum a peccato excusaret. 4. DEUS in pœnam peccati originalis subtrahens necessariam cognitionem legis ageret nobiscum sicut tyrannus, qui subdito rebelli juberet amputari pedes, & dein sub nova pœna illum adstringeret ad ambulandum.

311 Quæ de ignorantia invincibili antecedente dicta sunt, proportionaliter etiam intelligi debent de con-

concomitante; quippe etiam ista objectum, in quod fertur voluntas, reddit vere, & invincibiler involuntarium sub ea ratione, sub qua invincibiliter ignoratur. Sic qui occidit inimicum, ratus, esse feram, licet illum occisurus etiam fuisset, si scivisset, esse suum inimicum; tamen stante ignorantia sua hic & nunc non voluit ipsum occidere, utpote quem nullo modo scivit adesse. Neque refert, quod operans cum ignorantia tantum concomitante, etiam absente ignorantia posuisset illam actionem; nam ex hoc plus non sequitur, quam quod talis actio non sit positive involuntaria, eoquod non sit contra agentis inclinationem habitualem, vel virtualem; aut si ponatur, quod etiam habeat inclinationem actualem, hæc quidem ipsi erit voluntaria, sed tantum conditionata; quæ stante ignorantia invincibili non facit ipsam actionem externam absolute volitam.

Objectiones.

Obj. 1. Omnis peccans est ignorans; nam *Errant, qui operantur malum,* Proverb. 14 v. 22. &: *Siquis ignorat, ignorabitur,* 1 ad Cor. 14 v. 38; ergo ignorantia invincibilis non excusat a peccato. Hinc etiam David Psalm. 24 v. 7 orat: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Conf. Nemo operans intendit malum: ergo omnis peccans errat. *Quomodo enim*, ait S. Dionys. de Divin. Nom. *non errant, si malum persequantur ut bonum, cum nemo intendens malum operetur.* Resp. dist. ant. Est ignorans formaliter, & speculative, quasi revera nesciat malitiam actus, & quidem invincibiliter, neg. ant. interpretative & practice, quatenus operatur perinde, ac si nesciret, quid facto opus sit, conc. ant. & neg. cons. Apostolus loquitur de illis, qui culpabiliter nolunt audire mandata, & legislatores humanos spernunt. David etsi vir secundum cor DEI, fuit homo, & ex eorum 312

numero, de quibus Jacob. 3 v 2 dicitur: *In multis offendimus;* quidni ergo admiserit aliqua peccata ignorantiæ, præsertim circa dicta, & facta suorum filiorum Amonis, Absolonis, & Adoniæ? Ad conf. Eadem est responsio; nam ex antecedente solum sequitur, quod peccans erret practice, videns meliora, & deteriora probans.

313 Dices 1. Genes. 20 narratur, quod DEUS voluerit occidere Abimelech, quia tulit Saram, quam invincibiliter ignoravit esse uxorem Abrahæ 1 Reg. 4. Jonathas damnatur ad mortem, quia gustavit parum mellis contra præceptum patris, ut ut incognitum. Levit. 4 præcipiuntur sacrificia pro ignorantiis. Luc. 12 Servus, qui non cognovit voluntatem Domini, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Resp. Abimelech erravit in facto, & puniri meruit, vel quia non satis inquisivit, an Sara sit uxor Abrahæ, ut vult Abulensis, vel quia tulit invitam, ut notat Cornel. a Lap. Jonathas ignoravit præceptum humanum, & injuste damnatus est, ut ostendit idem Corn. Sacrificia præcepta erant propter ignorantias ceremoniarum, quæ erant juris positivi, adeoque ignorantia juxta ipsos Jansenistas debuit esse vincibilis. S. Lucas loquitur, de servo non penitus ignorante, ut indicant verba: *Fecit digna plagis*, & exponit S. August. lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 3. dicens: *Nec ideo confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem; aliud enim est nescisse, aliud scire noluisse; voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: Noluit intelligere, ut bene ageret.*

314 Dices 2. In synodo Diospolitana damnata est hæc propositio Cœlestii: *Oblivio & ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem:* atqui hæc propositio loquitur de ignorantia invincibili, quæ secundum necessitatem evenit. Confir. De Judæis ait Apostolus 1 ad Cor. 2 v. 8: *Si cognovissent,* nun-

nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent: & tamen ſine dubio graviſſime peccarunt. Reſp. conc. maj. diſt. min. De ignorantia invincibili ſolis viribus naturæ, conc. min. invincibili tam viribus naturæ, quam gratiæ, neg. min. Synodus egit contra Pelagianos, qui ſicut neceſſitatem gratiæ rejecerunt, ita dixerunt, omnem facti, & juris ignorantiam eſſe invincibilem, & ſecundum neceſſitatem evenire, quæ ſolis naturæ viribus ſuperari nequit; imo, ut ex dialogis S. Hieronymi colligitur, modo non poſſit ſuperari facile. Ad conf. Judæi ex miraculis, & Prophetis facile potuerunt Chriſtum cognoſcere, juxta illud Joann. 5 v. 46: *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi; de me enim ille ſcripſit;* hinc Apoſtolus tantum vult, quod Dominum gloriæ non crucifixiſſent, ſi illum cognoviſſent clare.

Obj. 2. S. Auguſtinus lib. de Natur. & gratia cap. 17 redarguit Pelagium, quod dixerit: *Ideo cul-* 315 *pandam eſſe ignorantiam, quia id homo neſcit negligentia ſua, quod adhibita diligentia ſcire debuiſſet:* ergo juxta S. Auguſtinum ignorantia invincibilis non excuſat. Imo ipſam ignorantiam ſæpe vocat peccatum, & ideo in libris Confeſſ. plura deflet peccata infantiæ. Reſp. conc. ant. diſt. conſ. Non excuſat ignorantia invincibilis per ſolam diligentiam naturalem, ſine petitione gratiæ, conc. conſ. invincibilis etiam per gratiam, neg. conſ. S. Auguſt. ſtatim addit: *Dum tamen omnia potius diſputet, quam ut oret, & dicat: Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.* Porro ignorantiam invincibilem vocat peccata metaphorice, in quantum eſt effectus, & pœna peccati originalis, in quo ſenſu etiam concupiſcentiam cum Apoſtolo peccatum appellat; opera autem infantiæ deflet, quia revera fuerunt contra legem naturalem, attamen negat illa imputari ad culpam. *Tunc ergo,* inquit, *reprehendenda faciebam, ſed quia reprehendentem intelligere non poteram, nec mos reprehendi me, nec ratio ſinebat.*

Di-

316 Dices 1. S. Doctor libr. de Grat. & lib. arbitr. cap. 3 ſupra citato ait: *Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, ſed eorum, qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audivit omnino, quid crederet;* & in Epiſt. ad Sixtum: *Inexcuſabilis eſt omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat.* Reſp. In textu primo S. Auguſtinum tantum velle, quòd ignorantia non excuſet a peccato originali, & damnatione, quæ ejus pœna eſt; hinc infideles non evaſuros damnationem, ſed licet forte minus ſint cruciandi, tamen ſemper arſuros, videlicet ob peccata contra legem naturæ, quæ ſingulorum cordibus inſcripta eſt. In eundem ſenſum debet exponi alter textus; nam etiam in hoc loquitur de lege poſitiva Evangelii, & peccatorem dixit inexcuſabilem, quia quilibet damnatur vel ob peccatum perſonale, vel etiam ob ſolum originale.

317 Dices 2. Tamen S. Auguſtinus epiſt. 105 univerſaliter ait: *Si quis bonum putaverit eſſe, quod malum eſt, & fecerit hoc putando, utique peccat, & ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quis bene fieri putat, quod male fit.* Similia habet S. Thomas, quodlib. 8 art. 13, & S. Hieron. lib. 1 adverſus Pelagium per plura Scripturarum exempla docet, multa peccata per ignorantiam committi. Reſp. Si ejusmodi textus deberent generaliter ſumi, contra ipſos adverſarios probarent, quod ne quidem ignorantia facti, aut juris poſitivi a peccato excuſet. Hinc S. Auguſt. loquitur de errore vincibili, vel de peccato latius accepto, prout præſcindit a materiali, & formali. S. Hieron. tantum adducit exempla juris poſitivi, & contra Pelagianos oſtendit, multa peccata a nobis per ignorantiam committi ob vitiatam generationis originem, neque illa ſine gratia poſſe vitari. S. Thomas 1 2 q. 76 art. 3

in

in Corp. expresse ait: *Si sit talis ignorantia, quæ omnino involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, omnino excusat a peccato.*

Obj. 3. Ad peccatum sufficit, si sit voluntarium, & liberum in causa: ergo sicut homicidium in ebrietate voluntarie admissa nobis imputatur ad culpam; sic etiam peccata ignorantiæ, quia nobis sunt voluntaria in causa, nempe peccato originali. Conf. Sola scientia juris naturalis fuit connaturalis, & debita statui justitiæ originalis, qui omnibus legibus positivis carere potuisset: ergo ignorantia juris positivi excusat a peccato, quin excuset ignorantia juris naturalis. Resp. dist. ant. Si ipsa causa fuit a nobis posita voluntate physice propria, conc. ant. si causam tantum posuimus voluntate nobis moraliter propria, neg. ant. & cons. Peccatum originale nobis fuit tantum voluntarium, & liberum moraliter in voluntate Adami. Ad conf. trans. ant. neg. cons. Tum quia omnis ignorantia, & quodcunque malum, quo nunc affligitur natura humana, est pœna peccati originalis, tum quia etiam in statu originalis justitiæ scientia juris positivi conditionate fuit debita, si DEUS præceptum positivum dare velit, prout potuit, & voluit, prohibens fructum arboris scientiæ boni & mali. Hinc S. Augustinus Epist. 105 ait, ignotantiam invincibilem esse pœnam peccati. 318

Dices. Ignorantia invincibilis non excusat a pœna; nam licet fur nesciret, in fures decretum esse patibulum, nihilominus suspenderetur: ergo neque excusat a culpa. Hinc Reg. 16 Jur. in 6 dicitur: *Ignorantia facti excusat, non ignorantia juris.* Resp. dist. ant. Ignorantia invincibilis solius pœnæ non excusat a pœna, trans. ant. ignorantia invincibilis culpæ, neg. ant. & cons. Cum omnis pœna proprie dicta necessaria supponat culpam, & ideo Reg. 23 expresse dicatur: *Neque enim sine culpa* 319

pa quisquam puniendus est. Reg. 16 exponi debet de ignorantia juris manifesti, quæ in foro externo non supponitur, sed probari debet. Interim pro foro saltem interno 1. Ignorantia invincibilis tam juris, quam facti ab omni pœna excusat. 2. Si ignorantia vincibilis leviter tantum est culpabilis, æquitas postulat, ut pro ratione culpæ pœna mitigetur. 3. Etsi igorantia juris, ant facti sit crassa, adhuc a pœna excusat, quando hæc solum statuta est in illos, qui scienter, & temere legem transgressi fuerint. 4. At vero sicut ignorantia crassa culpæ non excusat a peccato, sic non excusat a pœna ordinaria, & simpliciter lata. 5. Multo minus excusat sola ignorantia pœnæ, nisi pœna sit admodum gravis, & exorbitans; cum enim omnibus notum sit transgressorem legis juste puniri, transgrediens voluntarie legem, eo ipso pœnam meretur, & in illam implicite consentit; neque de ratione pœnæ est, ut sit ita voluntaria & libera, sicut peccatum formale.

QUÆSTIO IV.

An dari possit Ignorantia invincibilis Juris, præsertim naturalis?

320 Quod dari possit invincibilis ignorantia facti, & juris humani, forte nemo negavit præter Guilielmum Parisiensem. Cur enim Magistratus non possit invincibiliter ignorare aliqua, quæ perperam fiunt a subditis? Cur sponsam invincibiliter latere nequeat, sponsum suum obstrictum esse simplici voto castitatis, ut adeo citra culpam propriam cum illo ineat matrimonium? Leges humanæ tam Civiles, quam Canonicæ, etiam quæ de se ad universos pertinent, tam multæ sunt, ut omnes callere videatur humanam capacitatem transcendere. Multæ ex illis sunt intellectu difficiles, & inter doctos controversæ; quomodo ergo illas scire pote-

runt rudes? De lege positiva Divina teste Vasquez aliqui Theologi antiqui putarunt, illam invincibiliter ignorari non posse. Idem de lege naturali præter citatos quæstione præcedente num. 307 adhuc ex recentioribus docent non pauci Belgæ, & Galli cum Contensonio, Van-Espen, Jacobo. Schweizer &c.

Dicendum 1. Potest etiam dari ignorantia in- 321
vincibilis circa legem Divinam positivam, & præcepta fidei. Ita de facto communissima. Nam 1 ipsi docti de quibusdam legibus Divinis adhuc controvertunt, utrum dentur, vel non, & post damnatas propositiones multa circa usum & administrationem Sacramentorum nobis innotuerunt, quæ veteribus invincibiliter erant incognita. 2. Multi non habent occasionem omnia ista præcepta discendi, imo ne quidem sciunt obligationem eorum notitiam sibi comparandi, vel obscuriora satis penetrare nequeunt. Sane Jurium, aut Theologiæ studiosus non raro de præceptis Divinis quædam audit, de quibus antea nunquam cogitavit: quid ergo dicemus de illis, qui statim a pueritia addicuntur ad pascenda pecora, qui educantur inter hæreticos, vel omnino in terras barbaras transferuntur? 3. Multi inter infideles, apud quos Evangelium nunquam fuit prædicatum, ne quidem ea possunt addiscere, quæ necessitate medii scitu necessaria sunt, ut adeo infidelitas ipsis nequeat ad culpam imputari; ipso Christo de Judæis Joann. 15 v. 22 dicente: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum (infidelitatis) non haberent; nunc autem excusationem non habent.*

Dicendum 2. Quamvis homo ratione præditus 322
non possit habere ignorantiam invincibilem totius Juris naturæ, etiam quoad prima principia, & conclusiones ex illis immediate, & manifeste profluentes; potest tamen dari, & datur quoad conclusiones magis remotas, quæ tam facile ex primis principiis deduci nequeunt. Ita S. Albert. Magnus, S.

S. Anton. Conrad. Cordub. aliique ex omni ætate, statu, & ordine plurimi. Probatur 1 pars. Quia prima principia juris naturæ e. g. malum esse fugiendum, parentes honorandos, nemini faciendam esse injuriam &c. adeo cuivis obvia, & manifesta sunt, ut solis penetratis terminis intellectum rapiant ad assensum, non minus, ac prima principia scientiarum e. g. Idem non potest simul esse, & non esse. Eadem est ratio de conclusionibus immediate, & clare ex illis fluentibus e. g. Malum esse occidere hominem prorsus innocentem, & nec tibi, nec alteri noxium; alias natura non satis bene esset constituta ad suum finem. Hinc Apostolus ad Rom. 2 v. 14 ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter faciunt ea, quæ legis sunt, & ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.*

323 Probatur 2 pars. Sicut pæne innumeræ dantur leges positivæ, & plurimæ ex illis difficiles intellectu: ita innumeræ sunt conclusiones a primis principiis juris naturalis remotæ, innumeræ item circumstantiæ, ob quas judicium debet variari, ac veritas sæpe obscura, ac cognitu difficillima evadit: ergo etiam moraliter impossibile est, ut homo, præsertim rudis, omnes cognoscat; consequenter invincibiliter eas potest ignorare. 2. Plurimæ dantur controversiæ de jure naturali, in quibus decidendis viri doctissimi, & piissimi diu frustra laborarunt, & adhuc laborant, ferme æquali probabilitate pro utraque parte pugnante: ergo una pars laborat ignorantia invincibili. Sic Schola Thomistica docet, innocentem legitime convictum posse condemnari ad mortem; negat Scotistica. Juxta S. Bonaventuram commisso gravi peccato datur obligatio statim pœnitendi; S. Thomas est contrarius. 3. Alexander VII, & Innocent. XI damnarunt complures propositiones tanquam juri naturæ contrarias, quas antea magni nominis Doctores tradiderunt sine scru-

pu-

pulo, existimantes, esse juri naturæ conformes. Isti omnes, nisi per ignorantiam invincibilem excusati fuissent, nec sine periculo tales propositiones docere, nec in praxim deducere potuissent; quis autem hanc, aliasque sequelas 310 memoratas sine palmari tantorum virorum injuria admittet?

Objectiones.

Obj. 1. Lex & præcepta DEI in Scriptura vo 321
cantur *Lumen*, *Lucerna*, *Lux*, adeo, ut 1 Joann. 2 v. 27 dicatur: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unctio Christi docet vos de omnibus.* Item Joann. 14 v. 26: *Spiritus Sanctus docebit vos omnia:* ergo non datur ignorantia invincibilis, præsertim juris Divini, & naturæ. Conf. S. August. lib. 1 Retr. cap. 10 ait: *Quod omnes homines possint præcepta implere, si velint: quia lumen Divinum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Resp. Conc. ant. dist. conf. Non datur invincibilis ignorantia circa ea, quæ sunt absolute necessaria ad salutem, trans. conf. Circa alia non ita necessaria, neg. conf. Cum DEUS omnem hominem velit salvum fieri, nemini auxilia ad salutem necessaria subtrahit, modo homo faciat, quod est in se. At licet circa alia inculpabiliter erret, nihilominus salutem potest consequi; unde non est necesse, ut in istis specialiter illuminetur. S. Joannes in sua epistola solum vult, quod fideles nulla amplius instructione opus habeant circa illa dogmata, quæ jam prius ab Apostolis docti erant, & hinc ipsis non esse audiendos Pseudoapostolos. Textus citatus ex ipsius Evangelio fuit tantum directus ad Apostolos, & Ecclesiam, quibus in illo promittitur Spiritus Sanctus. Ad conf. S. August. tantum docet, quod præter lumen naturale detur aliquod supernaturale, vi cujus homo possit implere illa præcepta, ad quæ implenda proxime obligatur; atqui non obligatur proxime ad illa, quæ invincibiliter ignorat.

325 Dices 1. Si DEUS cuilibet facienti, quod est in se, dat necessaria media ad salutem 1. Nemo potest inculpabiliter ignorare, quæ sunt necessaria necessitate medii, neque infidelitas pure negativa, erit inculpabilis. 2. Nihil rudibus nocent Hæresiarchæ, quando illos inducunt in errorem contra fidem. 3. Ecclesia non posset excommunicare integras nationes ob errores fidei contrarios, & quoslibet ad suum gremium redeuntes ab excommunicatione absolvere. Resp. ad 1. Quamvis nemo diu, ac semper inculpabiliter ignoret necessaria necessitate medii, quia DEUS nulli lumen Divinum subtrahit, nisi ob alia præcedentia peccata; ideoque infidelitas negativa sit culpabilis præsuppositive; ideo non sequitur, quod semper etiam sit culpabilis in se ipsa & formaliter, quando nihil de vera fide alicui innotuit. ad 2. Hæresiarchæ nihilominus populum fraudant merito fidei, & multis mediis ad salutem conducentibus. Insuper illos gravi periculo exponunt, ne postea pertinaciter in suo errore perseverent. ad 3. Ejusmodi excommunicationem pro foro interno non incurrunt illi, qui revera a formali hæresi per ignorantiam invincibilem excusantur; absolvuntur nihilominus omnes redeuntes ad majorem cautelam, & conditionate, *Si, & quantum indiguerint.*

326 Obj. 2. Natura ipsa horret ea, quæ sunt contra jus naturæ; hinc Tertull. advers. Marcian. lib. 5 cap 50 ait: *Ipsa nos docet natura, quæ legis est instar ignorantibus legem.* & S. Ambros. can. Turbatur. Caus. 1 q. 4: *Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis est.* Conf. Si daretur ignorantia invincibilis juris naturæ, melior esset conditio ignorantis, quam cognoscentis; quia ignorans excusaretur a peccato formali. Resp. dist. ant. Horret ea, quæ sunt contra prima principia juris naturæ, vel ex illis immediate & clare deducuntur, conc. ant. etiam quoad illa, quæ nobis non sunt ita

ita perſpecta, neg. ant. Verba citata non habentur apud S. Ambroſium, ſed tantum a collectore canonum addita ſunt, citato etiam ſermone XI, qui ſuppoſititius eſt. Ad conf. diſt. ant. Conditio ignorantis eſſet melior ſecundum quid, conc. ant. abſolute, neg. ant. Quia ignorantia invincibilis tamen eſt error, & ad aliquid inordinatum ducit. Adde, quod etiam juxta Janſenium ſit aliquanto melius agere ex ignorantia, quia ſcientia juxta ipſum auget peccatum.

Dices. Juxta nos poſſet aliquis etiam ignorare 327
prima principia, & concluſiones immediate deductas, e. g. poſſet aliquis invincibiliter putare, quod liceat ſibi mentiri ad ſalvandam vitam proximi. Conf. Tali modo excuſari poſſent omnia ſcelera, quæ paſſim a barbaris, rudibus, pueris, ſine ſcrupulo committantur, ut ſunt polygamia Sinenſium, fornicatio Turcarum, ebrietas Scytarum, furta Lacædemonum. Reſp. diſt ant. In illis circumſtantiis, ubi principia ſunt clara, & concluſiones manifeſte ex illis ſequuntur, neg. ant. ubi non amplius ſunt clara, conc. ant. & neg. ſuppoſitum, quod tunc proprie ad prima principia pertineant. Ad conf. neg. ant. Nam plerumque ad ſcelera perpetranda quæruntur latebræ, & deprehenſi plurimum erubeſcunt, quod ſatis indicat, actus turpitudinem, ac malitiam ſaltem in genere ab illis agnoſci. Interim homines rudes quandoque invincibiliter ignorare, quæ aliis manifeſta videntur, adeo mirum non eſt, cum etiam Durandus putaverit, fornicationem ſimplicem tantum eſſe prohibitam jure Divino; Hugo de S. Vict. ad vitandum ſcandalum licitam eſſe copulam cum uxore non vera; & S. Auguſt. lib. 1 de ſerm. Dom. cap. 29 non auſus ſit decidere, an fœmina viro conſentiente alteri illicite fecerit ſui copiam, ut virum e carcere liberaret.

Obj. 3. Lex nauralis eſt lata ab ipſo DEO, & 328
DEUS vult, ut ipſam obſervemus; ergo omnibus

dat media sufficientia, ut illam agnoscere possint: stultum namque esset cogitare de DEO infinite sapiente, quod velit finem, & non subministret media necessaria. Conf. Quilibet tenetur observare legem naturæ: ergo tenetur, & potest illam scire. Quippe DEUS, ut ait S. August. lib. de Natur. & Gr. cap. 43, *impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere, quod possis, & petere, quod non possis.* Resp. dist. ant. quoad 2 membrum. DEUS vult, ut ipsam observemus supposita cognitione legis, conc. ant. hac cognitione invincibiliter deficiente, neg ant. Lex Divina jam obtinet suum finem, modo aliqui illam agnoverint, vel suo tempore agnoscant, aut si a nemine unquam agnoscitur, signum est, quod revera talis lex non detur. Ad conf. dist. ant. tenetur observare legem naturæ remote, & in actu primo, conc. ant. in actu secundo & proxime, neg. ant. & cons. supposito, quod illam invincibiliter ignoret. Neque plus sequitur ex textu S. Augustini; imo argumentum probaret, quod nequidem lex Divina positiva invincibiliter ignorari possit.

329 Dices. Ad ea, quæ sunt legis naturæ, DEUS necessario obligat: ergo etiam necessario dat media ad illa cognoscenda; alias tota lex naturæ, vel certe aliqua ab omnibus posset ignorari. Conf. Si lex naturæ invincibiliter ignorata non obligaret, non amplius pertineret ad ignorantem, nec contra legem ageret, quamvis eandem non observaret. Resp. dist. ant. Necessario obligat proxime, & absolute, neg. ant. remote, & conditionate, conc. ant. & neg. cons. si tota lex naturæ ignoraretur, DEUS nec genus humanum provide gubernaret, nec obtineret finem, quem in creatione mundi necessario intendit, nempe gloriam suam, & manifestationem Divinarum perfectionum. Hæc non sequerentur, licet aliquæ conclusiones obscuriores ab omnibus ignorarentur, sed inde solum colligeretur, quod providus, & benignus auctor naturæ se accommodet imbecillitati no-

stri

ſtri intellectus. Ad conf. diſt ant. Non amplius pertineret ad ignorantem per accidens, nec ageret contra illam in actu ſecundo, conc. ant. per ſe, & in actu primo, neg. ant. Licet invincibiliter ignorans excuſetur a peccato formali, tamen adhuc peccat materialiter.

330 Obj 4. Ignorantia juris naturæ ſemper poſſet vinci per gratiam DEI, modo homo pro illa debitis modis oraret; nam facienti, quod eſt in ſe, DEUS non denegat gratiam. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*, Joann. 14 v. 13. *Si quis veſtrum indiget ſcientia, poſtulet a DEO, qui omnibus dat affluenter*, Jacob. 1 v. 5. Conf. S. Auguſt. lib. 3 de libero arbitr. cap. 19 ait: *Nulli hominum ablatum eſt ſcire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat.* Reſp. neg. ant. Sicut DEUS inquirentibus, & orantibus non promiſit notitiam cujuslibet legis poſitivæ, ita nec notitiam cujuslibet legis natutalis. Aut dicat aliquis, quanto tempore ſit orandum? quæ carentia orationis ad gradum peccati gravis ſufficiat? quis certus eſſe poſſit, ſe ſatis oraſſe? an ab orbe condito cum plurimis aliis S. Thomas, Bonavent. &c. non ſatis oraverint, cum tot perſeverent controverſiæ? Itaque textus additi loquuntur de gratia, & illis legibus, quarum obſervatio neceſſario requiritur ad ſalutem. Ad conf. S. Auguſt. ibi oſtendit, quod peccatum formale non poſſit imputari DEO, & τὸ *inutiliter* ſumit contrarie pro perницioſe, quando videlicet lex proxime obligat, & ipſa ignorantia, ac ſequens inde transgreſſio legis imputaretur ad culpam.

331 Dices 1. Quando igitur datur ignorantia invincibilis, vel defectus eſt ex parte DEI, vel ex parte hominis? primum dici non poteſt: ergo neceſſario dicendum eſt ſecundum. Hinc S. Joann. cap. 7 v. 17 inquit: *Si quis voluerit voluntatem Patris facere, cognoſcet de doctrina mea.* & S. Auguſt. loc. cit. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus*

 igno-

ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras. Conf. S. Chrysoſt. Homil. 24 in Matth. inquit: *Virtutem omnibus eſſe rem facilem, & manifeſtam-& impoſſibile eſſe ad ignorantiæ præſidium aliquando con-confugere.* Reſp. neg. maj. Ratio talis ignorantiæ eſt limitata intellectus humani capacitas, & perſpicacia, vel etiam peccatum originale, quorum neutrum eſt defectus moralis de novo imputabilis, ſed tantum defectus phyſicus. Imo quandoque defectus eſt potius ex parte inſtituentium, qui vel haberi non poſſunt, vel errorem docent; ſive dein culpabiliter, ſive inculpabiliter. Ad conf. S. Chryſoſt. loquitur de ignorantia vincibili, & primo principio juris naturæ: Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Ad reliquos textus patet reſponſio ex numero præcedente.

332 Dices 2. Veteres Theologi concorditer docuerunt, non dari ignorantiam invincibilem juris naturæ, ut teſtatur Gerſon de vita ſpirit. lect. 4, & Celladeus: atqui in doctrina morum veteres præferendi ſunt junioribus. Conf. S. Thomas multis in locis docet, quod non detur ignorantia invincibilis; ſic in 2 diſt. 22 q. 2 art. 1 ait: *Unicuique peccatum eſt ignorantia eorum, quæ ad bonos mores, & fidei veritatem pertinent.* Ratio autem S. Doctoris juxta Celladeum eſt, *Quia eſt ignorantia ejus, quod ſcire quis tenetur.* Reſp. neg. maj. & min. Nam multos ex antiquis noſtram tenuiſſe ſententiam, demonſtrat Auctor Normæ recti, ex quo etiam aliquos citavimus. Dein multæ veterum ſententiæ ad doctrinam morum pertinentes hodie ſunt antiquatæ, & hanc ipſam teſte Vaſquez, & Celladeo minus accurate examinarunt, ſed breviſſime deduxerunt ex illo principio: *DEUS facienti, quod eſt in ſe,* &c. quod tamen ſolum procedit de iis, ſine quibus ſalus nulli contingit. Ad conf. S. Thomas apud Auctorem Normæ recti multis locis favet noſtræ ſententiæ, & 1 2 q. 76 art. 2. in corp. generaliter ait: *Patet, quod nulla igno-*

ignorantia invincibilis est peccatum; unde alibi exponendus est de eo, quod fit per se, & ordinarie, de primis principiis & legibus proxime obligantibus, de ignorantia vincibili, quando quis advertit obligationem inquirendi in legem, & illius notitiam acquirere potest.

DISPUTATIO II.

De libertate actuum humanorum.

Libertas in genere est immunitas a vinculo, & subjectione. Triplex a SS. Patribus, maxime Augustino, assignatur. Libertas a peccato, quæ dicitur libertas gratiæ; libertas a miseria, quæ vocatur libertas gloriæ; libertas a vi, & necessitate, quæ etiam libertas naturæ appellari solet. Hæc sola a nobis expendenda est, & dividitur in libertatem a coactione, & libertatem a necessitate. Prior est potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis necessario quidem agit, sed tamen sponte absque vi extrinsecus illata, & ad agendum cogente; unde etiam libertas spontaneitatis nominatur. Talem libertatem habent Beati ad amandum DEUM, quem stante visione beatifica necessario amant, attamen sponte, & summa voluntatis inclinatione, quin ad hunc amorem cogantur ab extrinseco. In eodem sensu Pater Divinus libere generat Filium, tametsi ineffabilis illa generatio adeo necessaria sit, ut absque illa DEUS non foret DEUS. 333

334 Libertas a necessitate, quæ etiam libertas electionis, indifferentiæ, vel arbitrii dicitur, communissime definitur, quod sit potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere pro libitu. Subdividitur in libertatem contradictionis, contrarietatis, & specificationis. Libertas contradictionis, seu exercitii, est potentia se de-

determinandi ad utrumlibet ex duobus contradictoriis, qualia sunt amor, & non amor. Libertas contrarietatis est potentia se determinandi ad utrumque ex duobus contrariis e. g. amorem, & odium. Libertas specificationis est potentia se determinandi ad utrumlibet ex incompossibilibus specie diversis, qualia sunt oratio, & studium. Porro ista de libertate in actu primo intelligenda sunt; nam libertas in actu secundo est ipse actus ita libere elicitus, ut positis omnibus ad agendum requisitis omitti potuisset.

335 Ut detur libertas indifferentiæ in actu primo, requiritur 1 potentia non solum passiva recipiendi aliquem actum, sed etiam activa, eaque quasi duplex, nempe potentia agendi, & potentia non agendi, vel ponendi aliud incompossibile, non quidem in sensu composito, quod implicat, sed in sensu diviso; hinc qui libere agit, dicitur habere simultatem potentiæ ad opposita, non vero potentiam simultatis, quasi duo opposita conjungere valeat. 2. Cognitio indifferens, proponens motiva tam allicientia, quam retrahentia; nam voluntas in nihil incognitum potest ferri, neque hoc, vel illud pro libitu amplecti, quando per ipsam cognitionem ad unum determinatur. 3. Omnipotentia DEI indifferenter applicata; si enim DEUS suum concursum tantum præberet ad unum, ad alterum autem subtraheret, voluntas non posset utrumlibet eligere. 4. Præsentia cujuslibet requisiti, quod a voluntate pro libitu non potest acquiri; alias voluntas non esset proxime expedita. 5. Negatio omnis impedimenti per ipsum actum secundum inauferibilis; quippe sicut libertati spontaneitatis opponitur omnis coactio, & violentia, sic libertati indifferentiæ opponitur necessitas antecedens.

336 Definitur autem necessitas in genere, quod sit determinatio ad unum, vel ex inclinatione naturali, quæ ab ipsa natura voluntati insita est, & ideo necessi-

cessitas naturæ vocatur: vel ex inclinatione adventitia, quæ oritur a motu accidentali, uti contingit in Beatis, qui ex visione DEI ad ejus amorem necessario rapiuntur. Dividitur 1 in necessitatem antecedenten seu absolutam, quæ omne voluntatis imperium liberum antecedit, adeoque indifferentiam actus primi proximi vel impedit, vel destruit: & in consequentem, seu hypotheticam, quæ liberam voluntatis determinationem consequitur, & ideo libertati non obstat. Dividitur 2 in metaphysicam, physicam, & moralem. Metaphysica est, qua voluntas ita ad unum determinatur, ut absolute nequeat aliud agere. Physica, quando naturaliter nequit aliud agere. Moralis, quando naturaliter quidem aliud agere potest, sed cum magna difficultate, quæ difficultas, cum suos gradus habeat, suos pariter habet necessitas moralis.

Quemadmodum liberum hominis arbitrium nimium extulerunt Pelagiani, quasi illud absque dono gratiæ ad omnia opera bona etiam salutaria sufficiat: ita illud omnio negarunt 1 Stoici, & astrologi, omnia subjicientes ineluctabili fato. 2. Manichæi, dicentes, hominem ad malum necessitari a natura mala, vel ad bonum a natura bona. 3. Wicleffus, Lutherus, Calvinus, Bajus, in statu naturæ lapsæ omnia referentes in præscientiam DEI, efficaciam gratiæ, vel concupiscentiæ, quibus resisti nequeat. Lutherus tamen, Melanchton, & Confessio Augustana admiserunt libertatem indifferentiæ quoad actiones civiles, & politicas. 4. Jansenius; nam licet etiam fateatur, hominem in statu naturæ integræ fuisse liberum a necessitate, contendit tamen, per peccatum Adami voluntatem humanam ita præcipitatam fuisse in dominatum libidinum, ut in omnibus necessario sequatur vel delectationem terrestrem concupiscentiæ, vel cœlestem infusam ad DEO, prout altera alteram vicerit. 337

338 Hæc doctrina est præcipuum fundamentum totius hæresis Jansenianæ; nam ex illa deducit 1. Ad essentiam liberi arbitrii defacto tantum requiri immunitatem a coactione. 2. Hanc sufficere ad merendum, & demerendum. 3. Neque aliam libertatem homini post peccatum originale remanere. 4. Hinc gratiæ interiori nunquam resisti. 5. Hanc vero hominibus neque semper dari, neque ab illis obtineri posse. 6. Hinc quædam præcepta etiam justis, & conantibus observare, esse impossibilia. 7. Motus indeliberatos concupiscentiæ antecedentis esse peccata formalia. 8 Neque ignorantiam invincibilem, neque necessitatem antecedentem a peccato excusare. 9. Christum nec mortuum esse, nec sanguinem fudisse pro omnibus hominibus, sed solum pro prædestinatis ad salutem. Ego ea solum ex instituto hic refutabo, quæ pravam hæreticorum de libertate doctrinam concernunt, breviter duntaxat explicatis iis, de quibus ipsi Catholici inter se controvertunt.

QUÆSTIO I.

An ad liberum arbitrium sufficiat immunitas a coactione?

339 Dicendum. Ad libertatem arbitrii non sufficit, quod actus aliquis sit voluntarius, & liber a coactione, sed essentialiter etiam requiritur libertas ab omni necessitate antecedente. Probatur 1. Pius V, Gregor. XIII, & Urban. VIII damnarunt propositionem Baji 3tiam: *Quod voluntarie fit, etsi necessario fiat, libere tamen fit* & 6tam: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali:* ergo ad libertatem arbitrii non sufficit, si actus aliquis est voluntarius, & immunis a coactione. Hinc S. Damascenus lib. 2 de orthodoxa fide cap. 26 ait: *In nobis autem sunt ea, quorum liberam potestatem adepti sumus, facere, & non facere.* S. Gregor. Nazian. in Apolog. *Liber-*

tas parem in utramque partem motum habet. Simili modo loquuntur alii Patres apud Bellarm. de Grat. & lib. arbit. lib. 3 cap. 5, & Simonet. de act. Human. disp. 3 art. 3. Consentiunt omnes Theologi orthodoxi cum S. Thoma. 1 part. q. 83 art. 3 in corp. ubi ait: *Quidquid repugnat electioni, repugnat libero arbitrio:* atqui necessitas antecedens repugnat electioni; hinc ut idem 1 2 q. 13 art. 2 docet: *Brutis animantibus electio non convenit, quia illarum appetitus sensitivus est determinatus ad unum particulare secundum ordinem naturæ.*

Probatur conclusio 2. Ad veram libertatem requiritur, ut agens suos actus habeat in sua potestate, & dominio: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius,* Genes. 4 v. 7. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis,* 1 ad Cor. 7 v. 37. Atqui actus solum immunes a coactione non sunt in potestate agentis, qui ad illos necessitatur, ut patet ex communissimo sensu, cum ante Baji, & Jansenii tempora non solum Catholici, sed etiam hæretici, & ethnici semper judicarint, liberum arbitrium ita dominari suis actibus, ut illos pro libitu ponere, vel omittere possit. Sane nemini dubium est, quin Manichæi, Wicleff. Calvin. Luther. veram homini eripuerint libertatem; atqui nemo unquam negavit, aut negare potuit, quod voluntas volendo velit, & illius actus voluntarii sint. Hinc rursus S. Thomas contra gentes lib. 1 cap. 68 ait: *Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle, & non velle, excludit determinationem voluntatis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis.* 340

Objectiones.

Obj. 1. SS. Patres necessitatem, & coactionem, voluntarium, spontaneum, & liberum, cogi, ac necessitari passim pro eodem sumunt: ergo liber- 341

tas

tas consistit in sola immunitate a coactione. Conf. S. Damascen. libr. 2 Orthodox. fid. cap. 27 dicit: *Libertatem nihil aliud esse, quam voluntatem. Id esse in nostra potestate, quod ultro, & sponte fit. Illud non posse obtinere nomen virtutis, quod quis per vim, atque invitus facit*: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Patres ante exortos Baji, & Jansenii errores non ita in sensu stricto suas voces acceperunt, prout in scholis nunc accipiuntur, sed per coactionem sæpe intellexerunt omnem necessitatem, & per voluntarium liberum, prout etiam in communi modo loquendi fieri solet, in quo sæpe dicimus, illum cogi, qui necessario agit, illum vero voluntarie agere, qui libere aliquid facit. Ad conf. eadem est responsio. Nam S. Damascenus in eodem libro ex instituto probat, quod homo suas actiones ita in potestate habeat, ut illas pro libitu facere possit, & non facere; unde per voluntatem intelligit facultatem agendi, & non agendi, *τo sponte* autem accipit pro libere, & vim pro necessitate.

342 Dices 1. S. Anselmus lib. 2 Cur DEUS homo cap. 10 ait: *Improprie dicitur necessitas, ubi nec coactio ulla est, nec prohibitio.* S. Bernard. Tract. de gratia cap. 1: *Ubi voluntas, ibi libertas, & hoc est, quod dici puto liberum arbitrium.* Item cap. 4: *Est quidam habitus animi liber sui, siquidem non cogitur, non extorquetur.* Conf. Juxta hos Patres DEUS, & Angeli sunt libere justi, ac boni; quia videlicet voluntarie tales sunt: ergo. Resp. S. Anselmus per coactionem, & prohibitionem intelligit necessitatem antecedentem, & solum vult, quod necessitas consequens non sit proprie necessitas; *quia illam facit ipsa voluntatis libertas*, ut explicat lib. de Concord. q 1. S. Bernard. eodem lib. cap. 2 ait: *Ubi necessitas est, libertas non est.* & cap. 12: *Ubi necessitas, jam non voluntas*: ergo clarum est, quod voluntatem, & libertatem, necessitatem, & coactionem confundat. Ad conf. dist. ant. Quia volun-

tas

tarie tales sunt, & quidem cum potestate non agendi, conc. ant. sine hac potestate, neg. ant. Licet DEUS, & Angeli sint impeccabiles, & necessario boni, sunt tamen libere justi, quia possunt ex pluribus actibus bonis hunc vel illum eligere, vel etiam aliquos omittere.

Dices 2. Juxta S. Thomam in 2 distinct. 25 q 343 unic. *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non potest.* Hinc q. 10 de Pœnit. art. 2 ait: *Quod naturalis necessitas libertati voluntatis non repugnet, quia libertas violentiæ, & coactioni opponitur.* Alibi vero docet: *Quædam ordinata esse ad finem ultimum beatitudinis, quæ ipsi fini conjungunt, ut videre, amare, & hujusmodi, & horum in Beatis esse liberam voluntatem.* Conf. S. Prosper lib. contra Collatorem cap 19 liberum arbitrium definit, *Quod sit rei sibi placitæ spontaneus appetitus.* Resp. Quid S. Thomas senserit, patet ex probationibus. Unde primo loco τὸ *cogi* juxta ipsum idem significat, ac necessitari. In altero solum loquitur de libertate spontaneitatis. In tertio non vult, quod Beati habeant liberam electionem circa visionem, & amorem beatificum, sed circa alia objecta, quæ accidentaliter cum DEO conjungunt, & ad amorem non necessitant. Ad conf. Sicut alii Patres, sic etiam S. Prosper spontaneum accipit pro libero.

Obj. 2. Ratio liberi arbitrii stat in eo, quod 344 actus nostri sint in nostra potestate; atqui omnes actus voluntarii, licet necessarii, sunt in nostra potestate: ergo. Min. prob. Illud est in nostra potestate, quod fit, cum volumus, & non fit, quando nolumus; sed omnes actus voluntarii fiunt, cum volumus, & solum, quia volumus, &c. Conf. Ipsa voluntas est in nostra potestate: ergo modo actus sit a voluntate, jam est in nostra potestate. Resp. dist. maj. Quod actus sint in nostra potestate electiva, & active indifferente, ita, ut seipsam pro libitu possit determinare, conc. maj. in potestate non electi-

va,

va, & antecedenter jam determinata ad unum, neg. maj. & sic dist. min. neg. conf. Ad prob. iterum dist. maj. Illud est in nostra potestate, quod fit, cum volumus, &c. sine necessitate antecedente illud volendi, conc. maj. secus, neg. maj. alias etiam amor beatificus esset liber. Ad conf. neg. ant. & conf. Nam voluntas nostra nobis datur necessario, & quod omnes actus a voluntate provenientes liberi sint, damnatum est in propositione 3tia Baji, cit. num. 339.

345 Dices. Voluntas Beati amando DEUM se ipsam movet, &, nisi vellet amare DEUM, illum non amaret: ergo amor beatificus est liber. Conf. DEUS est perfectissime liber, imo fons, & origo libertatis, & tamen non habet indifferentiam agendi, & non agendi; nequit enim retractare, quod semel voluit. Resp. trans. ant. neg. conf. Voluntas juxta S. Thomam tunc solum proprie, ac stricte loquendo se movet, quando habet dominium sui actus; ex eo autem, quod Beati DEUM non amarent, nisi elicerent actum amoris, nondum sequitur, quod habeant dominium hujus actus; alias, etiam ita liceret argumentari: *Si DEUS vellet peccare, peccaret: ergo libere non peccat: ergo peccare posset.* Ad conf. Aliud est, quod DEUS, quando aliquid libere voluit, id non possit amplius retractare ob infinitam suam perfectionem, & immutabilitatem; aliud, quod ab æterno non velit libere, quæcunque extra se voluit; neque enim per immutabile exercitium libertatis Divinæ libertas Divina tollitur, sed formalissime semper exercetur.

346 Obj. 3. Si voluntas esset indifferens ad agendum, & non agendum, deberet determinari ab alio, sicut determinari debet appetitus sensitivus, licet ipsi proponantur motiva in utramque partem: ergo. Conf. Indifferentia voluntatis deberet potissimum dari in eo instanti, in quo datur actus liber: sed quando datur actus liber, jam sublata est indifferentia per determinationem ad unum: ergo. Resp. dist.

dist. ant. Si esset indifferens indifferentia insufficientiæ, conc. ant. si tantum est indifferens indifferentia libertatis, neg. ant. voluntas positis omnibus ad agendum requisitis potius habet abundantiam sufficientiæ ad agendum, in quantum pro libitu hoc vel illud potest facere; appetitus vero sensitivus, quamvis motiva in utramque partem aliquo modo attingat, nequit illa cognoscere cognitione comparativa, sed necessario illuc rapitur, ubi major delectabilitas illi proponitur. Ad conf. conc. maj. dist. min. Sublata est indifferentia in actu secundo, conc. min. indifferentia in actu primo, neg. min. Quando voluntas actu unum eligit libere præ alio, utique in actu secundo non manet suspensa inter utrumque: attamen quia libere eligit, manet totus actus primus proximus liber, alias ipse actus tolleret suam potentiam.

Dices. Ad libertatem tantum requiritur, ut 347
quis possit aliud agere in sensu diviso; atqui etsi voluntas necessitetur, posset aliud agere in sensu diviso, si nempe abesset necessitas. Imo cum voluntas sit mutabilis, & facile modo ad volendum, modo ad nolendum flectatur, semper manet indifferentia potentiæ, etsi non detur indifferentia actionis. Conf. Indifferentia voluntatis tollitur per habitus bonos vel malos: atqui per tales habitus non tollitur libertas. Resp. dist. maj. Ut quis possit aliud agere proxime, & cum hoc actu primo proximo, conc. maj. tantum remote, & in aliis circumstantiis, neg. maj. Indifferentia, qua voluntas hanc, vel illam volitionem recipere potest, est passiva, & ad libertatem neutiquam sufficit, nisi simul adsit potentia activa hoc vel illud faciendi, & quidem absque necessitate antecedente, alias voluntas non est libera actu, sed tantum esset libera, si abesset necessitas. Ad conf. dist maj. Indifferentia electiva tollitur per habitus, neg. maj. indifferentia propensionis, conc. maj. Habitus faciunt quidem, ut voluntas magis

in

in hanc, quam alteram partem propendeat, non tamen auferunt facultatem alteram partem eligendi, alias utique libertas tolleretur.

348 Quæres. An de essentia libertatis sit indifferentia contrarietatis ad bonum & malum? Resp. negative; tum quia tota essentia liberi arbitrii habetur, modo detur completa, & expedita facultas agendi, & non agendi; tum quia DEUS est perfectissime liber, etsi careat omni potestate ad faciendum malum, cum hæc potestas potius sit aliquis defectus, quam perfectio. Si tamen libertas spectetur, prout pertinet ad statum puri hominis viatoris, utique etiam libertatem peccandi involvit, alias homo viator ne quidem libere a peccato posset abstinere, eoquod libertas circa unum ex contradictoriis necessario involvat libertatem circa alterum, ut salva sit utriusque optio; hinc nostra libertas in Scripturis, Conciliis, & Patribus explicari solet per potentiam extendendi manum ad bonum, & malum. *Solus DEUS est*, inquit S. Hieron. Epist. 146, *in quem peccatum non cadit; cætera, cum sint liberi arbitrii, in utramque partem suam possunt flectere voluntatem.* Ideo S. Augustinus lib. 2 de lib. arbit. cap. 1 probat, *DEUM dedisse liberum arbitrium solum ad recte vivendum, non ad peccandum, alias peccatum non puniret.*

QUÆSTIO II.

An in statu naturæ lapsæ ad merendum, & demerendum requiratur libertas indifferentiæ?

349 Dicendum. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur libertas indifferentiæ. Nam 1 S. Scriptura rationem meriti, & demeriti passim repetit ex libertate indifferentiæ. Sic Ecclesiastici

astici 31 v. 10 dicitur: *Beatus vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Ubi vides, rationem meriti non præcise repeti ex eo, quod quis non transgrediatur mandata, sed quod non transgrediatur, cum posset transgredi. 2. Pius V, Greg. XIII, & Urban. VIII damnarunt hanc propositionem Baji num. 67: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.* Innocent. X, Alexand. VII, & Clemens XI num. 3 istam Jansenii: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* 3. Nostram sententiam passim docent SS. Patres. Sic Justin. in Apolog. ad Senatum ait: *Nihil esset in illis laude dignum, nisi facultatem haberent, qua se in utramque partem converterent.* Hieron. lib. 2 contra Jovinian. *Liberi arbitrii nos condidit DEUS, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.*

Probatur conclusio 2. Ex una parte ad rationem meriti requiritur, ut actio sit nostra, eamque dare possimus tanquam pretium pro præmio: ex altera parte demeritum est essentialiter peccatum imputabile ad culpam, & pœnam: ergo ad utrumque requiritur libertas indifferentiæ. Sicut enim de nulla actione pro arbitrio disponere possemus, nisi esset in nostro dominio: sic nihil potest nobis imputari ad culpam, & pœnam, nisi sit contra aliquam obligationem moralem, & vitari possit, cum ipso lumine naturali notum sit, quod obligatio moralis ad impossibile dari nequeat. Sane communis omnium hominum, partium studio non excæcatorum, sensus ab ipsa natura insitus judicat, neminem laudem, ac præmium, vel vituperium, & pœnam mereri, quod egerit id, quod non potuit omittere, vel omiserit id, quod non potuit facere. Hinc S. Thomas q. 6 de malo, art. unic. ait: *Quidam posuerant,* 350

quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quod voluntas cogatur - hæc autem opinio est hæretica; tollit enim rationem meriti & demeriti.

Objectiones.

351 Obj. 1. Christus non solum fuit meritus per mortem, sed etiam per actus charitatis, quibus DEUM diligebat; atqui isti actus tantum fuerunt liberi a coactione, ut docet S. Thomas in 3 distinct. 18 q. 1 art. 2 ad 5, ubi de libero Christi arbitrio ait: *Si etiam esset determinatum ad unum numero, sicut ad DEUM diligendum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem, neque rationem laudis, sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, & ita est actus sui dominus.* Conf. Juxta S. Thomam 1 2 q. 6 art. 2 ad 3: *Laus, & vituperium consequuntur actum voluntarium secundum perfectam voluntarii rationem.* Resp. neg. min. Textus ita explicari potest: Quamvis Christus ad diligendum DEUM necessitatus fuisset quoad exercitium actus, liber tamen fuisset, ac mereri potuisset, quia DEUM diligebat sponte, hoc est, cum magna inclinatione, & actu valde intenso, cum tamen potuisset elicere actum minus intensum; nam alias Christus non magis fuisset dominus sui actus, quam bruta suorum. Porro quomodo libere impleverit præceptum moriendi, cum tamen fuerit infinite sanctus, & impeccabilis, examinatur in Tract. de Incarnatione; hic agitur de merito & demerito puri hominis. Ad conf. Voluntarium perfectum juxta S. Thomam eodem modo est illud, quod simul est liberum: *Quando nempe, ut ait, aliquis deliberans de fine potest in finem moveri, vel non moveri.* Videat. num. 340.

352 Dices 1. Amor beatificus tantum est liber a coactione, & tamen est moralis, ac laudabilis; alias

alias esset minus perfectus, quam amor in via. Conf. Licet homo necessario agat, nihilominus habet potentiam faciendi oppositum; nam voluntas est potentia volendi, & nolendi, &, si vellet, poneret oppositum: ergo. Resp. dist. ant. Amor beatificus est moralis, & laudabilis objective, conc. ant. formaliter, neg. ant. Quamvis amor beatificus habeat aliquam honestatem objectivam, & intrinsecam, in quantum est conformis naturæ rationali, & Beatum vere sanctum, ac in genere morum bonum reddit, ut propterea laudari possit; nequit tamen hic amor Beato imputari ad meritum, vel ad laudem talem, quæ sit præmium hujus amoris; adeoque amor beatificus laudabilis formaliter. Nihilominus amor viæ ad summum est perfectior secundum quid; imo si libertas actui sit extrinseca, nullo modo est perfectior. Ad conf. iterum dist. ant. Habet potentiam faciendi oppositum ligatam, & impeditam, conc. ant. completam, & expeditam, neg. ant. Quando dicitur, voluntas poneret oppositum, si vellet, juxta communem modum loquendi supponitur, quod possit velle oppositum, ut notavi num. 345.

Dices 2. Bruta coercentur præceptis, laudantur, vituperantur, afficiuntur præmiis, & suppliciis, quin habeant libertatem indifferentiæ: ergo. 353
Conf. Etsi homo e. g. ex invincibili ignorantia legis necessario peccet, tamen adhuc sponte, & voluntarie peccat, & ipsa impossibilitas observandi legem est ipsi voluntaria: ergo non excusatur a peccato. Resp. neg. ant. Nam ex Philosophia constat, quod brutis non imponantur præcepta proprie talia, sed ejusmodi voces tantum adhibeantur tanquam signa ad imprimendas, vel excitandas species phantasticas, quibus excitatis necessario agant. Pariter laus, quam brutis tribuimus, tantum est signum nostræ æstimationis de eorum physicis perfectionibus, natura, indole, & aptitudine ad firmandas

ſpecies, & actus nobis utiles obtinendos. Hinc bruta neque proprie caſtigantur, aut præmiantur, ſed tantum materialiter, & quaſi medicinaliter, ut ex ſpeciebus verberum, doloris, aut voluptatis, ſuo tempore rurſus excitatis, determinentur ad agendum id, propter quod caſtigatio, vel præmium fuit adhibitum. Ad confir. diſt. ant. quoad 2dum membrum. Ita tamen, ut hanc impoſſibilitatem non poſſit pro arbitrio tollere, trans. ant. ut hoc poſſit, neg. ant. & conſ. Etſi actio neceſſaria ſit ipſa impoſſibilitas obſervandi legem, & in hoc ſenſu homini aliquo modo voluntaria; quia tamen hanc neceſſitatem tollere non poteſt, eidem nequit imputari ad laudem, vel præmium.

354 Obj. 2. Licet ad meritum, & demeritum requiratur libertas a neceſſitate abſoluta, & invariabili; non tamen requiritur libertas a neceſſitate relativa, & variabili, quæ modo eſt ad bonum, modo ad malum, prout motus indeliberatus gratiæ, vel concupiſcentiæ intenſior eſt. Conf. Quod ſit ex concupiſcentia neceſſitante, ſufficienter fuit liberum in voluntate Adami peccantis: ergo poteſt jam imputari ad peccatum. Reſp. neg. ant. Nam ſive neceſſitas ſit abſoluta, ſive relativa, & variabilis, æque tollit potentiam ad oppoſitum, eo inſtanti, quo ſit bonum, vel malum; hinc Scriptura, & Patres exigunt immunitatem illimitate a qualibet neceſſitate antecedente, & licet Janſenius ſolam neceſſitatem relativam, & variabilem aſſeruerit, tamen tertia ejus propoſitio fuit damnata, & quidem ut hæretica, ac in ſenſu ipſius libri, ut conſtat ex Bullis Alexandri VII, & Clement. XI. Ad conf. Quod libertas in voluntate Adami ad peccatum perſonale ſufficiat, damnavit Alexander VIII, ut jam notavimus num. 308. Nempe ſicut omne peccatum eſſentialiter eſt liberum, ſic peccatum perſonale eſſentialiter debet eſſe liberum libertate perſonali; præſertim poſtquam peccatum originale per Baptiſmum fuit deletum, ut non amplius imputari poſſit.

Di-

Dices 1. Actus externus e. g. furti eſt peccami- 355
noſus, licet non ſit liber in ſe ipſo, ſed tantum in voluntate: ergo etiam actiones noſtræ poſſunt eſſe peccaminoſæ, modo liberæ fuerint in voluntate Adami. Conf. Mercenarius eſt dignus mercede ſua, etſi, dum laborat, careat libertate: ergo homo poteſt mereri ſine libertate indifferentiæ. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Nam actus externus ita procedit a cauſa libera, ut libertas ſit phyſice, & perſonaliter propria peccanti; nihilominus quia actus externus non eſt in ſe ipſo formaliter liber, ſed tantum denominative, multi docent, quod actus externus per ſe non ſuperaddat novam malitiam in ordine ad demeritum, in confeſſione tamen debeat exponi propter expreſſam Chriſti voluntatem per Eccleſiam nobis manifeſtatam. Ad conf. trans. ant. neg. conſ. Si verum eſt antecedens, tunc, quia merces etiam operibus neceſſariis poteſt deberi ex contractu, juſtitia, aut fidelitate, eoquod tunc magis attendatur ad ipſam utilitatem operis, quam obſequium præſtantis. At meritum eſt ex conceptu ſuo obſequium liberum de ſe potens movere ad retributionem præmii.

Dices 2. Damnati peccant per odium DEI, 356
etſi non ſint liberi. Imo homo etiam in vita non poteſt vitare omnia peccata venialia, & conſuetudinarii ſæpe non amplius advertunt ad peccata, quæ committunt. Conf. Noſtra doctrina de libertate, & ipſa definitio libertatis tantum eſt ex Philoſophia profana: ergo non eſt ſincera doctrina Chriſtiana. Reſp. Si damnati phyſice eſſent neceſſitati ad odium DEI, ut aliqui apud Suarium exiſtimant, non peccarent formaliter. Communior autem docet, eos tantum neceſſitari moraliter, neque tamen illorum peccata puniri pœna diſtincta ab illa, quam in hac vita meruerunt. Pariter homo ad peccandum venialiter non eſt neceſſi atus phyſice, prout etiam plerumque contingit in conſuetudinariis, licet ca-

reant indifferentia propensionis, & ipsimet causam dederint difficultati, qua pravæ consuetudini debent resistere. Ad conf. Quam inique Jansenius, & Calvinus nostram sententiam criminentur ut profanam, patet ex nostris probationibus. Imo hoc ipso, quod omnes etiam Philosophi nobiscum sentiant, signum est, ipsius naturæ vocem esse; licet gentilibus peccatum originale, & necessitas Divinæ gratiæ nondum perspecta fuerit.

357 Quæres 1. An semper detur libertas indifferentiæ, quotiescunque datur indifferentia judicii? Affirmant Thomistæ, juxta quos tota ratio libertatis dependet a modo cognoscendi: ergo, inferunt, si intellectus objectum proponit cum indifferentia, fieri nequit, ut voluntas in illud non tendat cum indifferentia, & libertate. Hinc etiam S. Thomas libertatem hominis probat ex eo, quia homo est præditus ratione, & potest de bono, & malo ordinatum ferre judicium. Verum quamvis judicium indifferens essentialiter ad libertatem requiratur, & ordinarie loquendo, ubi judicium indifferens datur, etiam cætera ad libertatem requisita adsint; cum DEUS tanquam auctor naturæ exigentiis rerum se accommodet, nec communem hominum experientiam, & sensum ordinarie decipi sinat; neutiquam tamen libertas consistit in solo judicio indifferente, aut indispensabiliter cum illo connectitur. Cur enim DEUS stante tali judicio absolute nequeat suum concursum ad alterutrum libertatis extremum negare, vel per aliquam prædeterminationem ad unum necessitare? Sane etiam ligatus vinculis potest habere cognitionem indifferentem de ambulatione, & motiva pro & contra illam considerare.

358 Quæres 2. An præter cognitionem indifferentem ad libertatem etiam requiratur judicium, seu imperium practicum, per quod intellectus determinate voluntati proponat hoc vel illud hic & nunc esse eligendum. Affirmant Cardinal. Gotti cum ali-

qui-

quibus Thomiſtis, & Bellarminus cum aliquibus ex noſtris, hoc tamen diſcrimine, quod noſtri dicant, ipſum judicium practicum eſſe in voluntatis poteſtate, quatenus voluntas libere intellectum potius ad hæc, quam alia motiva conſideranda applicat; Thomiſtæ vero neque hanc eligendi poteſtatem voluntati concedant. Hinc aliqui libertatem definiunt, quod ſit facultas eligendi id, quod magis placet ex ſufficienti ratione, vel quod repræſentatione bonitatis finis practice intimatæ magis placet. Sed contra eſt: Vel judicium practicum, ratio ſufficiens, intimatio practica, &c. eſt deliberata, & libera voluntati, vel non? ſi ſecundum, tollitur libertas, quia voluntas nec mediate, nec immediate poſſet eligere contrarium, ſed præciſe determinaretur a cognitione, ſicut appetitus ſenſitivus a phantasmate; ſi primum; ergo voluntas jam poteſt aliud eligere ſine prævio judicio practico, aut, ſi etiam ad hanc electionem judicium practicum requiras, redit totum argumentum & fit proceſſus in infinitum.

Quæres 3. An actus a voluntate imperati ſint 359 immediate, vel tantum mediate liberi? Reſp. Quod actus externi a voluntate imperati tantum mediate liberi ſint, facile conceditur, quia non immediate procedunt a potentia libera. Viciſſim certum eſt, actus imperatos ipſius voluntatis immediate liberos eſſe, ſi imperium tantum eſt ineffiçax; ſi autem ita efficax eſt, ut ex vi affectus determinate, & inſuperabiliter cum actu imperato ſit connexum, controvertunt Auctores. Munieſſa, Aranda, Coninck, &c. putant, non obſtante efficaci imperio actum imperatum adhuc immediate eſſe liberum, tum quia voluntas pro priori ad imperium habet libertatem proximam tam ad imperium, quam ad actum imperatum, tum quia ſe determinando ad imperium immediate, etiam determinat ad exiſtentiam actus imperati, ferme ſicut ille, qui ſe determinat ad ponendam actionem productivam alicujus effectus, hoc ipſo ſe de-

determinat ad ipſum effectum. Contrarium tenent Hurtad. Arriag. Marinus. Cum enim imperium efficax neceſſario poſt ſe trahat actum imperatum, eumque cauſaliter præcedat, actus imperatus non amplius videtur procedere a potentia proxime indifferente, ſed ſignum libertatis tantum ſequi mediate; ut adeo libertas proxima ad actum imperatum tantum detur remote, & conditionate, ſi nempe detur carentia imperii, eſto, quod voluntas per ipſum imperium ſe etiam determinet, ut actum imperatum producat phyſice. Interim imperium non eſt determinatio formalis actus imperati, ſicut actio eſt determinatio formalis ſui effectus.

QUÆSTIO III.

An homo in ſtatu naturæ lapſæ habeat libertatem indifferentiæ ad bonum, & malum?

360 Dicendum. Homo in ſtatu naturæ lapſæ eſt liber ad bonum, & malum libertate indifferentiæ. Probatur 1. Auctoritate Scripturæ. Geneſ. 4 v. 7 DEUS ad Cain inquit: *Nonne ſi bene egeris, recipies, ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit: ſed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*: atqui ſi Cain fuiſſet neceſſitatus ad peccatum, non potuiſſet dominari appetitui ad peccatum provocanti. Joſ. 24 v. 15 dicitur: *Optio vobis datur, eligite hodie, quod placet, cui ſervire potiſſimum debeatis, utrum Diis, an Domino?* atqui in illis, quæ antecedenter ſunt neceſſario determinata ad unum, electio, ac optio locum non habet. Eccleſiaſticus cap. 15 v. 14 & 15 ait: *DEUS ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui, adjecit mandata, & præcepta ſua; ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te. Ante hominem* vi-

vita, & mors, bonum & malum, quod placet ei, dabitur illi; quæ verba male a Calvino ad Adamum nondum lapsum referuntur, cum manifeste dirigantur ad homines præsentes, qui tunc vivebant, neque ex illis Adam ad virtutem accendi potuisset. Hinc S. August. in hæc ipsa verba inquit: *Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.*

Probatur 2. Auctoritate Ecclesiæ. Concilium 361
Tridentinum Sess. 6 can. 5 anathema dicit illis, *Qui liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum esse dixerint, aut rem esse sine titulo, imo titulum sine re.* Eadem Sess can. 4 Anathematizat asserentem: *Liberum arbitrium a DEO motum, & excitatum nihil operari assentiendo DEO excitanti, neque posse dissentire, si velit.* Quod autem Concilium loquatur de libertate a necessitate, manifestum est, quia agit contra hæreticos, qui non negabant libertatem a coactione, sed solum libertatem a necessitate. Concilium Constantiense damnavit propositionem 27 Wicleffi: *Omnia de necessitate absoluta eveniunt.* Leo X propositionem 36 Lutheri: *Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo, & dum facit, quod est in se, peccat mortaliter.* Innocent. X propositionem 1 Jansenii: *Aliqua DEI præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* & 2: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Taceo auctoritatem Patrum, quos refert Bellarm. Tom. 1 de Grat. lib. 4 cap 9, & qui ita unanimiter conspirant, ut ipse Calvinus lib. 2 Instit. fateatur, se in hac parte discedere a Patribus tam Græcis, quam Latinis.

Probatur 3. Variis rationibus philosophicis. 362
Nam 1 pro libertate indifferentiæ stat universalis hominum sensus ab ipsa natura impressus, dumque aliqui hæretici illam negant, ab omnibus aliis cen-

ſentur loqui contra mentem, & habere intellectum plane depravatum. 2. Cuivis ab experientia manifeſtum eſt, quod ponat plurimas actiones in his circumſtantiis, in quibus poſſet easdem abrumpere, mutare, &c. 3. Evidenter ſcimus, quod quotidie in multis nobiscum deliberemus, vel etiam cum aliis conſultemus, quid ſit faciendum; hæc autem eſſent ſuperflua, ſi non daretur libertas indifferentiæ; imo ipſa potentia comparativa intellectus fruſtra nobis conceſſa fuiſſet. 4. Homo in ſtatu naturæ lapſæ meretur, & demeretur, ob ſuas actiones, proprie eſt laudabilis, & vituperabilis; atqui ad meritum, & demeritum requiritur libertas indifferentiæ. 5. Niſi homo eſſet liber, fruſtranea forent præcepta, & conſilia, daretur obligatio ad impoſſibile, homines ſcelerati haberent excuſationem ſuorum criminum, ipſa præcepta Divina eſſent crudelia, & ridicula. Verum hæc in Philoſophia fuſius declarata breviter in memoriam revocaſſe ſufficiat.

Objectiones.

363 Obj. 1. Apoſtolus ad Rom. 7 v. 15 ait: *Non quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo, malum ago.* Ad eosdem cap. 9 v. 16: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis DEI.* 1 ad Cor. 12 v. 6: *DEUS eſt, qui operatur omnia in omnibus.* 2 ad Cor. 3 v. 5: *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare a nobis quaſi ex nobis:* ergo Apoſtolus homini lapſo negat libertatem. Reſp. conc. ant. diſt. conſ. Negat libertatem quoad aliquas actiones, & independentem ob omni auxilio gratiæ, conc. conſ. aliter, neg. conſ. In primo textu Apoſtolus loquitur de motibus indeliberatis concupiſcentiæ, qui tantum materialiter, & per metonymiam ſunt mali, in quantum ſunt effectus peccati originalis, & ad peccatum actuale inclinant. In 2do indicat, quod homo non poſſit facere aliquid meritorium vitæ æternæ ſine auxilio gratiæ, cui

cui tamen libere poteſt cooperari. In 3tio oſtendit, quod DEUS creaturæ det actum primum proximum ad bonum, & in actu ſecundo cum illa libere cooperante concurrat. In 4to iterum agit de operibus ſupernaturalibus, & ſtatim addit: *Sed ſufficientia noſtra ex DEO eſt.*

Dices 1. Homo ob peccatum eſt captivus peccati, & ſervus Diaboli: ergo neceſſario peccat. Ant. patet; nam Paulus ad Rom. 7 v. 23 ait: *Video aliam legem in membris meis captivantem me in lege peccati.* & 2 ad Timoth. 2 v. 26 de impiis inquit: *Ut reſipiſcant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem*; hinc etiam Joann. 8 v. 34 dicitur: *Omnis, qui facit peccatum, eſt ſervus peccati.* Conf. Jerem. cap. 10 v. 23 legitur: *Non eſt hominis via ejus, nec viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ejus*: ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Homo captivatur lege peccati, quatenus neceſſario experitur motus concupiſcentiæ, quin tamen illis neceſſario debeat obſequi. Sicut a Diabolo non poteſt ad peccatum neceſſitari, quamvis ob voluntariam cæcitatem, & pravos habitus difficilius reſipiſcat. A S. Joanne ſervus peccati dicitur, quia neceſſario ſubjectus eſt pœnis, & ſine gratia DEI nequit conſequi juſtificationem. Ad conf. Textus in ſenſu litterali loquitur de Nabuchodonoſore, quem DEUS ab impugnandis Amonitis avertit; in ſenſu morali exponi poteſt, quod via hominis non ſit in ejus poteſtate quoad exſecutionem electionis ſine auxilio Divino. 364

Dices 2. Juxta effatum Chriſti Matth. 7 v. 18: *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Hinc etiam 1 Joann. 3 v. 9 habetur: *Omnis, qui natus eſt ex DEO, non poteſt peccare, quoniam ex DEO natus eſt.* Conf. Juxta concilium Arauſicanum I can. 15: *Arbitrium voluntatis, in primo homine infirmatum, niſi per gratiam Baptiſmi non poteſt reparari: quod amiſſum, niſi a* 365

que

quo potuit dari, non potest reddi. Ideo etiam Cælestinus I ait: *Naturalem possibilitatem Adami amissam esse per peccatum.* Resp. Per arborem juxta S. August. hic intelligitur voluntas efficax, cum qua homo non potest aliud agere, quamdiu illam habet; vel, si per arborem intelligatur ipse homo, sensus est, quod homo bonus, quatenus bonus est, non possit malum agere, neque homo malus, quatenus malus est, agere bonum. Similiter justus non potest peccare in sensu composito justitiæ, cum peccatum non possit conjungi cum gratia sanctificante, quæ est illa nativitas ex DEO. Ad conf. Concilium Arausicanum loquitur de libero arbitrio ut instructo habitibus supernaturalibus, qui necessarii sunt ad operandum salutariter; quod Cælestinus vocat naturale, quia Adamus illud cum natura accepit, & cum illa ad posteros transmisisset, si non peccasset.

366 Obj. 2. Homo necessario ponit actum conformem dictamini intellectus; sed dictamen intellectus est necessarium: ergo. Maj. prob. Homo non potest prosequi bonum, nisi a ratione sit judicatum, illud hic & nunc esse appetendum, alias electio esset sine judicio. Conf. Quilibet homo interrogatus, cur hoc agat, respondet, quia sic judico faciendum; ergo practice semper judicat, quod hic & nunc sibi melius sit hoc agere. Resp. dist. maj. Ponit actum conformem dictamini intellectus, in quantum actui libero necessario debet prælucere motivum aliquod proportionatum, conc. maj. quasi ipsum dictamen deberet voluntatem ad unum determinare, neg. maj. Minor quoque falsa est, quia voluntas sæpe potest intellectum determinare ad assensum vel dissensum. Ad prob. dist. ant. Nisi sit judicatum, illud esse appetendum, id est, illud appeti posse, conc. ant. illud appeti debere, neg. ant. Ad conf. neg. ant. Neque enim peccator, dum scienter malum agit, judicat ita faciendum, & sæpe

ſæpe ratio agendi præcipua eſt, quia placet; quo caſu ipſa quidem voluntas practice unum alteri præfert, non tamen ideo intellectus judicat, illud revera hic & nunc melius eſſe.

Dices 1. Vel ergo voluntas poſſet eligere inter bona æqualia, vel inæqualia? non primum, quia alias ageret ſine ratione; non ſecundum, quia bonum minus in comparatione majoris eſt malum, voluntas autem nequit malum eligere. Conf. Ut voluntas unum eligat præ alio, ſemper requiritur cur objectivum, id eſt, ratio aliqua ex parte objecti: ergo non ſufficit cur ſubjectivum, hoc eſt, quia ita placet. Reſp. conc. maj. neg. min. Nam ſi bona ſive æqualia, ſive inæqualia, ſint diſſimilia, & heterogenea, conſtat ab experientia, quod hoc vel illud poſſimus eligere. Sic quotidie peccator bonum delectabile præfert honeſto, quod evidenter cognoſcit, eſſe abſolute majus bono delectabili. Ratio eſt, quia etiam in bono minore proponitur aliqua bonitas, propter quam illud poteſt amari; in bono autem majore non proponitur bonitas tanta, vi cujus illud debeat amari; unde voluntas etiam eligendo minus bonum non agit ſine ratione, nec appetit malum purum, ſeu qua tale. Ad conf. trans. ant. diſt. conſ. Non ſufficit, quia placet, ſi prorſus nulla alia ratio ex parte objecti proponitur, trans. conſ. ſecus, neg. conſ. Licet etiam ex parte objecti debeat proponi aliqua bonitas, voluntas pro ſuo bene placito hanc vel illam poteſt amplecti, aut reſpuere. 367

Dices 2. Saltem voluntas non poteſt eligere inter bona homagenea; ſi enim ſunt æqualia, pugnat eadem ratio pro utroque: ſi ſunt inæqualia, bonum minus habet rationem puri mali, quia non continet ullam bonitatem, quæ non etiam reperitur in bono majore, & quidem cum exceſſu. Conf. Voluntas non poteſt ex amore finis eligere medium minus utile, relicto utiliore e. g. ex amore ſanitatis medicinam minus ſalubrem: ergo neque ex amore 368

boni

boni potest eligere minus bonum. Resp. neg. ant. quoad 1 membrum. Quamvis non detur ratio potior eligendi e. g. calamum a, quam b omnino similem, & æque aptum; datur nihilominus sufficiens ratio præferendi alterutrum, & propterea sicut nunc iste libere præfertur alteri, sic alter quoque isti præferri potuisset; vel si contendas, in ejusmodi electione semper etiam proponi motivum heterogeneum, hoc ipso salva manet libertas. Major est difficultas, si bona homogenea sunt inæqualia; nam multi censent, tunc nisi accedat motivum dissimile, non posse eligi minus e. g. non posse accipi obolum præ floreno, si sola cognoscatur utilitas pecuniæ, & nullum motivum magis absterrens ab acceptione floreni, de quo plura Haunold. lib. 2 Tract. 1 Controv. 2. Ad conf. dist. ant. Nisi in medio minus utili appareat bonitas diversæ rationis, trans. ant. secus, neg. ant. Potest quis eligere medicinam dulcem præ amara, licet amara proponatur ut salubrior.

369 Obj. 3. DEUS ab æterno infallibiliter præscit actus nostros futuros: ergo non sunt liberi; alias DEUS posset mutari, vel scientia DEI falsificari. Conf. Si Petrus heri projecit Breviarium in mare, hodie non amplius est liber ad recitandas ex illo horas Canonicas: ergo si DEUS jam ab æterno præscit actus nostros, illi in tempore non amplius sunt liberi. Resp. conc. ant. neg. conf. Actus nostri non ideo sunt futuri, quia DEUS illos præscit, sed ideo DEUS illos præscit, quia libere sunt futuri; hinc actus nostri logice & objective sunt priores ad præscientiam, & nos habemus potentiam antecedentem non ponendi objectum hujus præscientiæ, adeoque possumus illam logice, & indirecte impedire. Neque ideo DEUS, aut præscientia DEI mutaretur, sed DEUS ab æterno hanc scientiam non habuisset. Quamvis itaque homo in tempore potentia antecedente, & in sensu diviso posset non verificare

re ſcientiam Divinam, nunquam illam poteſt falſificare ſeu facere, ut in ſenſu compoſito exiſtat ſcientia, & tamen objectum ſit illi difforme. Ex quo tantum ſequitur, quod poſita ſcientia DEI detur neceſſitas conſequens illam verificandi. Ad conf. neg. conſ. Breviarium conſtituit actum primum proximum ad recitandum ex illo horas, adeoque ejus negatio libertatem deſtruit; præſcientià vero DEI non conſtituit actum primum proximum creaturæ, nec ad illum determinate prærequiritur. Argumentum probaret, quod ne quidem Adam in ſtatu naturæ integræ libertatem habuerit. Vid. Tract. de DEO à num. 232, ubi hæc materia fuſe examinata fuit.

QUÆSTIO IV.

Quid circa libertatem in ſtatu naturæ lapſæ ſenſerit Divus Auguſtinus?

Cum auctoritas S. Auguſtini ex una parte ſit 370
graviſſimi ponderis, præſertim in materia de gratia, & libertate; ex altera parte illa maxime glorientur Janſeniani: operæ pretium eſt, ut ipſis oſtendatur, quam longe mens S. Doctoris ab eorum perverſa doctrina diſtet. Equidem ipſe Auguſtinus lib. 11 contra Fauſtum monet, auctoritatem Patrum, utut maximi faciendam, nullo modo Canonicæ ſacrarum litterarum auctoritati coæquari; & epiſtol. 3 lectoribus ſuorum ſcriptorum facultatem dat a ſua doctrina recedendi, ſiquidem fides, communis aliorum Patrum auctoritas, aut ſufficiens ratio id exigat. Hinc contra mentem Auguſtini exorbitant Janſeniſtæ, dum contendunt, Bullas Pontificum ad ipſius mentem interpretandas eſſe, non Auguſtinum ad mentem Pontificiarum Bullarum, & ideo damnata eſt ab Alexandro VIII propoſitio 30: *Si qui invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt docere, & tenere non re-*

respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. Sane licet Augustinus docuerit, infantibus non minus esse necessarium Sacramentum Eucharistiæ, quam Baptismum; contrarium definivit Tridentinum Sess. 21 cap. & can. 4.

371 Dicendum 1. Juxta S. Augustinum ad liberum arbitrium requiritur immunitas a necessitate. Prob. Lib. 3 de lib. arbitr. cap. 3 ait: *Voluntas, quia est in potestate, libera est nobis; non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse, quod habemus:* atqui nisi detur immunitas a necessitate, id quod habemus, non est in nostra potestate, nec potest non esse: ergo. Libr. 2 de Nuptiis, & Concup. cap. 3, postquam sibi proposuit hæc verba Juliani: *Si quis liberum in hominibus arbitrium dixerit, Cælestinianus & Pelagianus vocatur,* ea sic refellit: *Liberum in hominibus esse arbitrium utrique dicimus; non hinc estis Cælestiniani & Pelagiani; ista quippe Catholica fides dicit.* Ergo Augustinus circa liberi arbitrii substantiam conveniebat cum Pelagianis, nec ab iis differebat, nisi quia gratiæ necessitatem impugnabant; atqui Pelagiani fatente ipso Jansenio asserebant libertatem a necessitate. Sane lib. de gratia Christi cap. 47 juxta S. Doctorem controversia, *Ubi de arbitrio voluntatis, & DEI gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari DEI gratia videatur, quando autem asseritur DEI gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Atqui si tantum daretur libertas a coactione, tota difficultas esset sublata, cum gratia etiam efficacissima nullam secum afferat vim coactivam.

372 Dicendum 2. Juxta S. Augustinum ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur libertas indifferentiæ. Probatur. Lib. 2 de duab. animab. cap. 11, postquam peccatum definivit, *Quod sit voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere,* subdit: *Etiam-*

Etiamne hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui id non faciat, quod facere non potest? Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis - - & in orbe terrarum genus humanum? dein cap. 12 pergit: *Peccati tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est, & insaniæ; quam ob rem illæ animæ, quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est, si libero ad faciendum, & non faciendum animi motu carent, - - peccatum earum tenere non possumus:* ergo juxta S. Doctorem peccare non potest homo sine libertate indifferentiæ: ergo neque mereri; cum eadem utriusque sit ratio. Hinc libr. de natura, & gratia cap. 65, postquam retulit verba S. Hieronymi cit. num. 349: *liberi arbitrii nos condidit DEUS* &c. addit: *Quis non cognoscat? quis non toto corde suscipiat?*

Dicendum 3. Juxta S. Augustinum de facto homo est liber ad bonum, & malum libertate indifferentiæ. Probatur. Libr. 1 oper. imperf. num. 98 ait: *Ex quo homo incipit uti voluntatis arbitrio, & peccare, & non peccare potest, sed alterum horum non facit, nisi adjutus ab eo, qui dixit: Sine me nihil potestis facere; alterum vero propria voluntate:* ergo homo lapsus potest peccare, & non peccare, bene, & male agere, cum hoc solo discrimine, quod bonum salutare non possit agere sine gratia, peccare autem ex propria determinatione, DEO nullatenus impellente. In eundem sensum contra Felicem Manichæum cap. 4 inquit: *Habet unusquisque in voluntate aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere, quæ mala sunt, & esse arbor mala.* Denique libr. de Grat. & liber. arbitr. cap. 1 profitetur, hunc librum a se fuisse conscriptum eo fine, ut illos confutaret, qui ex necessitate, & efficacia gratiæ inferebant, sublatum esse liberum arbitrium ad juste, recteque vivendum: *Quoniam sunt*, ait, 373

qui sic gratiam defendunt, ut negent liberum hominis arbitrium &c. atqui nemo negavit libertatem a coactione, cum per se manifestum sit, voluntatem nec a gratia, nec ab alia vi cogi posse.

Objectiones.

874 Obj. 1. S. Augustinus lib. 2. de duabus animab. cap. 10 peccatum definivit, *Quod sit animi motus cogente nullo:* ergo actus voluntatis jam est liber, modo non fiat coacte. Conf. Postquam Julianus S. Doctori in mentem revocavit definitionem alteram, qua in eodem libro dixit: *Quod peccatum sit voluntas retinendi, vel consequendi id unde liberum est abstinere.* Lib. 1 oper. imperf. cap. 104 ita respondit: *Ista definitio peccati ejus est, quod peccatum tantummodo est, non quod etiam pœna peccati, quo periit libertas non peccandi:* ergo solum peccatum Adami tale erat, unde liberum fuit abstinere. Resp. conc. ant. neg. conf. S. Augustinus verbum cogo more aliorum Patrum sumit in sensu communi latiore pro necessitate; nam ibi agit contra Manichæos, qui tantum negabant libertatem a necessitate; hinc postea cap. 11 cit. aliam peccati definitionem adstruit, eosque confutat, ut patet ex num. 372. Ad conf. conc. ant. dist conf. Ergo solum peccatum Adami erat tale, unde liberum fuit abstinere libertate morali, & absque gratia medicinali, conc. conf. in alio sensu, neg. conf. S. Augustinus expresse ait, *Quod nemo sit vituperatione dignus, qui id non facit, quod facere non potest.* Item: *Quod hanc libertatem cantent in montibus pastores* &c. ergo non loquitur de sola libertate Adami. Ubi autem agit contra Julianum, sic se explicat: *Multa sunt, quæ agunt homines mala, a quibus eis liberum est abstinere, sed nulli tam liberum est, quam illi fuit, qui DEO suo, nullo prorsus vitio depravatus adstabat.* Alia solutio hujus objectionis videri potest apud Petav.

Tom.

Tom. 3 Theologic. Dogmat. lib. 4 de opificio 6 dierum cap. 9 num. 10.

Dices 1. Juxta S. Auguſtinum quilibet actus, 375
hoc ipſo quod ſit voluntarius, eſt in noſtra poteſtate; nam lib. 3 de lib. arb. cap. 3 diſputans cum Evodio ait: *Non enim poſſes aliquid ſentire eſſe in noſtra poteſtate, niſi quod cum volumus, facimus:* & paulo poſt: *Voluntas igitur noſtra* (nempe actualis, ſeu volitio) *nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate: porro quia eſt in noſtra poteſtate, libera eſt nobis.* Conf. libr. 1 Oper. imperf. num. 100 ita reprehendit Julianum: *Si liberum non eſt, niſi quod duo poteſt velle, id eſt, bonum & malum; liber DEUS non eſt - ſiccine DEUM laudas, ut auferas ei libertatem?* Reſp. neg. ant. In primo textu juxta communem modum loquendi ſubintelligitur, id eſſe in noſtra poteſtate, quod cum volumus, ita facimus, ut illud poſſimus non facere; nam ſicut recte dicimus, DEUM producere animam, ſi vult, ſic in communi ſenſu male diceretur, Patrem in Divinis generare Filium, ſi vult; quia, ut notat S. Thom. q. 31 art. 2 ad 1 actus naturales non recte dicuntur eſſe in poteſtate agentis naturalis, cum natura ſit determinata ad unum. Alterum textum diſt. Volitio noſtra, ſi non eſſet in noſtra poteſtate, non eſſet volitio, id eſt, non procederet a voluntate tanquam natura, vel quaſi natura, neg. a voluntate tanquam libero arbitrio, conc. Quod S. Auguſt. nomine voluntatis liberum arbitrium intelligat, patet ex libr. de 2 animab. cit. num. 372. Ad conf. Julianus tantum reprehenditur, quod ad libertatem univerſaliter requiſierit facultatem agendi bonum, & malum. Hocipſimet negavimus num. 348.

Dices 2. In libro operis imperfecti diſceptatio 376
erat de libertate hominis viatoris: ergo cum Julianus dixerit, libertatem hominis debere eſſe indifferentem ad bonum, & malum, id Auguſtinus negavit; alias non contradixiſſet adverſario. Conf. Vo-

 lun-

luntas juxta S. Augustinum necessario appetit beatitudinem, & tamen libere eandem appetit. *Perabsurdum est*, inquit libr. de natur. & grat. cap. 46, *ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse velimus, quia id omnino nolle non possumus, nescio qua constrictione naturæ*: ergo ad libertatem ne quidem erquiritur indifferentia contradictionis. Resp. trans. ant. neg. conf. Cardo disputationis erat, an homo ita sit liber ad bonum, & malum, ut non indigeat gratia Christi, quod Julianus voluit probare ex definitione libertatis, quam contendebat aliter concipi non posse, nisi per indifferentiam ad bonum, & malum; unde Augustinus reposuit, hanc definitionem libertatis in genere esse ineptam, cum ex ea sequeretur, DEUM non esse liberum, utpote qui malum velle non potest. Ad conf. Vel S. Doctor hic tantum agit de libertate a coactione, peccato, aut quoad media: vel solum insinuat, quod stante necessitate contrarietatis stet adhuc libertas quoad exercitium, quatenus beatitudinem quidem odisse non possumus, non tamen semper necessario appetimus.

377 Dices 3. S. Doctor lib. 5 de Civit. cap. 10 inquit: *Si autem illa definitur necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, ut sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus; ne nobis libertatem auferat voluntatis*: ergo libertas non excludit necessitatem. Conf. Necessitas, qua DEUS semper vivit, est absoluta: atqui de hac est sermo; nam ita loco cit. pergit: *neque enim & vitam DEI & præscientiam DEI sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse esse, DEUM semper vivere, & cuncta præscire.* Resp. conc. ant. dist. conf. Non excludit necessitatem consequentem, & hypotheticam, conc. conf. antecedentem, & absolutam, neg. conf. Hoc loco agitur contra Stoicos, qui, ut libertatem humanam tuerentur, in DEO negabant præscientiam futurorum contingentium, eoquod stante præscientia necessario

eve-

veniant. Ad conf. dist. maj. Necessitas, qua DEUS semper vivit in actu primo, est absoluta, conc. maj. qua vivit in actu secundo, & vita contingenti, neg. maj. Sensus textus est: Quamvis necesse sit, ut DEUS semper, & immutabiliter velit, quidquid extra se libere vult, & ut præsciat omnia, quæ futura sunt, ideo tamen DEUS libere vult, nec Divina præscientia contingentium absolute est necessaria. Colligitur hic sensus ex verbis subsequentibus: *Sicut etiam, cum dicimus necesse esse, ut cum volumus, libero velimus arbitrio, non ideo ipsum abitrium necessitati subjicimus, quæ adimit libertatem.* Item: *Neque ideo peccat homo, quia DEUS illum peccaturum præscit - qui, si nolit, omnino non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscit.*

Obj. 2. S. Augustinus libr. 1 contra duas epist. 378
Pelagian. cap. 2 ait: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant;* & cap. 3: *Voluntas libera est in malis, quia delectatur malis:* ergo ad demerendum sufficit libertas a coactione. Conf. Libr. de spirit. & litt. cap. 3 ait: *Neque liberum arbitrium nisi ad peccandum valet:* ergo non est indifferens ad bonum, & malum. Resp. conc. ant. neg. conf. Utique peccatores peccant cum delectatione, & delectantur malis, sed ultro, & deliberate; alias si libero, & ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carerent, non possent dici peccatores, ut loquitur lib. de 2 animab. Ad conf. conc. ant. dist. conf. Ergo non est indifferens ad bonum & malum, hoc est, bonum salutare non potest agere absque gratia, conc. conf. cum gratia, neg. conf. Liberum arbitrium viatoris est indifferens ad bonum, & malum; sed malum potest agere ex propriis viribus, ad bonum salutare autem indiget gratia, quam DEUS omnibus confert, vel saltem offert. Vid. num. 373.

379 Dices 1. Juxta S. Doctorem in homine lapso datur necessitas ignorandi multa ad jus naturale pertinentia, quorum ignorantia illi imputabilis est. Sic libr. 1 oper. imperf. num. 105 ait: *Necesse est enim, ut peccet, qui nesciendo, quid facere debeat, quod non debet, facit.* Conf. Ibidem num. 106 concludit: *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi; sed ut non obsit ista necessitas, donat ille, cui dicitur: De necessitatibus meis erue me.* Resp. Hic sermonem esse de peccatis, quæ fiunt ex ignorantia vincibili, quia homo neglexit inquirere, quantum potuit, & tenebatur. Equidem juxta S. Doctorem in statu naturæ lapsæ etiam videtur dari aliqua necessitas antecedens ignorandi aliqua ex iis, quæ scire tenemur, quatenus obligationem illam addiscendi non possumus adimplere sine magna difficultate; verum hæc est tantum necessitas moralis, cum qua stat libertas physica indifferentiæ. De hac ipsa necessitate morali orta partim ex vincibili ignorantia, partim ex concupiscentia, intelligendus est textus in confirmationem adductus.

380 Dices 2. Tamen S. Augustinus non solum ignorantiam, sed etiam motus concupiscentiæ indeliberatos vocat peccata; sic libr. 5 oper. imperf. cap. 50 Julianum dicentem, *malos actus non dari necessario, nec quemquam male agere necessitate*, redarguit, dicens: *Notum est, quod homo prius malum egit voluntate, non necessitate; sed iste, qui dicit: Nolo malum, quod ago, necessitate se ostendit malum agere, non voluntate.* Conf. Idem contra Julianum frequenter repetit, per peccatum primi parentis inductam esse necessitatem peccandi: *Multum erras*, inquit libr. 1 oper. imperf. cap. 105, *qui necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est.* Resp. Quando S. Augustinus ignorantiam, & motus indeliberatos concupiscentiæ vocat peccata, peccatum non sumit in sensu proprio, sed tantum con-

contra Pelagianos oſtendit, quod ſimpliciter dici poſſint mala; nam libr. 1 de Civit. cap. 25 expreſſe ait, ejusmodi motus indeliberatos eſſe absque culpa, & libr. 3 de libero arbitr. cap. 19 ita ſe declarat: *Non ſolum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, (libera enim voluntate, & a ſciente committitur) ſed etiam illud, quod jam de hujus ſupplicio conſequatur, neceſſe eſt.* Ad conf. Eadem eſt reſponſio; nam loco objecto rurſus pro exemplo adducit Paulum exclamantem: *Quod nolo malum, ago.*

Obj. 3. Juxta S. Auguſtinum homo per peccatum originale liberum arbitrium amiſit: ergo poſt lapſum non amplius habet libertatem indifferentiæ. Ant. prob. In Enchirid. cap. 30 ait: *Libero arbitrio male utens homo, & ſe perdidit, & ipſum.* Item: *Cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt liberum arbitrium.* Libr. contra Fortunatum diſput. 2: *Poſtquam autem libera ipſe* (Adam) *voluntate peccavit, nos in neceſſitatem præcipitati ſumus, qui ab ejus ſtirpe deſcendimus.* Reſp. diſt. ant. Amiſit liberum arbitrium quoad ſubſtantiam, ſeu poteſtatem ad utrumvis indifferentem, neg. ant. quoad ea dona, quibus in ſtatu innocentiæ erat præditum, conc. ant. & neg. conſ. Nam ipſemet libr. contra 2 epiſt. Pelagian. cap. 2 ait: *Quis autem noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit, ſed illa, quæ in paradyſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam.* Nempe Adamus ante prævaricationem præditus erat gratia ſanctificante, immortalitate, potentia agendi ſalutariter, immunitate a rebellione concupiſcentiæ &c. quibus nunc genus humanum non ſolum eſt privatum, ſed inſuper multis malis conſtringitur, uti ſunt ignorantia intellectus, propenſio voluntatis ad malum, & paſſionum vehementia, quæ hominem ſuo modo ad peccatum neceſſitant moraliter, imo quoad motus

tus indeliberatos ne quidem physice vitari possunt.

382 Dices 1. S. Pater ait, liberum arbitrium per peccatum Adami fuisse subjectum dominatui concupiscentiæ, captivitati peccati, & servituti Dæmonis: ergo. Conf. Pelagiani contra ipsum semper contendebant, quod homo etiam in statu naturæ lapsæ habeat libertatem indifferentiæ, & DEUS nihil impossibile præcipiat: ergo Augustinus ista negavit. Resp. conc. ant. neg. conf. Subjectio, captivitas, & servitus liberi arbitrii stat in eo, quod homo in statu peccati longe plures, ac graviores patiatur tentationes, quibus ut plurimum obsequitur, cum illas difficillime vincere, multo minus a peccato resurgere valeat, donec liberetur per gratiam sanctificantem, & per auxilia huic gratiæ annexa adjuvetur; ut jam diximus num. 364. Ad conf trans. ant. neg. conf. Error Pelagianorum neutiquam consistebat in hoc, quod admiserint libertatem indifferentiæ ad servanda præcepta Divina, ut male columniantur Bajus, & Jansenius: sed quod negaverint necessitatem gratiæ; hinc concilium Tidentinum Seff. 6 cap. 11 ex ipso Augustino probat, DEI præcepta non esse ad observandum impossibilia, & colligitur ex textu a nobis cit. num. 328, a Pontificibus autem damnata est propositio Baji 54: *Definitiva hæc sententia, DEUM homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.*

383 Dices 2. Juxta doctrinam Augustini homo defacto non est liber, nisi per gratiam Christi, nec peccatum potest vitare, nisi per gratiam liberantem: ergo ne quidem habet potentiam physicam vitandi peccata. Conf. In caput 5tum epist. ad Galat. ait: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est:* ergo homo vel necessario consentit gratiæ victrici, vel concupiscentiæ victrici. Resp. dist. ant. Homo sine gratia Christi non est liber

liber a peccato, & ad operandum ſalutariter, conc. ant. ad vitanda peccata, ſubdiſt. libertate tanta, quantam habuit ante peccatum, conc. ant. libertaſe ſufficiente, neg. ant. Homo ſine gratia Chriſti ſaltem phyſice poteſt vitare peccata, licet ſine illa nequeat ſe a peccatis commiſſis liberare, & juſtificationem conſequi; gratia autem liberans facit, ut peccata facilius evitet. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. S. Auguſtinus hic non loquitur de delectatione indeliberata gratiæ prævenientis, & concupiſcentiæ antecedentis, ſed de delectatioe deliberata, qua voluntas libere conſentit, & ſecundum quam neceſſario ponuntur actus externi, vel etiam interni efficaciter ab eadem delectatione imperati; ut colligitur ex contextu, & fuſius explicari ſolet in Tractatu de gratia.

QUÆSTIO V.

An libertas actui libero ſit eſſentialis, & adæquate intrinſeca, & utrum dari poſſit pura omiſſio libera?

Sicut dubium non eſt, quin libertas ſit eſſentialis, & adæquate intrinſeca actui libero qua tali, utpote ejus forma denominans: ſic plerique facile concedunt illam non eſſe intrinſecam actui externo ſpecificative ſumpto. Cum enim imperium voluntatis in actum externum non influat immediate, & effective, ſed tantum potentias externas ad agendum applicet, nulla eſt ratio, cur e. g. eadem ambulatio, quæ nunc procedit ab imperio voluntatis libero, non æque procedere potuiſſet ab imperio neceſſario. Aliter de actu interno, ſeu ipſa volitione libera ſpecificative accepta ſentiunt Hurtadus, Eſparza, Maurus &c. quam putant totum actum primum liberum ex eſſentia ſua ita reſpicere, ut abſolute poni non poſſet, ſi vel 384

unicum constitutivum libertatis in actu primo deesset. Verum licet forte aliqui actus liberi ob specialem modum tendendi talem respectum ad totum actum primum proximum, vel saltem ad cognitionem indifferentem habere possint; merito tamen Suarez, Vasquez, Molina, aliique plures judicant, universaliter loquendo talem respectum gratis adstrui; modo enim volitio ita procedat a potentia indifferente, ut ab illa proxime potuisset non poni, propriissime jam dicitur libera, ut patet ex ipsa definitione libertatis, & paritate cum actu externo.

385 Sane actus liber specificative sumptus æque potuisset procedere a potentia necessaria; eadem enim volitio potuisset elici, etiamsi omnipotentia DEI non fuisset indifferenter applicata, aut negatio alterius impedimenti inauferibilis defuisset. Imo quia cognitio indifferens in actum liberum specificative sumptum tantum influit idealiter, & directive, ne quidem hæc ad illum essentialiter requiritur. Neque enim talis actus ex intrinseca sua essentia est comparativus, electivus, aut victoriosus; sed comparatio motivorum fit ab intellectu, qua cum reliquo actu primo proximo libero præsupposita, si voluntas e. g. vult abstinere a comestione carnis, quia est prohibita, hoc ipso talis actus extrinsece denominatur comparativus, electivus, & victoriosus. Quando igitur videmur in actibus liberis operari cum majore difficultate, conatu, & intensione, ex eo non sequitur, quod actus voluntatis intrinsece etiam attingat motivum absterrens, sed solum, quod voluntas non obstante motivo absterrente se libere determinet ad actum, & amplectatur motivum alliciens eo conatu, & intensione, quæ necessaria, vel apta est ad oppositam inclinationem vincendam. Sic etiam bruta, quando debent vincere contrarium, agunt intensius, & amor beatificus, licet nullum contrarium debeat vincere, est intensior, quam quivis amor in via vincens gravissimas difficultates e. g. tormenta Martyribus illata. Unde

Unde neque bonitas moralis actui libero est essentialis, & adæquate intrinseca, sed partim consistit in ipsa tendentia volitionis in objectum, partim in libertate, seu actu primo proximo libero. Neque obstat, quod tali modo actus moralis consisteret in complexo, cujus singulæ partes seorsim spectatæ neque moraliter bonæ, neque moraliter malæ sunt; cum enim non sint bonæ, aut malæ præcise ex suppositione, quod reliquæ partes absint, nihil obest, quo minus totum complexum propter conjunctionem partium bonum, aut malum fiat. Sic neque comestio carnis die Veneris præcise secundum se spectata, neque actus primus proximus liber ad comestionem præcise secundum se spectatus moraliter bonus, aut malus est, malum tamen est complexum, utpote difforme legi proxime obliganti; ut adeo aliquis posset mereri, vel demereri, fieri laudabilis, aut vituperabilis per eundem actum, & absque intrinseca sui mutatione. Quamvis enim ex parte sua idem ageret; ageret tamen alio modo cum actu primo proximo libero, quam cum necessario, ita, ut agens libere non solum fieret laudabilis, vel vituperabilis propter circumstantiam libertatis, sed propter ipsum actum liberum positum in iis circumstantiis, in quibus illum omittere potuisset. 386

Quod omissionem puram attinet, clarum est, sæpe dari puram omissionem necessariam, cum non solum dormientes, sed etiam vigilantes sæpe indeliberate nihil velimus. Nihilominus Lugo, Esparza, &c. negant, quod voluntas libere ita possit omittere aliquem actum e. g. amorem alicujus objecti, ut non eliciat alium actum cum amore incompossibilem e. g. odium talis objecti, vel actum voluntatis; *Nolo amare*; quia, ut ajunt, voluntas tanquam potentia rationalis non potest exercere suam libertatem, nisi moveatur aliquo motivo, & in objectum tendat aliquo actu prosecutionis, aut fugæ. Profecto 387

fecto cum incredibilis sit promptitudo, & activitas voluntatis, quæ ab otio alienissima est, dum unum actum omittit, in alium erumpit, qui sit causa, vel saltem occasio omissionis; hinc Taberna tanquam certum tenet, puram omissionem liberam in homine saltem moraliter impossibilem esse. Quod autem absolute implicet, nullo sufficiente fundamento probatur; non enim implicat ratione omissionis puræ ut sic, alias ne quidem dari posset omissio necessaria: neque implicat ratione omissionis liberæ qua talis, quia ratio libertatis omissioni ut sic nihil superaddit, quam potentiam proximam non omittendi, quæ potentia nullum actum voluntatis involvit.

388 Quare puram omissionem liberam absolute possibilem esse, cum communiori docent Suarez, Vasquez, Valentia, Tanner, &c. quippe quamvis potentia libera non possit denominari agens, nisi in actu secundo se positive exerceat, & determinet; id tamen non requiritur, ut denominetur libere non agens. Hinc pura omissio libera potius est negatio exercitii liberi, & determinationis, quam exercitium, & determinatio; vocatur nihilominus exercitium voluntatis negativum, in quantum voluntas tanquam potentia vitalis, & libera per illam reducitur in actum secundum saltem indirecte, & negative, & omissionem actus propter motiva absterrentia æquivalenter eligit. Sicut enim navarchus omittens gubernationem navis, quam hic & nunc posset, & deberet gubernare, in æstimatione morali eodem modo se habet, ac si diceret: Nolo gubernare navem: sic qui pure omittit actum e. g. amoris, æquivalenter idem facit, ac si diceret: Nolo amare.

389 Dices 1. Omne exercitium libertatis debet esse rationabile, & fieri propter aliquod motivum: ergo. Conf. Exercitium negativum libertatis datur magis propter motivum absterrens ab actione, quam propter motivum ad agendum alliciens; atqui hoc

hoc non fieret in pura omiſſione libera, in qua voluntas neutri motivo adhæreret, ſed reſpectu utriusque mortuo modo ſe haberet. Reſp. diſt. maj. Omne exercitium libertatis poſitivum, & proprie dictum debet eſſe rationabile, & fieri propter aliquod motivum, conc. maj. exercitium negativum, & improprie dictum, ſubdiſt. debet fieri propter aliquod motivum, quod præſtet verum aliquem influxum, & cauſalitatem in tale exercitium, neg. maj. quod ſe teneat ex parte actus primi proximi, & conſtituat indifferentiam voluntatis, trans. maj. Nam juxta aliquos ſufficit, ſi cognoſcatur motivum alliciens ad actum, qui omittitur. Ad conf. trans. maj. neg. min. Pura omiſſio magis datur propter motivum abſterrens ab operando, quia potentia omittendi actum in voluntatem potius derivatur a motivo abſterrente ab actu, quam a motivo ad actum alliciente.

Dices 2. Si intellectus proponit duo motiva 390
abſterrentia ab actu, voluntas poteſt omittere actum propter unum motivum, non vero propter alterum: ergo motivum in omiſſionem debet præſtare aliquem influxum, præſertim ſi motiva ſint incompoſſibilia e. g. motivum omittendi Sacrum, ut poſſis dormire, & ut poſſis ludere. Conf. Si motivum in omiſſionem non deberet influere, tunc ille, cui proponuntur varia motiva omittendi Sacrum e. g. occaſio furandi, fornicandi &c. contraheret malitiam furti, fornicationis &c. ſed hoc eſt nimis rigidum: ergo. Reſp. Quamvis in hoc caſu requiratur actus poſitivus, & influxus unius motivi; negatur tamen ſuppoſitum, quod voluntas nequeat actum pure omittere propter motivum utrumque; nam licet ſint incompoſſibilia quoad exiſtentiam realem, poſſunt nihilominus ſimul exiſtere intentionaliter, & ſic ſimul ad omiſſionem Sacri movere negative, auditionem Sacri præciſe impediendo, voluntas vero poſtmodum eligere alterutrum, nempe luſum, vel ſomnum,

aut

aut utrumque successive. Ad conf. neg. maj. Etsi omittens Sacrum in hoc casu tam furtum, quam fornicationem suo modo velit negative, propterea ipsi moraliter non sunt imputabilia; tum quia non datur obligatio ejusmodi motiva semper positive rejiciendi, sed tantum non consentiendi: tum quia omissio Sacri nec est causa per se istorum peccatorum, nec ideo prohibita, ut ista peccata non dentur. Cæterum in praxi hic casus vix occurret, ut colligitur ex num. 387.

391 Dices 3. Nulla alia potentia positis omnibus ad agendum requisitis potest ab actu primo ad secundum reduci per puram omissionem: ergo neque voluntas. Conf. Non potest dari omissio voluntaria necessaria sine aliquo actu positivo: ergo neque omissio libera; voluntarium enim latius patet, quam liberum. Resp. conc. ant. neg. conf. Disparitas est, quia omnes reliquæ potentiæ sunt necessariæ, quæ positis omnibus ad agendum requisitis necessario agunt; voluntas autem est potentia libera, & quidem non solum libertate contrarietatis, sed etiam contradictionis, adeoque pro libitu potest agere, vel non agere. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Omissio necessaria nec est a voluntate agente, nec a voluntate non agente, sicut tamen omissio libera ita est a voluntate non agente, ut proxime potuisset non esse. Rationem consequenti additam dist. Voluntarium ut sic, aut etiam positivum, latius patet, quam liberum positivum, conc. voluntarium negativum latius patet, quam liberum negativum, neg. Hinc licet omne liberum positivum ablata libertate maneat voluntarium, id non procedit de libero solum negative tali.

392 Dices 4. Pura omissio libera voluntati non esset utilis, sed perniciosa, quia illam privaret aliqua perfectione, adeoque in aliquod malum præcipitaret. Conf. Non potest dici, an pura omissio sit honesta, vel inhonesta, aut tantum indifferens: ergo. Resp. trans. ant. neg. conf. Tum quia nulla ra-

ratione probatur, quod voluntas neceſſario, & abſolute appetere debeat bonum, quod ipſi ſolum proponitur tanquam finitum, & non purum: tum quia etiamſi reliqua abeſſent, hæc ſatis magna foret utilitas voluntatis, quod omittendo omnem actum circa certam materiam facilius poſſit exercere ſuos actus circa alios. Ad conf. dico 1, omiſſionem puram nunquam eſſe poſitive honeſtam, & moraliter bonam, quia ad hoc requireretur, ut fieret cum formali intentione, & amore honeſtatis, ad quod neceſſarius foret actus poſitivus. 2. Illam quandoque eſſe moraliter malam, videlicet quando datur in iis circumſtantiis, in quibus cognoſcitur obligatio ponendi actum præceptum e. g. amoris DEI; neque enim ad actum malum requiritur, ut fiat cum formali intentione, & ex amore inhoneſtatis. 3. Indifferentem vero tunc eſſe, quando aliquis omittit actum bonum, quem non cognoſcit eſſe præceptum, aut actum malum cognitum ut talem ſine ullo amore honeſtatis.

DISPUTATIO III.

De Regula remota moralitatis actuum humanorum.

Cum regula in genere dicatur illud, ſecundum 393
quod aliquid dirigi, ac veluti menſurari debet, ut debitum ordinem ad ſuum finem habeat, conſtat, regulam moralitatis eſſe illam, cui ſi actus humani ſunt conformes, hoc ipſo recti, boni, ac honeſti; ſi vero difformes, obliqui, mali ac inhoneſti appellantur. Duplex a S. Thoma, aliiſque Theologis aſſignatur; unam vocant remotam, & objectivam, alteram proximam, & formalem. Prior eſt ratio illa objectiva, quæ ut cognita dirigit ad actum moralem, nempe, ut inferius probabimus, lex æterna DEI,

DEI, cui actiones nostras morales per dictamen conscientiæ conformes, vel difformes esse judicamus. Posterior est, quæ dirigit non ut cognita, sed ut ipsa cognitio, & intentionalis quædam applicatio regulæ objectivæ; consistit in ipso dictamine conscientiæ, quo judicamus, actum esse honestum propter conformitatem, vel inhonestum propter difformitatem cum lege.

394 Sicut duplex datur regula moralitatis, ita bonitas, & malitia tam actuum externorum, quam internorum duplex est, objectiva, quæ consistit in conformitate vel difformitate actus cum regula remota: & formalis, quæ per libertatem actus, & advertentiam ad regulam remotam constituitur, & sola hominem proprie laude, vel vituperio, præmio, vel supplicio dignum facit. Quamvis autem omnem actum formaliter bonum, aut malum præcedere debeat advertentia ad regulam honestatis, non tamen semper requiritur, ut actus per modum suum tendendi intrinsecum eam regulam attingat; qui enim libere, & advertenter ponit actionem prohibitam, jam contemnit legem DEI, & peccat, licet non intendat ipsam malitiam objectivam e. g. sic tendendo: Volo hoc objectum, quia est inhonestum, difforme legi, vel non obstante illius inhonestate. Sane fur non furatur ideo, quia furtum est malum; neque libidinosus ideo indulget voluptatibus, quia sunt prohibitæ.

395 Aliud est de actibus bonis, maxime qui eliciuntur a Virtutibus moralibus, & non per se cum DEO conjungunt. Ad hos requiritur, ut operans ipsam honestatem, saltem exercite, intendat. e. g. Licet aliquis cognoscat, honestum esse eleemosyna juvare pauperem, & ipsi aliquid largiatur, ideo non agit laudabiliter, nisi largiatur in hunc finem, ut ista largitione pauperem sublevet, & ab honestate actionis aliquo modo ad illam ponendam moveatur. Ad hoc inquit S. Thomas 1 2 q. 19 art. 7 ad 3: *Quod sit*

sit voluntas bona requiritur, quod sit boni sub ratione boni, id est, quod velit bonum, & propter bonum. Ratio est, quia operans sine intentione honestatis habet animum ad bonitatem suæ actionis plane indifferentem, quasi nihil de illa curaret, sed mere permitteret, aut etiam negligeret; hinc S. August. in Psalm. 31 ait: *Bonum opus intentio facit. Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat.*

Itaque ut actus aliquis objective, & moraliter 396
bonus sit, debet habere objectum materiale bonum, vel saltem ad bonum conducibile; si enim illud, quod appetitur, neque de se bonum est, neque ad bonum finem refertur, nullam laudem ac præmium meretur. 2. Objectum formale, seu finem bonum, qui duplex esse potest, vel intrinsecus, ad quem actus ex natura sua ordinatur, ut jejunare ad exercendum actum temperantiæ, vel extrinsecus, quem operans ex mero arbitrio suo sibi præstituit, ut jejunare in ordine ad conservandam castitatem. 3. Nulla debet adesse circumstantia mala, quæ operationem intrinsece vitiosam reddat; alias actus jam ponitur modo prohibito; & hic vel maxime procedit illud: Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. Ex quo vides, actum bonum bonitatem objectivam, & malum malitiam objectivam desumere tum ex objecto materiali, tum ex fine, tum ex circumstantiis.

Quippe objectum materiale est, quod voluntas 397
appetit: ergo si objectum primæ regulæ honestatis est conforme, actus objective erit bonus, si difforme, malus. Sic objective malum est furari, bonum dare eleemosynam. 2. Finis est, cujus gratia aliquid appetitur, & ad quem actus ordinatur. Cum igitur actus morales præcipue dependeant ab intentione, bonitatem, ac malitiam vel maxime desumunt ex fine, adeo, ut juxta S. Thomam q. 18 art. 6, qui furatur, ut committat adulterium, magis sit adulter, quam fur. 3. Circumstantiæ morales di-

cuntur, quæ actum in genere moris consideratum comitantur, ut tempus, locus, conditio operantis &c. hæc sæpe faciunt, ut operans longe majore vituperio, vel laude dignus sit. Sic multo laudabilior est, qui pauperem sublevat ex necessariis, quam qui ex superfluis; sic gravius peccat, qui furatur ex loco sacro, quam qui ex profano.

398 Ulterius ex his colliges 1. Idem actus plures virtualiter bonitates, aut malitias continet, quando vel ipsum objectum, vel finis, vel circumstantiæ faciunt, ut pluribus legibus formaliter diversis sit conformis, vel difformis. 2. Si actus de se bonus fit propter finem malum privative & unice, ita ut sine hoc fine positive nolles actum ponere, totus actus redditur malus. 3. Vicissim actus malus nullam bonitatem a fine recipit, etsi ob bonum finem fiat; quia nunquam licet facere malum, ut eveniat bonum. 4. Circumstantiæ malæ quandoque ita immutant actum moralem, ut ejus bonitatem omnino destruant, ut si conjugi in loco sacro debitum reddas, mutatur opus Justitiæ in sacrilegium.

399 Quæres. An idem actus moralis possit simul esse bonus & malus. Resp. Quamvis idem actus non possit esse bonus & malus intrinsece, quia malum ex quolibet defectu intrinseco; potest tamen & sæpe videtur contingere, ut actus de se bonus, & meritorius extrinsece leviter malus denominetur. Nam 1 potest fieri, ut quis optima intentione incipiat orare, & interim dum orat vel postea inde captet vanam gloriam. In tali casu oratio de se bona est, licet concomitanter vel consecutive adsit intentio mala, & ipsam orationem extrinsece quodammodo malam denominet, quatenus illa utitur tanquam medio ad finem malum. 2. Imo licet aliquis ex vana gloria inciperet opus bonum v. g. dolorem de peccatis & confessionem, modo finem principalem confessionis non excludat, dolor & confessio manet intrinsece bona & valida, quia stante hoc

hoc peccato veniali poteſt adhuc dari verus dolor, & propoſitum circa alia peccata, quod ſufficit ad valorem ſacramenti, ut multis deducit Lug. de pœnit. diſp. 15 ſect. 9. Profecto ſi ob ejusmodi errores leves extrinſecos ac concomitantes, omnes actus omnino vitioſi redderentur, pauci præſertim apud pueros eſſent meritorii.

QUÆSTIO I.

Quæ ſit prima regula objectiva moralitatis.

Quoniam ipſa natura, & intima omnium conſcientia clamat, bonum eſſe faciendum, malum fugiendum, virtutem laude ac præmio, ſcelera pœna & vituperio digna eſſe, manifeſtum eſt, quod detur aliqua regula, juxta quam actuum moralium honeſtas, & inhoneſtas menſurari poſſit, ac debeat; alias genus humanum a DEO auctore naturæ non eſſet ſatis provide conſtitutum, & deſtitueretur mediis ad ſuum finem neceſſariis. Quæritur jam, in quonam univerſaliter, & omnium primo hæc regula conſiſtat, an in natura rationali qua tali, ut ex antiquioribus docet Vasquez, & ex recentioribus Wolff? an in eſſentia Divina, ut vult Terillus? an in lege DEI, ut cum S. Thoma docet communiſſima aliorum. Quia autem pleraque ad hanc controverſiam pertinentia jam diſcuſſa ſunt in Tractatu de legibus diſput. 1, ea ſolum afferam, quæ ulterius ſpecialiter notanda, vel ad majorem dictorum explicationem ſerviunt. 400

Lex DEI ſaltem ſecundum id, quod dicit in recto, eſt quidem unius realiter actus voluntatis, vel etiam intellectus Divini: nihilominus formaliter eſt multiplex, in quantum propter reſpectum ad diverſa objecta, & circumſtantias ſubſtat diverſis noſtris conceptibus, quibus illam nunc iſto, nunc 401

alio modo consideramus. Sic 1 legem Divinam dividimus in Naturalem, qua tanquam auctor naturæ aliqua necessario, & Positivam, qua aliqua libere præcipit, aut prohibet. 2. In Præcipientem, Prohibentem, Permittentem & Consulentem; quamvis enim consilia Divina, & forte etiam lex permittens, in sensu stricto rationem legis non habeant; hic tamen nomine legis intelliguntur, cum etiam consilia actus humanos dirigant, & actus illis conformes sint juxta Divinum beneplacitum; alias qui sequeretur consilia Divina, non ageret positive honeste.

402 Præterea lex Divina dividi potest in Antecedentem & Consequentem. Per antecedentem intelligitur illa, qua DEUS aliquid præcipit, prohibet, permittit, aut consulit quasi primario, & per se, id est, secluso omni errore, ignorantia, dubio, aut alia rei indebita apprehensione ex nostra parte se tenente. Per legem consequentem intelligitur ea, quæ aliquid præcipit, prohibet &c. quasi secundario, & per accidens, nempe ex suppositione falsæ alicujus ex parte nostra opinionis, ignorantiæ, dubii, aut apprehensionis circa illam rem. Equidem hæc divisio legis primum in scholas introducta dicitur a Terillo; verum hic ipse modus loquendi pridem jam in alia materia erat receptus. Sic S. Chrysost. Homil. 1 in epistol. ad Ephes. aliam DEI voluntatem vocat primariam, aliam secundariam. S. Damascen. lib. 2 de fide orthodoxa cap. 29 voluntatem DEI salvandi homines dividit in antecedentem, & consequentem, quam ipsam distinctionem cum communissima Theologorum adhibet S. Thomas 1 part. q. 19 art. 6.

403 Porro lex Divina dicitur dari ex suppositione nostræ scientiæ, aut ignorantiæ, non quia lex seu obligatio activa primum datur post nostram cognitionem, sed quia vult, ut primum post illam detur, vel non detur nostra obligatio passiva; ad quod ex-

explicandum duplicem modum adhibent. Primo juxta aliquos DEUS, antequam videat circumſtantias quaslibet particulares, in quibus homo quilibet ſit conſtituendus, efficaciter quidem, attamen conditionate decernit: Volo, ut ad hoc faciendum, vel omittendum quilibet ſit obligatus, ſi ſufficientem voluntatis meæ notitiam habuerit: dein vero, poſtquam prævidit omnes circumſtantias, in quibus quilibet homo conſtituendus erit, abſolute præcipit: Volo, ut Petrus in his circumſtantiis, in quibus ſufficientem notitiam meæ voluntatis antecedentis habere poterit, abſolute ad hoc faciendum ſit obligatus; pro alio vero tempore, quo laborabit invincibili ignorantia, nolo ipſum eſſe obligatum. Ex quibus facile intelligitur, quomodo DEUS voluntate antecedente, & conditionata velit hominem ad aliquid eſſe obligatum, quin illum ad idem velit eſſe obligatum voluntate abſoluta, & conſequente.

Verum ejusmodi voluntas efficax ſolum conditionata minus placebit iis, qui in Tractatu de DEO contendunt, DEUM ad omnia ſua decreta dirigi per ſcientiam mediam, & hac ſuppoſita cuncta unico tam realiter, quam virtualiter actu decernere. Itaque juxta hos DEUS, quantum eſt ex ſe, habet quidem ſimplicem aliquam complacentiam, & velleitatem præcipiendi, vel prohibendi omnia, quæ ſecundum ſe ſpectata neceſſario, aut convenienter præcipienda, vel prohibenda eſſent; quia autem videt iſtos homines, ſi in talibus circumſtantiis ponerentur, habituros ſufficientem notitiam, hos vero invincibili errore, aut ignorantia laboraturos, mox efficaciter, ac abſolute ſtatuit, primis dare ſufficientem notitiam, & eos abſolute obligare; in aliis vero ignorantiam, aut errorem permittere, & pro hoc tempore illos non obligare. In qua hypotheſi vides, quod inter has duas formalitates Divinæ voluntatis, neutra vel ſola ratione præcedat, aut alteram conſequatur; nihilomi- 404

nus illa, qua DEUS vult dare sufficientem notitiam, merito dicitur antecedens, quia est juxta antecedentem complacentiam simplicem.

405 Dicendum. Prima regula moralitatis objectiva non est natura rationalis qua talis, nec essentia Divina, sed lex DEI. Probatur 1. Lex DEI est prima regula objectiva respectu actuum malorum: ergo etiam respectu bonorum; nam eadem est regula recti, & obliqui, boni, & mali, honesti, & inhonesti. Ant. prob. tum auctoritate Scripturæ, in qua Psalm. 118 v. 119 dicitur: *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*; & ad Rom. 4 v. 15: *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Tum auctoritate Patrum, qui communiter peccatum definiunt, quod sit transgressio legis Divinæ, inobedientia Divinorum mandatorum &c. hinc S. August. lib. 2 de peccat. merit. & remiss. cap 16 ait: *Neque peccatum erit, si quid erit, nisi Divinitus jubeatur, ut non sit*: ergo lex Divina est illa regula, ex qua desumi debet, utrum aliquis actus objective sit malus, vel bonus, & quidem regula prima, & suprema, cum alia prior, & superior non possit assignari. Conf. Regula objectiva moralitatis tantam inducit obligationem, ut ab illa sub reatu pœnæ æternæ non liceat in re gravi recedere, licet impellerent omnes creaturæ; atqui tanta vis obligandi non potest induci, nisi a lege Divina: ergo.

406 Probatur conclusio 2. Illud non est prima regula moralitatis, quod per dictamen rationis non proponitur ut regulans, sed potius ut regulabile, & aliunde regulandum; atqui ita proponitur natura rationalis qua talis: ergo. Maj. patet. Nam si prima regula regularetur ab alia, jam non esset prima. Min. prob. Illud solum proponitur ut regulans actiones morales, quod hominem proprie obligat ad has potius actiones, quam alias ponendas; atqui natura rationalis qua talis non ita obligat; cum nemo ita possit obligare, nisi superior; natura autem

autem rationalis neque in individuo, neque in communi de se, & independenter a beneplacito supremi legislatoris habet superioritatem in alios, sed quilibet saltem in occulto posset facere, quod vellet, nisi revereri deberet supremum aliquem legislatorem, a quo omnis potestas in eos quoque, quibus legitime subjicimur, derivatur. Conf. Multa præcise sunt mala, quia sunt prohibita, uti esus pomi vetiti: ergo natura rationalis qua talis jam non potest esse universalis regula omnium actuum homanorum.

Objectiones.

Obj. 1. Quando DEUS aliquid præcipit, vel 407
prohibet, saltem ratione nostra præcedit dictamen intellectus Divini, quo DEUS judicat, expedire, aut necessarium esse ad bonam gubernationem generis humani hæc prohibere, & illa præcipere: ergo prima regula moralitatis non consistit in lege, sed in dictamine Divino. Conf. Dictamen Divinæ Sapientiæ est essentialiter verum: ergo, qui se illi conformat, honeste operatur, & qui ab illo discedit, inhoneste. Resp. conc. ant. dist. cons. Ergo prima regula moralitatis respectu DEI non consistit in lege Divina, conc. cons. respectu creaturarum, neg. cons. Cum DEUS ex essentia sua sit indefectibilis, & nullum superiorem habeat, nec indiget, nec habere potest aliam regulam operandi quam infinitam suam sapientiam; at hic disputamus de regula actuum humanorum, quæ defectibilem hominum voluntatem ita dirigat, ut ipsi imponat necessitatem, & obligationem, quæ sine lege non datur. Ad conf. conc. ant. dist. cons. Honeste operatur, quia simul se conformat voluntati Divinæ, conc. cons. præcise quia se conformat dictamini Divino, subdist. si hoc dictamen revera constituat legem, aut consilium, conc. cons. secus, neg. cons. Utrum lex Divina

confiſtat in actu voluntatis, vel intellectus, explicavi de legibus, num. 17.

408 Obj. 2. Infinita perfectio Divina eſt prima ratio, & fundamentum, cur DEUS aliquid præcipiat, vel prohibeat, cui tam dictamen, quam voluntas Divina regulans, ut ſit recta, debet conformari: ergo prima regula moralitatis conſiſtit in perfectione Divina; qui enim ideo operatur, quia ſcit, id exigi a perfectione Divina, honeſte operatur, & qui agit contrarium, inhoneſte. Conf. Bonitas moralis conſiſtit in aptitudine, & malitia moralis in ineptitudine ad finem ultimum: ergo DEUS ut ultimus finis eſt prima regula moralitatis. Reſp. trans. ant. Nam lege poſitiva DEUS multa præcipit, quæ infinita perfectio Divina per ſe non exigit. Neg. conſ. Perfectio Divina eſt quidem ultimum principium, & reſolutivum legis naturalis; at ſine voluntate Divina nondum inducit obligationem, nec aliquis actus proprie laudabilis, & honeſtus concipi poteſt, niſi quatenus DEO placet, & DEUS illum fieri vult. Ad conf. diſt. ant. Ita tamen, ut hæc ipſa aptitudo, vel ineptitudo fundetur in conformitate, vel difformitate cum lege Divina, conc. ant. ſecus, neg. ant. Imo actus moralis bonus, ſi ſit mere naturalis, defacto non diſponit, ſaltem poſitive, ad finem ultimum, utpote ſupernaturalem.

409 Obj. 3. Lex æterna jam ſupponit aliqua eſſe mala, vel bona, & ab ipſa illorum malitia, vel bonitate DEUS movetur ad ſtatuendam legem: ergo prima regula moralitatis conſiſtit in natura rationali qua tali. Conf. Sæpe homines aliis negotiis abſorpti per integros menſes vix cogitant de DEO, ejusque lege: ergo juxta nos rariſſime peccarent, & plurima homicidia, furta, &c. poſſent excuſari a culpa. Reſp. diſt. ant. Supponit, aliqua eſſe bona, & mala radicaliter, conc. ant. formaliter, neg. ant. Conformitas, vel difformitas cum natura rationali eſt aliqua malitia aut bonitas radicalis, quatenus infini-

finita perfectio exigit, ut tales actus prohibeantur; unde ratio a priori, cur debeant prohiberi, est ipsa perfectio Divina. Nisi tamen isti actus lege prohiberentur, aut præciperentur, tantum haberent aliquam honestatem, vel inhonestatem physicam; nam moralis in sensu proprio, & Theologico dicit relationem ad potestatem obligantem, cui necessario parendum. Ad conf. dist. ant. Vix cogitant de DEO, ejusque lege explicite, & sub hac ratione formali, conc. ant. implicite & sub prædicato reipsa convertibili, neg. ant. & conf. Qui agnoscunt actionem aliquam naturam rationalem dedecere, præsertim graviter, hoc ipso solent advertere, talem actionem quibuscunque demum impellentibus non esse faciendam: ergo jam implicite agnoscunt legem, & potestatem DEI obligantem. Videatur Tract. de Leg. a num. 51.

Obj. 4. Saltem lex DEI non est universalis. 410
Nam 1 actus, qui a DEO suadentur, sunt honesti, quin suam honestatem habeant a lege DEI. 2. Aliqui actus sunt contra solam legem humanam, sed isti rursus suam honestatem non habent a lege Divina. 3. Vicissim actus permissi sunt juxta legem DEI, & tamen non habent honestatem. Conf. Non omnia, quæ DEUS vult, possumus licite velle e. g. non possumus licite velle mortem inimici, quam DEUS vult: ergo. Resp. neg. ant. Consilia Divina sunt lex DEI, saltem latius accepta, ut notavi num. 401. 2. Quæ fiunt contra legem humanam, fiunt etiam contra legem DEI universalem, & quasi reflexam, qua jubet servari omne præceptum humanum justum, & ipsis legibus humanis vim obligandi in conscientia tribuit. 3. Actus mere permissi habent a permissione Divina honestatem negativam, quatenus non sunt positive mali. Ad conf. dist. ant. Non omnia possumus licite velle, quæ DEUS vult nos velle, neg. ant. quæ DEUS quidem vult, at nos velle prohibet, conc. ant. & dist. conf. Ergo vo-

ſunt is DEI, qua ipſe vult aliquod objectum, non eſt regula moralitatis, conc. conſ. qua vult, ut nos velimus aliquod objectum, neg. conſ.

411 Obj. 5. Si honeſtas, & inhoneſtas actuum humanorum deberet deſumi a voluntate Divina, omnes eſſent æqualiter honeſti, vel inhoneſti: hoc falſum: ergo. Maj. prob. Actus Divini omnes ſunt æqualiter honeſti, & ſancti: ergo a pari. Conf. Si DEUS mentiretur, peccaret, & tamen non ageret contra legem: ergo. Reſp. neg. maj. Ad prob. conc. ant. neg. conſ. Actus Divini ſunt quidem æqualiter honeſti, & ſancti intrinſece, eoquod omnes ab infinita ejus bonitate, & ſapientia procedant: nihilominus objecta actuum Divinorum ſunt diverſæ bonitatis, & propter unum majorem meretur laudabilitatem extrinſecam gratitudinis, quam propter alterum e. g. majorem ex Incarnatione, quam ejus negatione. Similiter DEUS aliquos actus humanos magis approbat, vel reprobat, hinc quidam habent majorem conformitatem, vel difformitatem cum voluntate Divina, conſequenter etiam ſunt magis honeſti, vel inhoneſti. Ad conf. neg. ant. Nam ſi DEUS mentiretur, & peccaret, non amplius eſſet DEUS, ſed haberet ſuperiorem, cujus lege obligaretur ad non mentiendum; vel potius eſſet DEUS, & non eſſet DEUS, peccaret, & non peccaret; quid enim mirum, ſi ex hypotheſi chimærica plures chimæræ naſcantur?

QUÆSTIO II.

An detur lex DEI antecedens, & conſequens?

412 Ut quæſtio hæc minus diſpliceat quibusdam recentioribus Rigoriſtis, præſertim P. Camargo, & Danieli Concina, qui legem DEI conſequentem tanquam commentum novum, impoſſibile, nulla ratio-

tione, vel auctoritate nixum, & communi Theologorum doctrinæ contrarium traducunt; imprimis lis de nomine separanda est a quæstione de re. Quæstio rei est, an DEUS aliqua, quæ secluso errore, ignorantia, &c. prohibet, ex suppositione erroris, aut alterius indebitæ rei apprehensionis permittat, vel etiam præcipiat; & vicissim, an ex suppositione erroris aliqua prohibeat, quæ secluso errore permittit, aut præcipit. Quæstio nominis est, an lex illa, quæ nullam ex parte nostra supponit indebitam apprehensionem, dici possit lex antecedens, consequens vero illa, quæ indebitam apprehensionem supponit.

Quæstionem nominis quod attinet, sane non 413. meretur tantos clamores, quos Concina in Apparatu ad suam Theologiam, præsertim Tom. 2 l. 2 de conscient. dissert. 8 cap. 4 excitat. Cum enim ex una parte divisio voluntatis Divinæ in antecedentem, & consequentem jam diu in scholis fuerit recepta, ut num. 402 ostendi: ex altera parte eadem divisio ad multa clarius, & brevius explicanda serviat, ut ex dicendis patebit; nemo prudenter præcise contra innoxium loquendi modum debacchatur. Si vero agitetur quæstio rei, nostra sententia adeo non est nova, & communi doctrinæ contraria, ut vel ipsi Rigoristæ, ac Tutioristæ illam communissime docuerint, & docere debeant, nisi omnem ignorantiam invincibilem legis tam naturalis, quam humanæ negare velint. Igitur prætermissa interim quæstione de nomine ad rem.

Dicendum. DEUS aliqua secluso errore prohi- 414. bita ex suppositione erroris permittit, & præcipit, consequenter datur lex Divina, quam antecedentem dicimus, & consequentem. Probatur 1. Ignorantia, & error invincibilis excusat a peccato: ergo DEUS actus e. g. officiosi mendacii, secluso errore prohibitos, invincibiliter ignoranti non reputat ad culpam, & pœnam, sed illos permittit; imo si in-

vincibiliter existimet, se hic & nunc obligari, ut mentiatur e. g. ad salvandam vitam proximi, tenebitur mentiri, cum semper sit prohibitum agere contra conscientiam utut erroneam; hinc etiam peccat, qui ponit actionem de se permissam, vel præceptam, quam invincibiliter putat esse prohibitam. Conf. Antecedenter ad emissum votum, vel præceptum superioris multa possunt esse licita, quæ consequenter sunt illicita etiam per legem Divinam præcipientem, ut promissio DEO legitime facta servetur, & superioribus legitime imperantibus obediatur: ergo etiam antecedenter ad errorem multa possunt esse a DEO permissa, quæ consequenter prohibet, & vicissim.

415 Probatur 2. Quando alicui probabilissimum, vel saltem æqualiter probabile est, hanc vel illam actionem esse licitam; juxta Probabilistas non peccat illam ponendo, etsi forte a parte rei talis actio sit prohibita: econtra juxta Tutioristas peccat formaliter, etsi actio secundum se non sit prohibita, & idem Probabilioristæ docent in casu æqualis probabilitatis: ergo omnes isti Auctores a parte rei agnoscunt, quod DEUS secluso errore aliqua permittat, quæ supposito errore præcipit, aut vicissim. Conf. Subditus invincibiliter ignorans, id esse malum, quod superior præcipit, juxta ipsum Camargo tenetur obedire: eumque a peccato excusari docet Concina l. cit. dissert. 1 cap. 5, imo Tom. 6 l. 1 de jure naturæ ita immutabilitatem juris naturalis explicat, ut Terillum loqui putares; ait enim, depositum esse absolute reddendum, non autem in hac aut illa circumstantia; homicidium publica auctoritate esse licitum, privata illicitum &c. & merito; nam etiam cap. Dominus de secundis nuptiis, Uxor jubetur debitum reddere viro, quem falso quidem, optima tamen fide, ac invincibiliter existimat esse suum.

Ob-

Objectiones.

Obj. 1. Divisio legis in antecedentem, & consequentem est nova & primum excogitata a Terillo, qui scripsit anno 1668; atqui novitas semper est suspecta; hinc S. Paulus ad Hebr. 13 v. 9 monet: *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.* ergo. Conf. Qui invincibiliter judicat, se obligari ad mentiendum, non tenetur ad hoc lege consequente mendacium præcipiente, sed illa lege, quæ universaliter peccatum prohibet, aut quæ prohibet velle legem transgredi. Resp. dist. maj Est nova quoad vocem, & terminos, trans. maj. quoad ipsam rem, neg. maj. Nam quoad rem doctrina nostra adeo est manifesta, & tantis nititur fundamentis, ut ipsi adversarii vel nolentes illam admittant. Ad conf. neg. ant. Cum enim in tali casu peccatum non possit evitari, nisi mentiendo, hoc ipso, quod peccatum sit prohibitum, mendacium præcipitur. Similiter lex prohibens voluntatem transgrediendi legem, necessario etiam prohibet id, per quod lex violaretur: ergo quia in nostro casu lex violaretur per omissionem mendacii; omissio mendacii est prohibita: & consequenter ipsum mendacium præceptum, non per se, & lege antecedente: ergo per accidens ex suppositione erroris, & lege consequente. 416

Dices 1. In casu invincibilis ignorantiæ non est 417
peccaminosa nolitio mentiendi, sed tantum volitio peccandi: ergo mendacium tantum est prohibitum secundum hanc formalitatem posteriorem, præsertim quia ad evitandum peccatum mendacium tantum requiritur per accidens ex defectu operantis. Conf. Qui sequitur sententiam probabiliorem, vel æque probabilem minus tutam, juxta Tutioristas, & Probabilioristas se exponit periculo peccandi: ergo talis tantum peccat contra legem antecedentem, ne videlicet aliquis se exponat periculo peccandi. Resp.

neg.

neg. ant. Nam nolitio mentiendi eſt nolitio medii in hoc caſu unice neceſſarii ad evitandum peccatum: ergo etiam ſub hac formalitate eſt prohibita, & peccaminoſa. Neque obſtat, quod intercedat error operantis, quia nihilominus verum manet, quod peccatum non poſſit aliter, quam mentiendo evitari, id quod DEUS optime ſcit, quin ideo velit ignorantiam tollere. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Si enim talis ſe exponit periculo peccandi, tunc per hanc ipſam actionem, quam probabilius, vel probabiliter licitam eſſe judicat: ergo hæc actio in iſtis circumſtantiis ipſi eſt prohibita, non per ſe, ut ponitur in caſu: ergo tantum ex ſuppoſitione, quod illius licentia non ſit ſufficienter cognita.

418 Dices 2. Mendacium eſt ita intrinſece malum, ut homo illud nunquam poſſit licite velle, niſi ex invincibili ignorantia: ergo cum DEUS errare nequeat, nunquam poteſt mendacium præcipere. Conf. Juxta S. Auguſt. libr. de mendac. cap. 1 *Errat turpiter, quisquis aliquod genus mendacii, quod peccatum non ſit, putaverit.* Juxta S. Bernard. libr. de modo bene vivendi, cap. 31 *Omne mendacium in omnibus eſt peccatum.* Juxta Tertull. de Spectac. cap. 21 *Nusquam & nunquam excuſatur, quod DEUS damnat.* Reſp. conc. ant. neg. conſ. Ex eo, quod DEUS errare non poſſit, ſolum infertur, quod ipſe nequeat velle mentiri, nec mendacium præcipere in iis circumſtantiis, in quo homo ejus malitiam apprehendit. At inde non ſequitur, quod non poſſit præcipere mendacium per accidens, & ſuppoſito invincibili errore, quem non tenetur impedire. Ad conf. SS. Patres exponendi ſunt vel de eo, quod eſt per ſe, vel de peccato in genere, prout præſcindit a materiali, & formali, vel de caſu, ubi datur ſufficiens apprehenſio, & lex prohibens actu obligat; alias cum eadem ſit ratio de aliis, invincibilis ignorantia non faceret, ut deberet præſtari obedientia ſuperiori, reddi debitum &c.

Dices

Dices 3. Modo DEUS præciperet mendacium 419
per accidens, jam esset auctor mendacii; imo etiam peccati formalis; nam licet Petrus ex errore tantum vincibili putaret, sibi mentiendum esse, peccaret omittendo mendacium: ergo juxta nos mendacium ipsi esset præceptum. Conf. S. Scriptura Apoc. 21 universaliter omnibus homicidis, fornicatoribus, & mendacibus, minatur infernum; hinc etiam S. Damasc. libr. 2 orthod. fid. cap. 19 ait: *DEUM mala nec primarie, nec secundarie velle, sed libero arbitrio permittere.* Resp. dist. ant. Esset auctor mendacii per accidens, trans. ant. per se, neg. ant. Nam hoc ipso, quod DEUS tantum supposito errore invincibili, quem non intendit, sed solum permittit, mendacium præcipiat, non potest simpliciter dici auctor mendacii, vel auctor per se; an vero dici possit auctor per accidens, ad modum loquendi pertinet. Porro quando error est vincibilis, homo tenetur illum deponere, & tantum ad mentiendum obligatur conditionate, id est, DEUS vult, ut si homo nolit deponere errorem, reus fiat pœnæ, & culpæ; quæ voluntas nec DEUM dedecet, nec propter illam ipsi potest imputari peccatum. Hinc S. Thomas, Suarez, & alii dicunt, in tali casu hominem conscientia erronea ligari, quatenus non potest contra illam agere, non tamen obligari, quia non tenetur eam absolute sequi. Ad conf. S. Scriptura loquitur de iis, quæ fiunt per se, & secluso errore: S. Damascenus vero de peccatis formalibus, quæ DEUS solum permittit.

Obj. 2. Lex DEI consequens contradictorie opponitur legi antecedenti: ergo hæ leges sunt incompossibiles. Ant. prob. Lex antecedens diceret: Prohibeo hanc actionem; lex consequnes vero: Non prohibeo, sed permitto hanc actionem. Conf. Lex antecedens prohibens mendacium se extendit ad omne mendacium possibile, etiam ad illud, quod per errorem invincibilem judicatur licitum; alias homo 420

ne

ne quidem remote, & in actu primo obligaretur ad omittendum mendacium. Resp. neg. ant. Quæ enim contradictio, si DEUS per legem antecedentem dicat: Prohibeo mendacium pro casu sufficientis apprehensionis de ejus malitia: per consequentem vero: Non prohibeo, sed permitto mendacium pro casu invincibilis ignorantiæ. Ad conf. neg. ant. Nam DEUS non vult, ut ille fiat reus culpæ, & pœnæ, qui profert mendacium ex errore invincibili. Hinc hominem obligari in actu primo reipsa nihil aliud est, quam quod lex habeat virtutem obligandi pro casu, quo homini per sufficientem notitiam applicatur; quia autem pro casu erroris simpliciter non obligat, locutio videtur impropria, sicut ignis non applicatus minus proprie dicitur in actu primo calefacere.

421 Dices 1. Juxta datam responsionem mentiens ex errore invincibili neque ageret contra legem antecedentem, neque contra consequentem: ergo ne quidem materialiter peccaret, quod est contra omnes Theologos. Conf. Quæ pertinent ad jus naturale, semper sunt intrinsece bona, vel mala: ergo a DEO necessario præcipiuntur, vel prohibentur omnibus hominibus. Resp. conc. ant. neg. conf. Ille jam potest dici materialiter peccare, qui facit id, quod de se est materia legis antecedentis, & obligantis eos, qui sufficientem ejus notitiam habere possunt, & debent; sic enim invincibiliter ignorans solum excusatur per accidens a peccato formali. Quod si plus petas, facis quæstionem de nomine. Ad conf. dist. ant. Semper sunt intrinsece bona, vel mala radicaliter, conc. ant. formaliter, neg. ant. & dist. conf. Necessario præcipiuntur, vel prohibentur omnibus pro casu sufficientis notitiæ, conc. conf. etiam pro casu invincibilis erroris, neg. conf. Alias non posset dari ignorantia invincibilis juris naturalis, imo neque facti, ob quam e. g. quis accederet ad alienam, quam bona fide putat esse suam, ut contigit Jacobo respectu Liæ.

Dices

Dices 2. Lex Divina, præsertim naturalis, 422
est invariabilis, constans, & uniformis; nam ut S. August. lib. 9 de Trinit. cap. 6 ait: *Claret semper judicium veritatis, ac sui juris in corruptissimis regulis firmum est:* ergo non potest eadem actio esse licita Petro, prohibita Paulo, mane peccatum, vespere opus honestum, apud has gentes mala, apud alias bona. Conf. Juxta nos lex naturalis esset penitus contingens, & nihil præciperet necessario & per se, sed tantum per accidens, sicut per accidens est, quod habeamus veras, aut erroneas cogitationes de existentia legis. Resp. conc. ant. neg. conf. Lex DEI semper manet eadem, sed ita, ut pro circumstantiis sufficientis notitiæ semper obliget, & pro circumstantiis invincibilis erroris nunquam. Ad conf. neg. sequelam. Sicut lex naturalis non dicitur contingens, licet præsupponat liberam DEI voluntatem producendi creaturas rationales: sic licet contingens sit, quod homo habeat sufficientem notitiam legis, vel non habeat, ideo lex naturalis non fertur per accidens, sed necessario scientes obligat, & ignorantes non obligat. Argumentum rursus probaret, non posse dari invincibilem ignorantiam juris naturæ.

Obj. 3. Lex DEI est prima regula objectiva mo- 423
ralitatis: ergo debet dari ante nostram cognitionem; atqui juxta nos nulla lex Divina datur ante nostram cognitionem: ergo. Conf. Juxta nostram doctrinam lex Divina antecedenter ad sui notitiam nihil præciperet, vel prohiberet, sed esset ad utrumque prorsus indifferens: ergo reipsa non esset lex. Resp. conc. ant. dist. conf. Debet dari ante nostram cognitionem quod essentiam, & virtutem activam obligandi, conc. conf. quoad obligationem passivam, neg. conf. Essentia, & virtus obligandi legis Divinæ existit ab æterno, licet non possit exire in actum secundum, nisi detur illius notitia, quæ est conditio necessaria, ut lex virtutem suam exerat, ferme

ſicut applicatio eſt conditio neceſſaria, ut ignis exerat virtutem urendi. Hinc dicunt, legem Divinam antecedenter ad ſui notitiam habere virtutem obligandi conſequenter ad ſui notitiam. Ad conf. neg. ant. Nam licet lex Divina aliquo modo præſupponat ſui notitiam, vel ignorantiam ut prævifam, tamen lex DEI exiſtit ab æterno, notitia vero, vel ignorantia ipſius primum in tempore: ergo lex a parte rei jam datur antecedenter ad ſui notitiam, vel ignorantiam.

424 Dices 1. Tali modo lex Divina conſtitueretur per notitiam privatam hominum. 2. Ante ſe ſupponeret aliam regulam honeſtatis. 3. Nulla daretur lex antecedens. 4. Lex Divina ſubordinaretur noſtris erroribus. 5. Imo ſola judicia, & errores hominum eſſent regula ipſorum actuum. Reſp. neg. omnes iſtas ſequelas; nam 1 notitia privata non tribuit obligandi virtutem legi Divinæ, ſed ſolum eſt conditio ad inducendam obligationem paſſivam, quæ eſt quaſi effectus legis. 2. Cognitio ut prævifa non præſupponitur ad legem tanquam regula, ſed tantum ut aliqua circumſtantia, juxta quam DEUS ab æterno voluit aliquid præcipere. 3. Hinc licet nulla detur lex antecedens noſtram cognitionem ut prævifam, datur tamen lex antecedens in ſenſu, quem num. 404 explicavimus. 4. Sicut cauſa phyſica non ſubordinatur applicationi, licet productio effectus aliquo modo ab applicatione dependeat: ſic lex Divina neutiquam ſubordinatur noſtris conceptibus. 5. Unde lex Divina proprie manet regula prima objectiva noſtrorum actuum, licet noſtræ opiniones ſint regula formalis, & proxima, per quam regula objectiva nobis applicatur, ut ſequenti diſputatione videbitur.

425 Dices 2. Quibuscunque demum phraſibus utamur, reipſa tota honeſtas & inhoneſtas actionis reſolveretur in noſtra judicia & opiniones. Si enim ex nobis quæratur, quare mendacium in caſu invincibilis igno-

ran-

rantiæ sit licitum, respondere debemus: quia DEUS per legem consequentem hic & nunc illud permittit. Si urgeatur responsio, cur DEUS hic & nunc mendacium permittat, aliud respondere non possumus, quam quia datur error invincibilis: ergo. Conf. In casu invincibilis ignorantiæ mendacium omnino esset honestum & meritorium. Quid autem absurdius, exclamat Concina, quam quod scelera in virtutes mutentur. Resp. neg. ant. quoad membrum ultimum. Sed quærenti, cur DEUS pro casu invincibilis ignorantiæ mendacium permittat, responderi debet: quia ita decet infinitam DEI sapientiam, & æquitatem, qua ratione licentia mendacii ultimato resolvitur in perfectionem Divinam. Idem adversarii dicere debent, si quæras, quare DEUS prohibeat mendacium, quando ejus malitia cognoscitur. Ad conf. nego, quod hoc ex nostra doctrina sequatur; nam ad positivam honestatem, & meritum plus requiritur, quam ad licentiam; hinc quibus hæc sequela displicet, dicunt, ad actum positive bonum non sufficere, quod præcise sit conformis legi præcipienti, sed etiam requiri, ut ipse actus secundum se, & materialiter bonus sit, de quo plura inferius.

Obj. 4. Regula moralitatis objectiva debet 426
cognosci ab operante: sed lex consequens ab operante non cognoscitur; qui enim invincibiliter putat, ad servandam vitam proximi licitum esse mendacium, putat, illud hic & nunc esse licitum per se, quin aliquid cogitet de lege consequente. Conf. Si invincibiliter erranti mendacium est licitum per legem consequentem, ipsius judicium non est erroneum, sed verum: ergo non amplius posset dari judicium invincibiliter erroneum. Resp. dist. maj. Debet cognosci vel per judicium verum, vel per erroneum, trans. maj. semper per judicium verum, neg. maj. Quamvis lex consequens ab operante non cognoscatur, quia

tamen per errorem invincibilem putat, mendacium esse conforme legi antecedenti, hoc ipso illud est conforme legi consequenti. Imo ipsa lex consequens potest attingi per judicium reflexum e. g. hoc modo: Quotiescunque invincibiliter judico, mendacium a DEO esse permissum, toties reipsa est permissum; sed hic & nunc ita judico: ergo. Ad conf. dist. ant. Ipsius judicium reflexum non est erroneum, conc. ant. judicium directum, neg. ant. & conf. Invincibiliter errans directe judicat: Licitum est mentiri ad salvandam vitam proximi; hoc autem est falsum, quia sensus est, quod mendacium in hoc casu sit licitum per se, & neque lege antecedente prohibeatur.

427 Dices. Dictamen erroneum approbans mendacium est difforme legi DEI antecedenti, quod mendacium prohibet: ergo operatio ex tali dictamine procedens non potest esse recta. Conf. prob. Ducens lineam secundum regulam non rectam, ducit lineam irrectam: ergo. Conf. Lex antecedens non tollitur per errorem: ergo semper retinet vim obligandi. Resp. dist. ant. Est difforme legi antecedenti hic & nunc obliganti, neg. ant. non obliganti, conc. ant. & neg. conf. Ad ejus probationem, conc. ant. dist. conf. Ergo operatio est irrecta materialiter, conc. conf formaliter, neg. conf. Sicut juxta adversarios actio de se bona potest esse formaliter mala, sic actio materialiter mala potest esse formaliter bona, utpote conformis dictamini conscientiæ, & legi DEI consequenti. Imo si quis faciat dictamen reflexum superius indicatum, ipsius operatio proxime non dirigitur per dictamen erroneum, sed per dictamen verum. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Lex antecedens per errorem non tollitur, sed nunquàm se extendit ad eos, qui invincibiliter errant.

428 Quæres. Utrum actio per legem antecedentem prohibita, per consequentem vero permissa, aut præcepta possit fieri positive bona, & meritoria?

Ne-

Negant Celladeus, Camarg. Concina, inclamantes illud: Malum ex quolibet defectu; hinc ajunt juxta S. Auguſt. libr. contra Mendac. cap. 17: *Qui diſcedit a veritate, non poteſt pervenire ad aliquid boni.* & juxta S. Bernard. libr. de præcept. & diſp. cap. 14: *Actio non eſt bona, niſi oculus ſit ſimplex habens in intentione charitatem, & in electione veritatem*, alias etiam peccator ageret meritorie, & quidem infinite, ſi putaret, ſe eſſe in gratia, & infinite mereri. Certe Chriſtus in extremo judicio non dicet: Venite benedicti, quia mentiti eſtis, quia furati eſtis, &c. Verum ſententiam affirmativam cum Suario, Vasquio, Laymann, &c. tenet communiſſima, ſaltem quando actionem præcedit dictamen reflexum; nam tunc actus eſt conformis dictamini vero, & legi hic & nunc obliganti, ac proprie fit ex amore honeſtatis. Jam vero ſacra Scriptura univerſaliter laudat, & mercedem promittit illis, qui mandata DEI obſervant, & Concilium Tridentinum Seſſ. 6 cap. 10 generaliter ait: *Juſtificatos per obſervantiam mendatorum DEI in juſtificatione creſcere*, adeoque mereri gratiæ augmentum. Adde, quod actus voluntatis non ſpcificentur ab objecto, prout illud eſt in ſe, ſed prout ab intellectu proponitur.

Ad fundamenta ſententiæ negativæ facilis eſt 429
reſponſio. Nam 1. Axioma: Malum ex quolibet defectu intelligi debet de defectu culpabili, alias omnino probaret, quod actus ſit poſitive malus. 2. S. Auguſt. tantum vult, quod nihil mereatur, qui diſçedit a veritate increata moraliter & culpabiliter. 3. S. Bernard. ſolum contendit, ſine veritate in electione actum non eſſe bonum undequaque, etiam materialiter; nam eodem cap. 14 ait: *bonam voluntatem non eſſe fraudandam condigna remuneratione in opere quocunque non bono.* 4. Judicium de ſtatu gratiæ, & magnitudine meriti non eſt menſura meriti, ſed habet ſe mere per accidens; hinc meritum ma-

net idem, sive talis cognitio adsit, sive absit. 5. Juxta adversarios actus indifferens fit positive bonus, si refertur ad bonum finem; an igitur Christus dicet: Venite benedicti, quia edistis, bibistis, luxistis &c. Addidi, quando ejusmodi actionem præcedit dictamen reflexum; cum enim dictamen erroneum, & directum saltem partialiter falsum sit, major est difficultas, utrum ad meritum sufficiat, eo quod ad omne meritum requiratur, ut reguletur ab actu prudentiæ, & quidem supernaturali, si meritum est supernaturale, de quo videri potest P. Rassler in Norma Recti disput. 1 q. 9.

QUÆSTIO III.

An omnis actus moralis sit vitiosus, si non procedat ex charitate DEI?

430 Michael Bajus negabat, in natura lapsa possibilem esse actum virtutis distinctum a charitate supernaturali, & ideo omnem actum liberum vel esse meritorium vitæ æternæ, vel peccaminosum, si ad perfectionem charitatis non pertingat, ut patet ex ejus propositione 38 damnata a Pio V, & Gregorio XIII: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa DEUS amatur.* Ex hoc principio plures alios intulit errores. Sic propositione 25 inquit: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.* 27: *Liberum arbitrium sine gratia DEI non nisi ad peccandum valet.* 30: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, id est, quod ex naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.* 23. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum illum Apostoli ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, intelligunt de gentibus fidem nondum*

dum habentibus. Hanc ipſam doctrinam ex Huſſio, Luthero, & Calvino hauſtam, poſtea reſuſcitavit Janſenius, & ejus aſſeclæ, præſertim Quesnellus.

Hinc Alexander VIII rurſus damnavit propoſi- 431
tionem ſeptimam: *Omnis humana actio deliberata eſt DEI dilectio, vel mundi: ſi DEI, charitas Patris eſt, ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.* 8: *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.* 11mam: *Omne, quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.* 13tiam: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu DEO famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.* Propoſitiones Quesnelli circa hanc materiam a Clemente XI damnatæ ſunt plurimæ; paucas adduco. 44tam: *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor DEI, qui omnia agit propter DEUM, quemque DEUS remuneratur, & amor, quo nos ipſos ac mundum diligimus, qui quod ad DEUM referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.* 45tam: *Amore DEI in corde peccatorum non amplius regnante neceſſe eſt, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.*

Itaque juxta Bajum, & Janſeniſtas omnia opera 432
moralia debent referri ad DEUM, & quidem ex motivo charitatis proprie dictæ, quin aliud poſſint habere motivum formale bonum, ex quo diſtinguantur; ſi enim aliquid diligitur propter objectum formale creatum, juxta ipſos eſt dilectio vitioſa; ſi vero diligitur propter objectum formale increatum, eſt charitas DEI e. g. ſi charitas propter DEUM ſuccurrat miſeriæ alienæ, vocatur Miſericordia, ſi propter idem motivum DEO exhibet cultum, vocatur Religio, &c. quin etiam fidem, & ſpem a choro virtutum excludunt. Hinc Quesnellus in propoſitione 62da ait: *Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine;*

sed hæc fides non est absque amore, & fiducia. & 57tima: *Totum deest peccatori, quando deest spes, & non est spes in DEO, ubi non est amor DEI.* Equidem teste Berti etiam Gregor. Ariminensis, Cassalius, Cardinalis Norisius, Petrus Manso, &c. docent, omnia opera bona per dilectionem debere referri ad DEUM, quos tamen alii mitius de amore latius sumpto, aut naturali explicant; nos præcipue hic agemus contra Sectarios.

433 Dicendum. Possunt dari actus boni tam Theologici, quam morales, etsi non procedant ex charitate. Constat ex citatis propositionibus damnatis, & ulterius probatur 1 ex S. Scriptura, in qua 1 ad Cor. 13 v. 21 Apostolus expresse distinguit fidem, & spem a charitate: *Fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum charitas.* Sap. 8 v. 7 dicitur: *Sobrietatem, & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus nihil est utilius in vita hominis;* per quæ verba juxta S. August. lib. 1 Retract. cap. 7 explicantur quatuor virtutes cardinales, quæ sunt morales, & a charitate distinctæ. Probatur 2do Auctoritate Concilii Tridentini, quod Seff. 6 cap. 7 docet, *Homini in justificatione infundi fidem, spem, & charitatem, eumque per fidem, & spem ad charitatem disponi.* Dein can. 7 anathema dicit *Asserentibus, omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, vere esse peccata, vel odium DEI mereri.* Et vero quis neget, vacare culpa, & in peccatore laude dignam esse spem, fidem, & attritionem? quis dicet, quod homo ante fidem charitate formatam peccet observando præcepta Divina, jejunando, dando eleemosynas, rogando DEUM? an non Publicanus nondum justificatus utiliter clamavit: *DEUS propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18 v. 13.

434 Probatur conclusio ratione. Dantur plura objecta honesta non tantum materialia, sed etiam formalia diversa, & a charitate distincta: ergo dantur plures virtutes, quæ sine motivo charitatis laudabiliter pos-

sunt

ſunt exerceri. Ant. patet. Nam fides pro motivo formali habet infinitam veridicentiam DEI, ſpes infinitam bonitatem DEI reſpectivam, & convenientiam ſummi boni cum homine, obedientia honeſtatem, quæ reperitur in obediendo ſuperiori, juſtitia, quæ reperitur in retribuendo cuique ſuum, &c. Hinc Scriptura, & SS. Patres paſſim ad virtutes morales exercendas nos hortantur. Quod ſi actus harum virtutum ſecundem ſe eſſent mali, neque boni fierent, quando a charitate imperantur, quia imperium extrinſecum non immutat earum naturam; imo charitas nihil poteſt imperare, quod de ſe malum eſt. Conf. S. Auguſt. in Enchir. cap. 6 ſpem, & fidem expreſſe contradiſtinguit a charitate: *Ad illa tria redeamus, fidem, ſpem, & charitatem.* Epiſtol. 51 ait: *Cornelius Centurio, antequam regeneratione incorporaretur huic templo, audit Angelum dicentem, quod exauditæ ſint orationes ejus, & eleemoſynæ acceptæ.* & in Pſalm. 120: *Noli facere bonum opus, niſi propter vitam æternam, ideo fac, & ſecurius facies.*

Probatur concluſio 3. Non omnia opera infidelium ſunt mala, & tamen infideles non habent charitatem DEI ſupernaturalem, utpote quæ juxta adverſarios neceſſario ſupponit fidem: ergo. Ant. prob. Apoſtolus ad Romanos 2 v. 14 ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*; atqui gentiles per hoc, quod naturaliter legem obſervent, non peccant; alias eſſent neceſſitati ad peccandum; cum enim fide carerent, non poſſent opera ſua per charitatem ad DEUM referre, neque illa ſine peccato omittere; imo niſi lex urgeret, melius ipſis foret opera e. g. charitatis, aut eleemoſynæ omittere. Sed neque ad ipſam fidem ſe diſponere valerent, quia juxta adverſarios quæcunque ante fidem fiunt, ſunt mala. Conf. S. Auguſt. de ſpirit. & litter. cap. 28 ait: *Sine aliquibus bonis operibus difficile vita cujuslibet peſſimi invenitur,* & 435

libr. 5 de Civit. cap. 15 docet, *DEUM Romanis terrenum imperium dedisse, ut redderetur merces bonis artibus eorum,* id est, virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. Similia habent alii Patres apud Bellarm. lib. 5 de Grat. & lib. arbitr. cap. 9.

Objectiones.

436 Obj. 1. Scriptura, & SS. Patres docent, inter charitatem, & iniquitatem nihil mediare. Sic Christus Matth. 12 v. 30 inquit: *Qui non est mecum, contra me est.* S. Leo serm. 5 de jejunio: *Rationalis animus, qui sine dilectione esse non potest, aut DEI amator est, aut mundi.* S. August. in Psalm. 18: *Qui noluerit servire charitati, necesse est, ut serviat iniquitati.* In Enchirid. cap. 107: *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est charitas.* & lib. 1 Retract. cap. 5: *Voluntas sine charitate tota est vitiosa cupiditas.* Resp. neg. ant. Verba Christi juxta S. Hier. habent hunc sensum: Diabolus adeo mecum non est, ut sit contra me. Juxta S. Chrysost. vero significant, Pharisæos fuisse contra Christum, quia ejus doctrinæ contradicebant, & populum seducebant. SS. Patres per charitatem intelligunt amorem omnium virtutum, per cupiditatem autem concupiscentiam; neque loquuntur de ipsis actibus, sed de habitu, in quantum in voluntate charitate, & amore virtutis destituta regnare solet carnalis cupiditas. Sicut autem homo justus, in quo charitas regnat, non semper bene operatur, ita infidelis, & peccator non semper operatur male.

437 Dices 1. DEUS præcipit, ut se diligamus ex toto corde, tota mente, tota fortitudine &c. ergo ex præcepto dilectionis tenemur omnia in DEUM referre. *Omnia vestra in charitate fiant.* 1 ad Cor. 16 v. 14. Conf. S. August. lib. de Gratia Christi cap. 26 ait: *Ubi non est dilectio, nullum bonum imputatur, nec recte opus bonum vocatur.* & lib. de Grat.

Grat. & lib. arbitr. cap. 18: *Quidquid se putaverit homo facere, si fiat sine charitate, nullo modo bene fit.* Consonat S. Thomas 2 2 q. 23 art. 7 ad 1: *Sine charitate non potest esse actus perfecte bonus, quia deest debita ordinatio in ultimum finem.* Resp. conc. ant. dist. conf. Tenemur omnia ex charitate in DEUM referre aliquando, conc. conf. semper, subdist. negative, conc. positive, neg. conf. Præceptum charitatis, quatenus est negativum, prohibet, ne quid agamus charitati DEI contrarium, & se ad omnes actiones morales extendit; quatenus autem est affirmativum, solum præcipit, ut sæpius in vita eliciamus actus amoris DEI super omnia; hinc verba Apostoli non tam præceptum, quam consilium continent. Ad conf. S. August. & Thom. loquuntur de operibus meritoriis vitæ æternæ, quæ saltem per charitatem habitualiter in DEUM referri debent.

Dices 2. Juxta Apostolum 1 ad Cor. 13 v. 2 438
sine charitate omnia opera nihil sunt: *Si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam, nihil sum.* Juxta S. August. fides, & spes non possunt esse sine amore; hinc in Enchirid. cap. 117 ait: *Qui non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera, quæ credit; inaniter sperat, etiamsi ad æternam felicitatem doceantur pertinere, quæ sperat.* Consonat rursus S. Thomas, dum q. 4 de fide art. 5 ait: *Quod fides informis non sit vera fides, quia non habet perfectionem ex parte voluntatis.* Nempe, ut D. Gregor. homil. 26 in Evang. advertit, *Vera fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit.* Resp. Apostolus, ut notat S. Prosper lib. 1 de Vit. contemplat. cap. 4 hic rursus loquitur de charitate habituali, sine qua non meremur vitam æternam. Quando autem Patres dicunt, quod fides, & spes non possint dari sine charitate, & operibus, loquuntur de fide, & spe viva, & consummata, quæ operatur per charitatem, & ex qua justus spiritualiter vivit; nam Trident. sess. 6 can. 28 anathema dicit

Illi,

Illi, qui asserit, fidem sine charitate non esse veram fidem.

439 Obj. 2. Omnis actio, quæ non refertur ad DEUM tanquam finem ultimum, est mala; sed actio, quæ non fit ex charitate, non refertur ad DEUM tanquam finem ultimum: ergo. Maj. prob. Quia alias homo non agit juxta rectam rationem, & prout oportet. Conf. Creatura rationalis rebus creatis non potest frui, sed tantum uti: ergo non potest quiescere in honestate creata; nam ut S. August. libr. 83 q. 3 ait: *Frui dicimur ea re, de qua capimus voluptatem, utimur ea, cum referimus ad id, unde voluptas capienda est. Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui.* Resp. trans. maj. quam negant, qui admittunt actum indifferentem in individuo. Dist. min. Ejusmodi actio non refertur ad DEUM formaliter, & immediate, conc. min. implicite, & virtualiter, neg. min. Qui juxta dictamen rectæ rationis operatur ex amore honestatis, jam virtualiter refert suam actionem ad DEUM, & gloriam Divinam, quia se conformat voluntati Divinæ, & ipsum opus ad gloriam DEI conducit. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Juxta S. Bonaventuram tunc dicimur rebus creatis frui, si in illis quiescimus tanquam in fine ultimo, ita ut ad illas acquirendas, vel retinendas parati essemus violare præceptum graviter obligans.

440 Dices 1. Nihil creatum, & inferius DEO potest amari propter se, alias haberetur pro fine ultimo, & etiam propter se amari possent divitiæ, honores, voluptates, &c. Conf. Amor creaturarum juxta S. Augustinum animum reddit similem rebus creatis, eumque ita ligat, ut difficulter a rebus corruptibilibus possit avelli, sed tanquam servus illis subjiciatur. Hinc libr. de Trinit. cap. 7 ait: Si ad Creatorem refertur amor, non jam cupiditas, sed charitas erit; tunc enim est cupiditas, cum propter

se

ſe amatur creatura. Reſp. neg. ant. Qui operatur propter honeſtatem creatam, creaturam ad ſummum habet pro ſine negative, & explicite ultimo, quod non eſt illicitum, præſertim cum omne honeſtum dicat virtualem reſpectum ad DEUM, & ideo ſolum honeſtum ſit, quia Divinæ voluntati eſt conforme, qualem reſpectum non habent divitiæ, voluptates, honores, &c. de quibus, utrum propter ſe intendi poſſint, videbimus de actu indifferente. Ad conf. diſt. ant. Si amor ſit nimis vehemens, & inordinatus, conc. ant. ſi ſit moderatus, & rationabilis, præſertim rerum honeſtarum, neg. ant.

Dices 2. Homo non poteſt licite amare proximum, niſi propter DEUM: ergo multo minus alias res creatas, aut ſe ipſum. Hinc DEUS nullum dedit præceptum ſe ipſum amandi, & Chriſtus Joann. 15 v. 12 ait: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*, nempe propter DEUM. Conf. Si homo operatur propter cæleſtem gloriam, prius amat creaturam & ſe ipſum, quam DEUM; nam ut S. Auguſt. Homil. 34 ait: *Si diligis aurum, prius te diligis, & ſic aurum*. Reſp. neg. ant. Nam poſſumus proximum laudabiliter diligere ſine charitate DEI, præſertim propter ejus dona ſupernaturalia, & virtutes. Imo poſſumus DEUM amare ut bonum proximo, & nobis ex amore concupiſcentiæ. Unde licet dilectio proximi propter DEUM ſit perfectior, ideo Chriſtus illum non præcepit pro omni actu, & tempore. Quod autem DEUS nullum dederit poſitivum præceptum diligendi ſeipſum, ratio eſt, quia amor ſui cuique a natura inſitus eſt, & charitas, de qua Scriptura loqui ſolet, proprie eſt ad alterum. Ad conf. diſt. ant. Amat creaturam, & ſe ipſum prius, hoc eſt, immediatius, conc. ant. hoc eſt ſuplus, ſubdiſt. negative, in quantum hic & nunc ſuum bonum formaliter non refert ad DEUM tanquam finem ultimum, conc. ant. poſitive, quaſi ſe vellet præferre DEO, neg. ant. Vid. dicta a num. 121.

Dicen

442 Dices 3. Amor concupiſcentiæ excludit amorem benevolentiæ; nam ille eſt mercenarius, hic gratuitus, ille habet pro fine creaturam, hic DEUM. Imo qui ſola ſpe mercedis operatur, ita ad illam afficitur, ut mercede deficiente non operaretur; deficiente enim unica cauſa motiva deficit actus, & conſequenter etiam effectus ab illa dependens. Conf. Qui operatur ex amore concupiſcentiæ, DEO tantum utitur, & non fruitur: atqui juxta S. Auguſt. lib. 83 quæſt. q. 3: *ſumma perverſitas eſt frui utendis, & uti fruendis.* Reſp. neg. ant. Licet amor concupiſcentiæ operetur propter mercedem, & creaturam habeat pro fine negative ultimo, tamen ſicut aliæ virtutes virtualiter ad DEUM refertur, & poteſt ſtare cum amore amicitiæ, ut patet in Beatis. Nec obſtat, quod homo forte non operaretur, niſi ſpes mercedis alliceret; quippe ideo non eſt poſitive ita conſtitutus, ut ſine mercede nollet operari, ſed ab hoc præſcindit. Ad conf. diſt. maj. DEO tantum utitur, illum excludendo a fine ultimo, neg. maj. hic & nunc formaliter non intendendo tanquam finem ultimum, conc. maj. & ſic diſt. min. neg. conſ. Ipſa Scriptura, & Patres paſſim nos adhortantur, ut operemur ex ſpe mercedis; nam ideo DEUS illam promiſit. Hinc a Concilio Tridentino Seſſ. 6 can. 31 anathematizatur, *Qui dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur.* Certe David Pſalm. 118 v. 112 de ſe ipſo ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem.*

443 Obj. 3. Saltem infideles nullum actum bonum poſſunt elicere: ergo omnia illorum opera ſunt peccata. Ant. prob. *Sine fide impoſſibile eſt placere DEO,* ad Hebr. 11 v. 6. *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt,* ad Rom. 14 v. 23. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum,* ad Tit. 1 v. 15. Conf. Textus Apoſtoli, *Gentes, quæ legem non habent* &c. juxta S. Auguſtinum lib.

de

de Spirit. & litt. cap. 26, & Fulgent. lib. de Grat. Christi cap. 26 loquitur de gentibus ad fidem conversis: ergo. Resp. dist. ant. Non possunt elicere actum bonum naturalem, neg ant. supernaturalem, & conducentem ad vitam æternam subdist. sine gratia DEI, conc. ant. cum gratia, neg. ant. & conf. In epistola ad Hebr. agitur de illis operibus, quibus ad DEUM accedimus, ejusque gratiam meremur. In textu ad Romanos non est sermo de fide theologica, sed de conscientia, qua quis judicat, licitum esse, quod facit. In tertio ad Titum Apostolus non loquitur de actionibus, sed de rebus; hinc sensus est: Sicut omnia sunt munda iis, qui bene, & fideliter rebus utuntur, sic omnia sunt immunda illis, qui DEI creaturis vel abutuntur, vel iisdem, quasi impuræ sint, non utuntur. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Etsi Apostolus etiam intelligi possit de gentibus ad fidem conversis, ideo non excluditur nostra interpretatio, quam tenent S. Ambros. Hieron. Chrysost. imo ipse August. de Spirit. & litt. cap. 27, ubi ait: *Etiam infideles quædam agere secundum justitiæ regulam, merito, recteque laudanda*, & hæc expositio est longe conformior verbis, & intentioni Apostoli.

Dices 1. Etsi opera infidelium sint bona ex officio, sunt tamen mala ex fine, vel certe ex defectu relationis in DEUM; nam S. Augustinus multis in locis præsertim libr. 1 de Nuptiis cap. 3, & libr. 4 contra Julianum cap. eodem docet, ante fidem nihil boni esse in homine, virtutes infidelium non esse veras sed potius vera vitia &c. Conf. Lib. 4 contra Julianum cap. cit. ait: *Fabricium minus quam Catilinam esse puniendum, non quia ille bonus, sed quia minus impius, quam Catilina, non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non plurimum deviando*: ergo in gentilibus non dantur veræ virtutes. Resp. neg. ant. Quia tali modo omnia opera infidelium essent peccata, & virtutes Philosophorum vitia, 444

vitia, cum utique actio, quæ fit malo fine, & debita relatione ad DEUM caret, vitiosa sit. Porro Julianus docebat, opera infidelium secundum se bona perducere ad vitam æternam, imo licet malo fine fiant, simpliciter bona esse, quamvis tunc sint sterilia. Hinc S. Augustinus tantum negat, virtutes infidelium veras esse in sensu Juliani. Ad conf. conc. ant. dist. conf. In infidelibus non dantur veræ virtutes conducentes ad vitam æternam, conc. conf. prout virtus opponitur vitio, subdist. ut plurimum, conc. nunquam, neg. conf. Virtutes infidelium juxta S. Augustinum plerumque fiunt malo fine, & ideo plerumque sunt vitiosæ.

445 Dices 2. S. Augustinus opera infidelium non tantum vocat mala, quia fiunt malo fine, sed quia non referuntur ad debitum finem, quia, quod non est ex fide, peccatum est, &, quia arbor mala non potest bonos fructus facere; hinc libr. 7 de Civit. reprehendit Philosophos, quod dicant, virtutes propter se esse appetendas; & libr. 19 cap. 25 virtutes, cum ad se ipsas referuntur, vocat inflatas, & superbas. Conf. Juliano interroganti: *An, si gentilis nudum operuerit, quia non est ex fide, peccatum est?* S. Pater lib. 4 num 30 respondit: *Prorsus, in quantum non est ex fide, peccatum est.* Resp. neg. ant. Scopus Augustini non erat, quod infideles propter solam fidei absentiam semper male operentur, sed tantum ostendit, 1. Illas actiones esse malas, quæ nequidem implicite referuntur ad DEUM, sed malo fine fiunt. 2. Quod non est ex fide theologica, esse peccatum latius acceptum, id est, sterile in ordine ad vitam æternam. 3. Quod infidelis non possit bonos fructus producere, quando agit ex sua infidelitate, & ut arbor mala est. 4. Quod virtutes non tantum sint appetendæ propter se, quia sine fine altiore plerumque sunt superbæ. Ad conf. Quod non est ex fide, accipitur contrarie, pro illo, quod adversatur motivo fidei, in quantum fit ex in-

infidelitate, vana gloria, vel alio perverso fine.

Dices 3. S. Augustinus contra Julianum dispu- 446
tans nullum agnoscit medium inter veram justitiam conducentem ad vitam æternam, & inter vitium. Nam 1 sæpissime repetit, omnia opera infidelium, quæ videntur bona, esse vera peccata. 2. Non agnoscit bonum sterile; *Fieri non potest*, inquit, *ut steriliter boni simus, sed boni non sumus, quidquid steriliter facimus.* 3. Ipse Julianus concedebat, virtutes ex officio bonas esse steriles ad vitam æternam. Conf. Juxta S. Doctorem *Sterilium fructus arborum non sunt laudandi, aut si fructus boni sunt, profecto steriles arbores non sunt.* Resp. neg. ant. Ad 1 prob. dist. ant. Quando fiunt ex bono fine, neg. ant. quando fiunt ex malo, ut plerumque contingit, conc. ant. Ad 2. Iterum dist. Fieri non potest, ut steriliter simus boni præcise moraliter, & naturaliter, neg. ut simus boni steriliter, quando operamur salutariter in ordine ad vitam æternam, conc. Ad 3. Julianus tunc tantum concedebat, virtutes esse steriles, quando fiebant ex malo fine. Ad conf. eadem est responsio; nam quando fructus sunt tantum boni ex officio, mali autem ex fine, laudandi non sunt; si vero fructus simpliciter boni sunt, & ad vitam æternam conducunt, utique arbores non sunt steriles. Porro ratio ita interpretandi S. Augustinum sunt textus ex illo pro nobis citati, & serm. 349 de tempore, ipsemet charitatem dividit in Divinam, & humanam, humanam vero in illicitam, & licitam, & hanc ultimam, inquit, etiam dari in Paganis, Judæis, & hæreticis.

Ex dictis colliges, quid hac ex parte sentiendum 447
sit de doctrina Laurentii Berti. Hic postquam lib. 14 de Theolog. discipl. cap. 7 gratiam definivit, *Quod sit inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus*, cap. 8 ulterius docet, hanc gratiam a charitate actuali non distingui; hinc gratiam effica-

tem consistere in delectatione victrici, sive charitate, quæ superat contrariam cupiditatem. Cum igitur, inferes, nullum opus bonum sine gratia efficaci fiat, nullum fiet sine charitate, sed vel charitas vincit, vel contraria cupiditas. Ulterius lib. 18 cap. 3 concedit quidem, speculative loquendo verum esse, quod homo lapsus, aut infidelis sine gratia (id est charitare) possit aliquod opus bonum morale ordinis naturalis facere; negat autem, id unquam fieri, eoquod homo lapsus sine gratia nunquam legem naturalem observet absque cupiditate, aut philautia. Quasi vero, quando damnata est doctrina Baji, & Quesnelli, solum litigatum fuerit de quæstione speculativa, & quando Bajus dixit, omnia opera infidelium, & peccatorum esse peccata, non fuerit locutus de praxi. Profecto Bajus non voluit, quod omnia opera infidelium sint mala ex officio, & secundum se, sed quia per charitatem non referuntur ad DEUM, & quia liberum arbitrium sine gratia DEI non nisi ad peccandum valet.

QUÆSTIO IV.

An possit dari actus moralis indifferens non solum in specie, sed etiam in individuo, saltem per accidens?

448 Quod plurimi dentur actus, qui nec positive honesti, nec inhonesti sunt propter defectum libertatis, & advertentiæ ad regulam moralitatis, constat ab experientia; quis enim, dum cutem fricat, caput movet, &c. semper cogitat, utrum isti actus sint præcepti, prohibiti, vel permissi. Hinc solum controvertitur de actibus moralibus, qui eliciuntur cum advertentia ad legem DEI. Sicut autem ejusmodi actus possunt esse boni, & mali vel ex objecto materiali, in quod tendunt, vel ex fine, & aliis

cir-

circumſtantiis, in quibus ponuntur: ſic actus moralis poteſt eſſe indifferens vel in ſpecie, vel in individuo. Actus indifferens in ſpecie dicitur, qui ſpectato ſolo objecto ſuo materiali nec poſitive bonus, nec poſitive malus eſt. Indifferens in individuo vocatur, qui non tantum ſpectato objecto materiali, ſed etiam fine, & omnibus circumſtantiis, in quibus ponitur, nec præceptus, nec prohibitus eſt, ſed tantum permiſſus.

Actus indifferens in individuo ulterius tripliciter poteſt ſpectari. 1. Secundum honeſtatem naturalem; ſic actus indifferens erit ille, qui lege mere naturali nec præceptus, nec prohibitus eſt, ſeu, ut loquitur D. Amort (an bene, videbimus) qui ſolius voluptatis, & oblectationis cauſa intenditur, quin ordinetur ad finem a DEO auctore intentum e. g. ad conſervationem, aut reſtaurationem virium, ad bonum reipublicæ, &c. 2. Poteſt actus indifferens ſpectari relate ad finem ultimum ſupernaturalem, & ſic etiam actus poſitive honeſtus erit indifferens, ſi ſit mere naturalis, & neque remote, neque proxime ad acquirendam beatitudinem ſupernaturalem conducat. 3. Alius actus eſt indifferens per ſe, quia nulla lege antecedente eſt præceptus, vel prohibitus: alius indifferens per accidens, qui tantum eſt permiſſus ſuppoſito aliquo errore, vel ignorantia. 449

Alio adhuc modo actum indifferentem conſiderat Ulloa de Act. human. diſt. 1 cap. 1. Ibi imprimis diſtinguit duplicem imperfectionem moralem, negativam, & poſitivam. Negativa eſt libera carentia, vel omiſſio majoris perfectionis in certo aliquo genere; ut ſi quis eliciat actum amoris DEI minus intenſum præ magis intenſo, quem quidem poſſet elicere, quin tamen hic & nunc ad illum a DEO interius ſtimuletur. Imperfectio poſitiva eſt transgreſſio, vel neglectus Conſilii Divini hic & nunc conſilantis, & practice obſervabilis; ut ſi quis libere 450

negligat actum perfectiorem, ad quem hic & nunc a DEO interius, vel ab aliis exterius, excitatur. Dein docet, quamvis actus aliquis ita sit indifferens, ut excludat rationem peccati, posse tamen esse reprehensibilem, & displicere DEO, si sit imperfectio positiva, tum quia est inordinatio posthabere beneplacitum DEI propriæ libertati, vel commodo, tum quia ejusmodi imperfectiones sæpe reprehenduntur a Sanctis, ita ut aliquis ideo privari possit multis Divinis favoribus, & gratiis indebitis, imo aliquando incidere in periculum ipsius salutis.

451 Dicendum 1. Dantur actus morales indifferentes in specie. Ita cum S. Thoma 1 2 q. 92 art. 2 in Corp. communissima contra Gabrielem. Probatur. Dantur actus morales, qui spectato præcise objecto materiali, in quo tendunt, nec boni, nec mali, nec præcepti, nec prohibiti, sed pure permissi sunt, uti ambulare, levare festucam de terra, fricare caput, abigere muscas, &c. ergo dantur actus morales indifferentes in specie. Neque obstat, quod actus internus præter objectum materiale semper intrinsece respiciat aliquod objectum formale. Nam imprimis hoc ipsum objectum formale potest esse tale, ut neque sit præceptum, neque prohibitum, dein etsi objectum formale semper deberet esse honestum, vel inhonestum, nihilominus actus præcise consideratus secundum objectum materiale esset indifferens, ut explicat S. Thomas hoc exemplo: Licet homo absolute existere nequeat in individuo, & cum omnibus circumstantiis, nisi vel sit albus, vel niger, vel fuscus, vel rufus, &c. tamen homo præcise consideratus quoad speciem, prout est animal rationale, nec albus, nec niger, nec fuscus, nec rufus est.

452 Dicendum 2. Possunt dari actus indifferentes in ordine ad præmium, & finem supernaturalem. Huic conclusioni, utut communissimæ, adversari videtur D. Amort disput. 1 de Actibus Human. q. 4 conclus. 2. Probatur. Quia nec auctoritate, nec

ulla ſufficiente ratione poteſt probari, quod fideles, quandocunque operantur deliberate, ſemper teneantur elicere actus ſupernaturales; multo magis infideles poſſunt elicere actus morales bonos mere naturales; atqui tales actus nihil conducunt ad finem ſupernaturalem, nec ullo modo præmium ſupernaturale merentur, quin ſint peccaminoſi: ergo. Min. patet ex Tractatu de gratia; hic ſufficit canon 7 Concilii Arauſicani ſecundi: *Si quis per naturæ vigorem boni aliquid, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere poſſe confirmat absque illuminatione, aut inſpiratione Spiritus ſancti, hæretico fallitur ſpiritu.* Major quoad primum membrum manet in poſſeſſione, donec contrarium probetur; quoad 2dum probata eſt quæſtione præcedente, & colligitur ex propoſitionibus damnatis Baji, ibidem citatis. Nam in illis revera nihil aliud docet, quam quod omnia opera infidelium ſint peccata, vel actus ſupernaturales, eoquod liberum arbitrium ſine gratia DEI tantum ad peccandum valeat.

Dicendum 3. Poſſunt etiam dari actus indiffe- 458
rentes in individuo in ordine ad honeſtatem naturalem, ſaltem per accidens. Ita cum D. Bonavent. Scot. Alenſi longe communior contra Pallav. Contenſon. Gonet, & D. Amort. Probatur. Poteſt aliquis bona fide judicare, nullam dari obligationem referendi omnes actus deliberatos ad finem poſitive honeſtum, & ſuppoſito tali judicio deliberate e. g. ambulare, quin intendat finem honeſtum, aut talis actio aliqua mala circumſtantia vitietur; ſed tali modo ſaltem per accidens ponit actum indifferentem in individuo: ergo. Maj. patet; cur enim non poſſit aliquis amplecti ſententiam doctiſſimorum juxta, & piiſſimorum virorum, qui docent, actum indifferentem in individuo per ſe dari poſſe? Min. prob. Actus ita poſitus non eſt poſitive honeſtus, quia operans non intendit ullam honeſtatem poſiti-

vam, nec est inhonestus, quia bona fides operantem excusat a culpa. Conf. Potest aliquis ex invincibili ignorantia judicare mendacium ad aliquod incommodum evitandum sibi quidem non esse præceptum, nec tamen prohibitum, & sic per accidens ponere actum indifferentem.

Objectiones.

454 Obj. 1. Cujuslibet actus moralis objectum vel est consonum rationi, vel dissonum: ergo non datur actus moralis indifferens in specie. Conf. prob. Si objectum est consonum rationi, erit bonum, & actus ex objecto honestus, si dissonum, erit malum, & actus ex objecto inhonestus. Conf. Natura nihil instituit otiosum, & frustraneum ad consecutionem ultimi finis; atqui objecta nec bona nec mala essent otiosa, & frustranea ad consecutionem ultimi finis: ergo. Resp. dist. ant. Objectum semper est consonum rationi, vel dissonum positive, neg. ant. negative, vel positive, conc. ant. & neg. cons. Objectum dicitur positive consonum rationi, si præcipitur, aut consulitur, & positive dissonum, si prohibetur; si vero mere permittitur, dicitur rationi consonum negative. Ad conf. conc. maj. dist. min. Nisi saltem possint ordinari ad consecutionem ultimi finis, conc. min. si possunt, neg. min. Omnia objecta indifferentia per bonam intentionem possunt ordinari ad finem positive honestum, licet per se non debeant præcipi, aut prohiberi.

455 Obj. 2. S. Paulus ad Coloss. 3 v. 17 scribit: *Omne, quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri JEsu Christi* &c. & 1 ad Cor. 10 v. 31: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite:* ergo tenemur omnes actiones referre ad DEUM, aut hoc ipso peccamus. Conf. S. Thomas in epistol. ad Coloss. in cit. textum ait: *Quidam dicunt, quod*

hoc

hoc est *consilium, sed hoc non est verum*: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Circa objectos textus tres sunt sententiæ interpretum. Aliqui dicunt, esse consilii, alii præcepti, alii esse finis præcepti, quæ S. Bonaventura in 2 dist. 41 q. 3 art. 1 sic conciliat: *Sermo Apostoli potest accipi vel negative, vel affirmative; si accipiatur negative, manifestum est, esse præcepti: si affirmative, tunc istud signum omnia, vel facit sensum distributivum, vel collectivum; si distributivum, est consilium, & admonitio: si collectivum, neque præceptum est, neque consilium, sed finis præcepti.* Ad conf. S. Thomas 2 2 q. 81 art. 1 ad 2dum expresse ait: *Quod illud præceptum Apostoli est affirmativum, unde non obligat ad semper.* & 1 2 q. 109 art. 2 in Corp. docet, *quod homo etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ possit aliquod bonum particulare agere.* Vid. num. 437.

Dices. Monita Apostolica frequenter inculcata, 456 & ad fines a DEO præstabilitos e. g. ad obtinendam perfectionem Christianam, declinandos Diaboli laqueos, &c. moraliter necessaria, non possunt recusari sine peccato; sed talia sunt monita Apostolica, quibus passim in Scriptura monemur, ut omnia in laudem DEI referamus: ergo. Conf. Omnes Patres, qui de hac re scripserunt, ostendunt, omnes actiones humanas debere ordinari ad finem supernaturalem. Resp. conc. maj. neg. min. Qui enim subinde exercet actionem aliquam indifferentem v. g. ob moderatam recreationem, non ideo cessat tendere ad perfectionem Christianam, nec laqueos Diaboli incurrit, nec morali periculo se exponit sectandi voluptates etiam prohibitas. Ad conf. dist. ant. Debere ordinari ad gloriam DEI ex debito convenientiæ, conc. ant. strictæ obligationis, neg. ant. Nullus Patrum, excepto forsan Origine, qui juxta S. Hieron. Epistol. ad Ctesiphont. præcentor fuit Pelagii, clare docet, omnes actiones humanas esse vel demeritorias, vel meritorias vitæ æternæ. Ne-

que voces istæ *Debemus*, *Oportet*, &c. apud Patres semper important obligationem præcepti. Imo etiam voces *Jubeo*, *Præcipio*, ut ex contextu, & circumstantiis colligitur, quandoque solum indicant, quid deceat, aut consultum sit, præsertim si ad eos diriguntur, quos ad perfectionem, & virtutem non vulgarem adhortantur. Unde si hac de re dicendum foret pro concione, salva nostra sententia possent adhiberi pleraque testimonia, quæ D. Amort per plura folia congerit.

457 Obj. 3. DEUS ad quamlibet actionem deliberatam dat gratiam supernaturalem: ergo tenemur semper tendere ad finem supernaturalem; quia nulla gratia supernaturalis sine peccato veniali potest frustrari suo fine. Conf. DEUS quamlibet gratiam ordinat ad finem supernaturalem: ergo qui gratiæ resistit, invertit ordinem bonitatis, & sapientiæ Divinæ. Resp. trans. ant. de gratia supernaturali tantum extrinsece tali, & non sufficiente ad meritum supernaturale, præsertim in peccatoribus, & infidelibus. Neg. conf. cum ratione addita; quæ si vera esset, quisquis non amplectitur consilia Evangelica, aliaque documenta Christianæ perfectionis per gratiam sibi intimata, eo ipso peccaret, & respectu ipsius res puri consilii, simul foret præcepti, quod non satis consonat cum doctrina Pauli 1 ad Cor. 7. v. 25, ubi consilium de servanda virginitate, & cælibatu sæpius a præcepto contradistinguit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Quod vult, faciat, non peccat, si nubat*, &c. Ad conf. dist. ant. Ordinat vel præcipiendo, vel suadendo actum, ad quem datur gratia, conc. ant. semper præcipiendo, neg. ant. Agere contra ordinationem Divinam solum suadentem, per se non est pecatum; nam peccatum est actus difformis præcepto, prout hoc distinguitur a mero consilio.

458 Dices. Licet transgressor Divini consilii peccet, datur adhuc sufficiens discrimen inter præcpta, & con-

consilia. Nam præcepta ligant omnes & singulos, consilia vero solum illos, quibus hic & nunc per speciales inspirationes applicantur; hinc Paulus 2 ad Cor. 6 v. 1 sollicite monet: *Ne invacuum gratiam DEI recipiatis.* Conf. Scriptura, Concilia, & Patres, præsertim S. Augustinus, frequenter afferunt, sine gratia non posse observari legem, nec vinci tentationes, aut aliquod bonum fieri, sed liberum arbitrium solis viribus naturalibus relictum tantum valere ad peccandum. Resp. neg. ant. Consilium illud: *Omnia in gloriam DEI* &c. non tantum datur omnibus, sed singulis, ut plura alia; illa vero, quæ non ad singulos diriguntur e. g. consilium virginitatis, juxta adversarios cessarent esse consilia; nam respectu illorum, quibus specialiter non applicantur, non essent consilia, respectu illorum autem, quibus ita amplicantur, essent præcepta. Ad conf. dico, ejusmodi locutiones exponendas esse de tentationibus gravibus, de observatione diuturna totius legis, de bono salutari, de auxilio Divino in genere, prout includitur etiam gratia naturalis, concursus Divinus, &c. Porro arbitrium liberum eatenus dicitur tantum ad peccandum valere, quatenus peccatum ipsi soli adscribitur, non DEO, qui bonorum auctor est.

Obj. 4. DEUS ex quolibet talento hominibus concredito exigit lucrum suæ gloriæ; ergo idem exigit ex quavis actione; in quolibet enim concurrunt plura DEI beneficia, nempe concursus DEI, momenta temporis, conservatio virium, cogitationes congruæ. Ant. prob. Matth. 21 reprobantur cultores vineæ, qui Domino non retulerunt fructus. Marc. 12 Christus maledicit ficulneæ fructum non ferenti. Luc. 13 in ignem projici jubetur ficulnea, nisi labori cultoris fructus respondeat. Matth. 25 servus, qui acceptum talentum reliquerat otiosum, ejicitur in tenebras exteriores, & virgines fatuæ excluduntur a regno, solum, quia dormiendo neglexerunt 459

runt fructus boni operis. Hinc etiam Matth. 3 v. 10 dicitur, *Omnis arbor, quæ non fert fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Resp. dist. ant. Exigit, id est, præcipit, vel consulit pro diversitate gratiarum, actionum, & circumstantiarum, conc. ant. semper præcipit, neg. ant. & conf. Parabolæ additæ debent intelligi, quando fructus sub obligatione exigitur, alias probarent nimium, nempe obligationem sub peccato mortali; nam propter hoc solum incurritur exclusio a regno, maledictio DEI, & ignis, ac tenebræ carceris infernalis. Dein etsi DEUS ex qualibet actione exigeret lucrum suæ gloriæ, nondum sequeretur, quod hoc lucrum debeat esse supernaturale; alias Bajus vere dixisset, quod liberum arbitrium sine gratia tantum valeat ad peccandum.

460 Dices 1. Ex dammatione propositionum Baji non sequitur, quod infideles ex solis viribus naturæ aliquid boni agant, sed tantum, quod possint aliquid boni agere; imo istæ propositiones tantum videntur damnatæ, 1. Quia dicunt, etiam indeliberatas actiones, nempe motus concupiscentiæ, esse peccata. 2. Ob acriorem censuram, qua Bajus in propositione 22da Pelagianismi accusabat eos, qui negant, omnium infidelium opera esse peccata. 3. Quia rationem peccati intulit ex ipso statu peccatoris, ut patet ex propositione 35ta. Resp. Ergo saltem potest dari actus indifferens inter meritorium vitæ æternæ, & demeritorium. In forma, neg. ant. Bajus non solum docuit, quod sine gratia nihil boni possit fieri, sed etiam, quod omnia infidelium opera, utpote mere naturalia, actu sint peccata, & virtutes Philosophorum vitia; utraque autem propositio specialiter tanquam error distinctus, fuit damnata, quin vel ipsum statum peccatoris respiciat, vel acriorem censuram contineat. Porro doctrina de actibus indeliberatis separatim damnata fuit propositione 51: *Concupiscentia, sive legis* membro

membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

Dices 2. Bajus non admisit actum indifferentem inter charitatem DEI, & vitiosam cupiditatem; imo existimavit, sine gratia sanctificante, & habituali nullum opus bonum fieri posse: ergo ex illius damnatione non potest inferri, quod detur actus indifferens inter demeritorium, & alias virtutes morales. Conf. Quamvis opera infidelium in se sint bona, possunt tamen esse conjuncta cum peccato omissionis, quia non referuntur ad DEUM, prout oportet: ergo licet non admittatur actus indifferens, sufficienter contradicitur Bajo, cum talis omissio non sit vitium actionis, sed agentis. Resp. conc. ant. quoad 1 membrum, neg. quoad 2. Nam quod Bajus ad meritum requisiverit charitatem habitualem, adeo ab ipsius mente alienum est, ut potius videatur nullam gratiam habitualem admisisse; ut colligitur ex propositione 42: *Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia animæ infusa.* Hinc etiam in propositione 63 rejicit distinctionem duplicis justitiæ actualis, & habitualis. Interim hic non fuit unicus error Baji, sed etiam quod liberum arbitrium sive gratia DEI tantum ad peccandum valeat. Ad conf. Omitto ant. neg. conf. Quia tali modo nihilominus opera omnia infidelium essent peccata, quod est Bajanum, vel non sunt, hoc ipso sunt actus indifferentes inter meritum supernaturale, & demeritum. Vid. num. 444. 461

Obj. 5. Dari actum indifferentem in individuo per accidens, nihil aliud est, quam actum non ordinari ad DEUM vel ex ignorantia invincibili hujus obligationis, vel ex inadvertentia, vel ex dictamine reflexo supra probabilitatem sententiæ, quod detur actus indifferens per se: atqui nihil horum fieri potest; nam 1 Ipsum lumen naturæ dictat, in qualibet actione appetitum ferri in bonum ut sic, seu 462

ad

ad finem ultimum: ergo actio ex hoc fine posita erit moraliter bona. 2. Homo non potest ignorare obligationem operandi conformiter rationi: ergo hoc ipso exercite advertit ad DEUM legislatorem, & omnes actus bonos saltem virtualiter ad ipsum ordinat. 3. Sententia, quod per se detur actus indifferens in individuo, non est probabilis. Resp. trans. maj. neg. min. Ad 1 prob. dist. ant. Ferri in bonum ut sic seu finem ultimum interpretative, conc. ant. formaliter, aut virtualiter, subdist. quomodocunque, trans. ex fine honestatis, neg. ant. & cons. Quando homo sine intentione honestatis operatur, in finem ultimum tantum fertur interpretative, quatenus cupit felix esse, & satiare suum appetitum, qua ratione etiam peccator in ultimum finem tendit. Ad 2. Trans. ant dist. cons. Advertit ad legislatorem hic & nunc obligantem, neg. cons. praecise permittentem, conc. cons. & neg. ulteriorem sequelam. Ad 3. An hoc confidentius, an verius dictum sit, brevi apparebit.

463 Dices 1. Qui bona fide judicat, non dari obligationem suam actionem referendi ad finem positive honestum, agit ex hoc motivo: Quia licet; ergo jam agit honeste. Nam 1 tali modo se conformat regulae moralitatis, & voluntatem suam submittit voluntati Divinae. 2. Est ita constitutus, ut non ageret, si non liceret, adeoque reveretur DEUM ut Legislatorem. 3. Servus censetur revereri dominum, si nihil agat, quod Dominus non permittit. Conf. Motivum licentiae nec est delectabile, nec utile: ergo honestum. Resp. trans. ant. Nam ita operans non necessario habet licentiam pro Motivo, sed potest illam habere pro puro termino, nec tam agere, quia licet, quam cum liceat. Neg. cons. Ad 1 prob. dist. ant. Conformat se regulae mere permittenti, conc. ant. praecipienti, vel suadenti, neg. ant. Submittere se voluntati Divinae permittenti, nondum arguit affectum positive laudabilem; alias praemium mere-

mereretur, qui omitteret ſacrum præciſe, quia hic & nunc non eſt præceptum. Ad 2. Neg. ant. Sed præſcindit, quid tunc eſſet acturus. Ad 3. Diſt. Si ſimul virtualiter, vel interpretative ſtatuat, nunquam agere, niſi detur licentia agendi, conc. ſecus, neg. Ad conf. conc. ant. neg. conſ. Qui agit, quia licet, ſemper aliquid aliud utile, vel delectabile intendit, adeoque licentia agendi non movet tanquam cauſa finalis, ſed ad ſummum tanquam moralis, & honeſta negativa.

Dices 2. Operans, quia licet, agit ideo, quia non eſt illicitum: ergo poſitive honeſte. Nam 1 DEUS præcipit, ne illicite agamus. 2. Ita operans vult carentiam inhoneſtatis. 3. Divinam permiſſionem amat. Conf. DEUS præcipit, vel ſaltem ſuadet, ut potius agamus, quia licet, quam quia libet; ſive liceat, ſive non: ſed qui agit, quod DEUS præcipit. vel ſuadet, agit honeſte: ergo. Reſp. diſt. ant. Agit ideo, quia non eſt illicitum ita, ut poſitive nollet agere, ſi foret illicitum, neg. ant. ut ſæpius ab hoc præſcindat, conc. ant. & neg. conſ. Ad 1 prob. Quamvis DEUS præcipiat, ne agamus illicite, ideo non præcipit, aut ſuadet, ut agamus id, quod eſt licitum, neque operans ſe præcepto Divino conformat formaliter, honeſtatem poſitive aſſumendo pro fine, ſed tantum materialiter, præceptum poſitive non violando. Ad 2. Diſt. Vult carentiam inhoneſtatis, quæ ſimul eſt carentia honeſtatis poſitivæ, conc. aliter, neg. Talis vult id, quod videt nec poſitive honeſtum, nec inhoneſtum eſſe, adeoque nec poſitive honeſte, nec inhoneſte agit. Ad 3. Sicut qui agit aliquid moleſti, quia præceptum eſt, non eo ipſo amat præceptum, ſic qui amat aliquid delectabile, quia licitum, non eo ipſo amat licentiam, vel ſi amat, amat propter ſuam delectationem, quod non eſt poſitive honeſtum. Ad conf. neg. maj. Sed prius DEUS permittit, & alterum prohibet. Adde quod operans honeſte 464

he-

honestatem non tantum debeat intendere materialiter, sed formaliter, quia honestum est.

465 Quæres. An omnis actus moralis indifferens sit imperfectio positiva? Resp. cum P. Ant. Mayr. Quamvis ejusmodi actibus sæpe sit conjuncta positiva imperfectio, quando videlicet Consilium DEI ad meliora, & practice possibilia hortantis valde clare, & cum aliquo conscientiæ remorsu proponitur; nihilominus durum videtur, omnes actus indifferentes positive imperfectos dicere. Nam 1 sic omnis actus moralis hominis Christiani, non directus ad finem supernaturalem esset imperfectio positiva, quia consilium Apostoli: *omnia in nomine JEsu* &c. non tantum significat finem naturaliter honestum; neque enim infideles agunt in nomine JEsu, si naturaliter honeste operantur. 2. Possunt etiam Christiani, quando moraliter operantur, advertere, aliam actionem esse meliorem, quin advertant, illam hic & nunc suaderi, & ob illius omissionem incurri positivam displicentiam DEI. Saltem ejusmodi cognitio sæpe tantum potest esse obscura, & implicita, vel tantum semideliberata. Jam vero difficile est, quod DEUS non tantum pro sua libertate, & dominio, sed ob meritum hominis ejusmodi minus perfecte agentis habeat jus subtrahendi bona spiritualia, permittendi maxima mala, vel etiam mala temporalia positive immittendi.

QUÆSTIO V.

An per se possit dari actus indifferens inter honestum, & inhonestum etiam naturaliter?

466 Præcipuum punctum hujus controversiæ consistit in eo, utrum per se loquendo detur obligatio omnes actus referendi ad finem saltem naturaliter ho-

honeſtum. Affirmant ex noſtris Suarez, Valent. aliique non pauci cum Schola Thomiſtica, citantes pro ſe S. Thomam, de quo tamen alii diſputant præſertim Moya Tract. 6 diſput. 2 de peccat. q. 3. Ego id ſolum adverto, auctoritatem Doctoris Angelici neutiquam eſſe regulam agendorum moraliter indubitatam. Veneror S. Doctorem tanquam Scholaſticorum principem, cujus doctrinam Summi Pontifices maximis laudibus extollunt. At quod eandem doctrinam univerſaliter præſcribant, quod pro regula indubitata doctrinæ adoptetur ab omnibus ferme Univerſitatibus, & Ordinibus Religioſis, eſt exaggeratio. Certe ipſe Angelicus non ferret, quod aliqua ipſius ſententia proclametur tanquam certa, ubi oppoſitum tenent alii graviſſimi Auctores cum S. Bonaventura, qui eodem cum D Thoma, Alexandro de Ales Magiſtro uſus, eadem die in doctorem Univerſitatis Pariſienſis adlectus, eodem anno mortuus eſt.

Pariter dictum nimis liberale eſt, quod ſenten- 467
tia benigna repugnet lumini naturæ, & auctoritati omnium Patrum, ac Theologorum usque ad ſæculum XV, adeoque ne quidem veram probabilitatem habere poſſit. Nam ut taceam, ante Magiſtrum ſententiarum, & S. Thomam ejusmodi controverſias minus exacte fuiſſe examinatas; forte ex Antiquioribus plures tantum volunt, quod ſine ordinatione ad finem poſitive honeſtum actus morales ſint imperfecti. Certe non ſatis inter imperfectionem moralem, & peccatum diſtinguunt. Porro S. Bonaventura, qui ſæculo XIII ſcripſit, ita docet: *Non omnis actio non ordinata ad* DEUM *tanquam ad finem, eſt mala; quia quædam non ordinatur propter inordinatam converſionem ad creaturam, quædam vero non ordinatur propter operantis negligentiam, quædam vero non ordinatur propter ordinantis infirmitatem, & miſeriam. Prima differentia actionis non ordinatæ eſt mala malitia commiſſionis, ſe-*

cunda

cunda est mala malitia omissionis, tertia vero neutro modo est mala, sed indifferens; talis autem actio est, quando quis facit aliquam operationem, ita quod circa creaturam non afficitur inordinate, nec tamen illam actionem comparat (seu refert) *ad DEUM, sed facit propter aliquem finem, qui respicit indigentiam naturæ, ut cum aliquis ambulat, ut recreetur*, vel *comedit, ut reficiatur.*

468 Sæculo XIV Scotus ad auctoritatem S. Bonaventuræ se referens in 2 dist. 41 docuit, multos dari actus indifferentes, non solum in esse morali, & naturali, sed etiam ad bonum meritorium, & malum demeritorium. Quia, inquit, unum individuum potest esse tale, & aliud tale. Neque dici potest, quod ambo isti Doctores tantum loquantur de eo, quod est per accidens, vel quod versentur in quæstione mere speculativa, utrum ad actum meritorium requiratur, ut non solum in genere per actum prævium fidei, & dilectionis, sed specifice, & particulariter in DEUM ordinetur; nam uterque expresse loquitur de actibus deliberatis, uterque negat obligationem omnes illos referendi ad DEUM. Quando autem Scotus ait: *Probabile videtur tales actus indifferentes dari*, illum modum probabilitatis solum adhibet, quia tunc temporis controversum erat inter auctores, an ad actum meritorium sufficiat relatio habitualis in DEUM, hoc est, status gratiæ, & charitatis; & ad hanc quæstionem respondet Scotus, videri, quod non sufficiat; quod vero actus quidam, etsi nec actualiter, nec virtualiter ad DEUM referantur, nullam contineant culpam, absolute affirmat.

469 SS. Patres quod attinet, Gregorius Nazianz. Orat. 3 contra Julian. ait: *Quemadmodum quisquis supplicio haud dignus est, non idem statim laudem, & prædicationem meretur, eodem modo nec quisquis laude, & prædicatione dignus non est, idem confestim pœnam quoque meretur:* atqui nisi daretur actus indifferens, quivis semper laude, vel pœna esset dignus.

gnus. S. Greg. Magn. Homil. 27 in Evangel. *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt*: atqui dilectio per affectum carnis non est positive honesta. S Hieron. Epistol. 89 cap. 5 ad Augustinum de ceremoniis legalibus ait: *Neque enim indifferentia sunt* (ceremonialia) *inter bonum & malum, sicut Philosophi disputant, bonum est continentia, malum luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, hoc nec bonum, nec malum est; sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam*; quæ ultima verba non tantum profert in persona Philosophorum, sed etiam proprio nomine; nam statim addit: *Observa autem; legis ceremonia non potest esse indifferens, sed aut malum est, aut bonum est.* Hæc ipsa verba Hieronymi cum S. Augustinus Epistol. 19 cap. 2 sibi objecisset, Philosophorum sententiam approbans ait: *Ego vero Apostolis non tam exemplum Philosophorum timeo, quando & illi in sua disputatione veri aliquid dicunt.*

Dicendum. Actus moralis indifferens in individuo potest dari per se. Ita post doctorem Seraphicum, & Subtilem Schola Scotistica, aliique plurimi; Joannes Major, Almainus, Aversa, Gabriel, Herrera, Oviedo, Vasquez, Less. Arriag. Viva, & hoc teste communior Recentiorum. Probatur 1. Probabilius non datur obligatio referendi omnes actus ad finem positive honestum: ergo per se potest dari actus moralis indifferens in individuo. Ant. prob. Quia hæc obligatio a plurimis doctis post rem accurate discussam non agnoscitur; indoctis vero, nisi aliter instruantur, de illa ne quidem aliquid incidit, cum tamen eandem rem, utpote juris naturalis, ipsum lumen naturæ deberet dictare, & hæc obligatio se extenderet ad innumeras actiones humanas. Conf. Quædam delectationes tam sunt innocuæ, ut ab ipsa natura videantur institutæ ad re- 470

laxationem animi, & corporis, nihilque contineant homine indignum, etsi intendantur per se, neque referantur ad finem altiorem; tales sunt partim delectationes spirituales e. g. voluptas sciendi, gustus in aliqua demonstratione mathematica, partim sensibiles, & positivæ, aliquamdiu ambulare per hortum, olfacere florem, audire aviculam cantantem, partim sensibiles negativæ, quærere umbram in æstate, tempore hyberno ad focum accedere, abigere muscam a vultu, &c. quis enim dicat, ista propter se deliberate fieri non posse sine peccato veniali, aut quod semper habeant conjunctum probabile periculum excessus, vel aliorum malorum.

471 Probatur 2. Potest aliquis actus intendi ad utilitatem corporis, vel animi e. g. ambulatio, comestio ad conservationem, & restaurationem virium, quin operans positive intendat honestatem, seu conformitatem cum lege; quæ enim in hac implicantia? atqui talis actus non est moraliter malus, quia habet finem ab ipso Auctore naturæ intentum: nec est formaliter bonus, eoquod ad omnem actum formaliter bonum requiratur, ut saltem procedat ex motivo honestatis generalis, reperibilis in hoc, quod est conformiter operari rationi, & legi, ut loquitur D. Amort. Hinc licet quis ponat actum de se positive honestum, si tamen hoc faciat ex fine mere indifferente, non operatur formaliter honeste, ut si quis stipem porrigat pauperi præcise ad redimendam vexam importunitatis. Conf. Dantur multi actus de se non boni, sed potius imperfecti, quin sint peccaminosi, ut docet concors SS. Patrum, & Magistrorum spiritualium Theosophia; hinc juxta S. Vincent. Ferrer. de vit. spirit. cap. 16 inter varias perfectiones septima est: *Vitare omnem occasionem non solum ad peccatum, sed etiam ad aliquam imperfectionem.* Alii vero Patres proplem. 4 §. 1 apud P. Dichel. reprehendunt varios defectus, qui nullum peccati vestigium præseferunt; sic S. Basilio, &

& Ambrosio turpe visum est sinistra manu cibum sumere, S. Hieronymo clarius orando proximis obstrepere. Taceo regulas Sodalitatum, Rubricarum, & Religiosorum Ordinum, quæ sæpe non obligant sub peccato; nec tamen sine imperfectione violantur.

Objectiones.

Obj. 1. Juxta effatum Christi Matth. 12 v. 36: 472
Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii: atqui otiositas, prout distinguitur ab aliis peccatis, consistit in negativo, scilicet in defectu debitæ ordinationis ad finem positive honestum. Nam juxta S. Basil. in const. Monast. cap. 12 verbum otiosum est, *quod ad propositum in domino usum, hoc est, ad ædificationem fidei non facit;* juxta Origenem Homil. 9 in Ezech. *Quod neque boni, neque mali aliquid agit;* juxta S. Gregor. lib. 7 Moral. cap. 17: *Quod aut ratione justæ necessitatis, aut utilitate rectitudinis, aut intentione piæ utilitatis caret.* Conf. Quicunque aliquid agit, vel loquitur, semper habet hunc finem, quia placet, vel delectat: ergo si hic finis sufficit, nullum datur verbum, aut actio otiosa. Resp. conc. maj. dist. min. Consistit in defectu debitæ ordinationis ad finem positive, vel negative honestum; conc. min. unice in defectu ordinationis ad finem positive honestum, neg. min. Modo verbum, vel actio ordinetur ad finem negative honestum, e. g. ad rationabilem, & non inconvenientem recreationem; non meretur dici malum, & otiosum. Ad Conf. dist. ant. Semper habet hunc finem, quia placet, vel delectat quomodocunque; conc. ant. moderate, & rationabiliter, neg. ant. & conf. purum beneplacitum, delectatio, & libertatis exercitium non semper potest intendi; nam sæpe placet loqui, ubi, & quando non est decorum, & sæpe delectat, quod

ad finem rationabilem non est conveniens, aut limites excedit.

473 Porro SS. Patres apud Suarium, & Cornelium a Lapide in cit. textum Matth. pro subjecta materia, quam tractant, varie verbum otiosum explicant, & plures non obscure nobis favent; sic S. Hilario verbum otiosum est *Dictum inutile*. Ven. Bedæ *Locutio superflua*. Tertull. *Dictum supervacaneum*. Ambros. *Verbum non fructuosum*. Chrysost. *Quod rei propositæ non convenit*. Hieron. *Quod sine utilitate & loquentis, & audientis dicitur*. Ubi vides, quod juxta hos Patres non solum verba pia, aut omnino necessaria excusentur ab otiositate, sed etiam quæ utilia sunt ad fines non inconvenientes, & aliunde non prohibitos. Unde etiam reliqui merito explicantur de utilitate rectitudinis negativæ, & conducentia negativa ad ædificationem fidei; alias ne quidem daretur verbum indifferens ex objecto. Itaque verbum otiosum est, quod vel non ordinatur ad finem negative rationabilem, vel non debito modo e. g. quia ad finem est inutile, & superfluum; sic non solum otiose agit, qui ludo alias non malo immoderate tempus consumit, sed etiam, qui concionando inutiliter verba repetit, & ex naturali loquacitate multiplicat. Econtra qui famulo dicit: est hodie tempestas perfrigida, volo calefacias cubiculum, non censetur proferre verba otiosa, licet ea non ordinet ad finem positive honestum.

474 Dices 1. Innocentius XI damnavit has propositiones. 8: *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*. & 9: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, & defectu veniali*: atqui hæ propositiones immerito fuissent damnatæ, si actus non deberent ordinari ad finem positive honestum, & delectatio propter se ipsam licite intenderetur. Resp.

conc.

conc. maj. neg. min. Ex eo, quod aliquando liceat ſiſtere in ſola voluptate, non ſequitur, id eſſe licitum ſemper, & in omni materia, quia quædam voluptates brutis communes ſunt nimis ſenſuales, animum a DEO valde abſtrahunt, & ad terrena deprimunt. Talis eſt opus conjugii, quod ideo a DEO non permittitur, niſi ex alio fine, e. g. ad propagationem, & conſervationem generis humani. Pariter voluptas cibi, & potus eſt valde craſſa, & magis videtur opponi dignitati creaturæ rationalis, quam aliæ delectationes ſubtiliores. Quod ſi propter ſolam voluptatem comedere liceret tantum usque ad extremum gradum temperantiæ, morale eſſet periculum illam transgrediendi; neſcit enim cupiditas, ubi finiatur neceſſitas; quamquam multi exiſtiment, ſolum damnatum eſſe, quod liceat edere, & bibere usque ad ſatietatem, id eſt, quamdiu ſapit cibus & potus, aut donec incipiat nauſea, quod utique nimium. Imo alii dicunt, propoſitionem duntaxat damnatam eſſe ob adjunctam cauſalem; *Quia appetitus licite poteſt frui ſuis actibus*, ex quo videretur ſequi, licitam eſſe ebrietatem, fornicationem, & quamlibet voluptatem naturæ.

Dices 2. Saltem juxta nos licitum eſſet 1. Su- 475
mere modicum potus, vel cibi, unice, quia ſapit; hoc autem juxta S. Auguſtinum pertinet ad minuta peccata. 2. Appetere ſcientiam ideo ſolum, quia delectat ſcire; quod juxta S. Bernardum eſt turpis curioſitas. 3. Deſiderare propriam laudem, & gloriam; atqui hoc eſt jactantia, & vana gloria. 4. Se ipſum laudare præciſe ob delectationem; cum tamen Scriptura Proverb. 27 v. 2 dicat: *Laudet te os alienum, & non os tuum.* Reſp. ad 1. Ejuſmodi ſumptionem tunc ſolum inter minuta peccata eſſe numerandam, ſi intervenit aliqua ſpecies gulæ, quas Theologi ex S. Thoma hoc verſu complectuntur: Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe. Ad 2. S. Bernardus tantum reprobat appetitum ſciendi im-

moderatum juxta illud Apostoli ad Rom. 12 v. 3: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Ad 3. Desiderium propriæ laudis, & gloriæ juxta S. Thomam 2 2 q. 132 art. 1 de se nihil est vitiosum, nec peccat, qui bonum suum agnoscit, & approbat, dummodo id fiat moderate. Ad 4. Eadem est responsio. Id tamen admitto, quod in ejusmodi objectis facile excedantur limites prudentiæ, & debitæ moderationis, eoquod natura humana nimis sit prona ad curiosa, & honorifica, ac in rebus propriis sæpe excæcetur juxta illud: *Suum cuique pulchrum.* Cæterum quia imprudentia in omni peccato imbibitur, nec vana gloria, nec verbum otiosum per illam in peculiari specie peccati constituitur.

476 Obj. 2. SS. Patres passim docent, quod in omni opere debeat intendi positiva honestas; sic Clemens Alexandr. lib. 2 pædag. cap. 1 ait: *Alios vivere, ut comedant, Christianos ex præcepto Divini Pædagogi comedere debere, ut vivant.* Tertull. lib. de exhor. ad cast. cap. 3: *Nolle promereri esse delinquere.* S. Ambros. in cap. 1 Malach. *Christianus omnia debet in laudem DEI referre.* S. Hieron. in epist. ad Galat. *Esse opus grandis laboris, ac disputationis nimiæ aliqua reperire, quæ nec ad carnem videntur pertinere, nec ad spiritum.* Conf. Quando Patres videntur admittere actum indifferentem, tantum loquuntur de actu indifferente in specie, vel in ordine ad meritum supernaturale. Resp. neg. ant. S. Clemens tantum reprehendit gulam. Tertulliano delinquere idem est, ac prætermittere non prætermittenda; hæc enim est propria significatio verbi delinquo. S. Ambrosius loquitur de debito convenientiæ. S. Hieron. de eo, quod communiter contingit; nam sæpe actiones de se indifferentes, si non diriguntur ad finem positive honestum, sunt peccaminosæ propter excessum, & usum immoderatum. Ad conf. neg. ant. S. Hieron. expresse ait: *Sive feceris, sive*

non

non feceris; actum autem in specie tantum nunquam feceris. Dein cum S. Augustino citat Philosophos, qui non egerunt de merito supernaturali, quamvis dein isti patres ulterius de hoc merito disputaverint.

Dices 1. S. Augustinus lib. 2 de peccat. & merit. cap. 18 ait: *Mirum, si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit: aut enim justitiam diligimus, & bona est, - - aut si omnino non diligimus, est pessima.* Lib. de utilit. credendi cap. 12: *Omne factum, si recte factum non est, peccatum est, nec recte factum ullo modo esse potest, quod non a recta ratione proficiscitur.* Libr. 8 contra Julianum: *Quidquid boni fit ab hominibus, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Item: *Si non propter hoc facit, propter quod facere deberet, peccare convincitur.* Denique lib 10 Confess. cap 33: *Cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor.* Resp. S. Patrem in textu primo non loqui de voluntate actuali, sed habituali; nam actio non statim est pessima, si non fit propter amorem virtutis; bene autem voluntas, si nunquam virtutem diligit. In 2do textu solum dicit, illud esse peccatum, quod non fit rationabiliter. In 3tio, quod fit malo fine, aut alio, quam qui præceptus hic & nunc est. In 4to agit de cantu Psalmorum, in quo utique magis ad rem attendendum est, quam ad cantum. 477

Dices 2. S. Gregorius M. lib. 26 Moral. cap. 13 ait: *Omni custodia mens servanda: non enim ante oculos DEI vacuæ transvolant cogitationes nostræ, & nulla momenta temporis transeunt, sine statu retributionis.* S Chrysost Homil 17 in cap. 5 epist. ad Ephes. *Posito, quod essent indifferentia* (verba facere) *ne sic quidem deberent negligi, cum tanta inde oriantur mala, sed quod non dentur indifferentia,* 478

inde, perspicuum est. S. Bernard. Serm. de Divin. *Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam DEI.* Resp. ad 1. S. Gregor. loc. cit ostendit, DEUM in pœnam superbiæ permittere turpissimos lapsus in carnis vitia, & punire omnes malas cogitationes; hinc textus revera ita habet: *Omni custodia mens a superbiæ tumore servanda.* Item: *Nulla momenta temporis per animum transeunt*, quo videlicet cogitationes superbæ, & malæ non sunt pœna dignæ. S. Chrysost. insectatur facetiam ineptam, intempestivam, & immoderatam, quæ in dicacitatem, contumelias, irrisiones, scortationes desinit: nec ait, inde perspicuum esse, quod non dentur indifferentia, sed inde, videlicet ex istis malis, perspicuum esse, quod facetia non sit res indifferens, ut habet textus Græcus, & Latinus interpres. Sermonem S. Bernardi non inveni, si tamen S. Doctor revera ita loqueretur, deberet exponi de præcepto in sensu negativo.

479 Obj. 3. Omnis actio deliberata est vel juxta, vel contra regulam prudentiæ; si primum, est positive honesta; si secundum, positive inhonesta. In Exemplo: Quando deliberate legis librum historicum, agis ex prævio dictamine prudentiæ; si itaque hoc proponit finem hic & nunc prudenter appetibilem, actio erit positive honesta, & prudens: si non proponit finem hic & nunc prudenter appetibilem, actio erit positive inhonesta, & imprudens. Conf. Quando antiqui Theologi admittunt recreationem aliquando intendi posse tanquam finem, simul intelligunt aliquam utilitatem, vel necessitatem naturæ ab actione distinctam: ergo semper requirunt finem positive honestum. Resp. conc. maj. dist. min. Est positive honesta, si est juxta regulam prudentiæ præcipientis, vel suadentis, conc. min. si tantum est juxta regulam permittentem, neg. min. & similiter distincto altero membro, cons. Argumentum probaret, quod ne quidem detur actus in-

dif-

differens in ſpecie, quia objectum quodlibet debet eſſe juxta, vel contra regulas prudentiæ. Vid. num. 454. Ad conf. neg. ant. Quia hoc nullibi explicant, & ſi aliquando admittitur, actionem poſſe ordinari ad commoditatem naturæ, ſæpe nec præceptam, nec ſuaſam, non eſt ratio, cur non poſſit aliquando ſiſti in moderata delectatione ipſius actionis.

Dices 1. Si homo actionem non ordinat ad finem poſitive honeſtum, non agit juxta dignitatem naturæ, ſed abutitur libero arbitrio, contemnens DEUM, eique auferens rationem ultimi finis. Conf. Rex agit turpiter ponendo actionem vilem, e. g. ſtabularii; Artifex peccat faciendo opus inutile ad finem artis, Viator ſubinde quieſcendo non explet ſuum debitum, niſi ipſam quietem ordinet ad meliorem progreſſum verſus ſuum terminum. Reſp. neg. ant. Nam etiam finis permiſſus eſt conformis rationi permittenti, naturam hominis non dedecet poſitive, nec ille, qui minus bene utitur libero arbitrio, idcirca eodem abutitur; hinc licet exercitium virtutis ſit finis hominis nobilior, non tamen eſt unicus, & ſicut, qui non amat, non hoc ipſo odit, ſic qui hic & nunc non intendit finem ultimum, non eo ipſo illum contemnit, alias peccaret graviter. Ad conf. Talis actio, ut ponitur, poſitive dedeceret dignitatem Principis; Artifex tunc tantum peccat contra artem, ſi operatur ut artifex, & contra præcepta artis; Viator tunc ſolum male agit, ſi declinat a via, aut periculo errandi ſe exponit. Certe nemo culpabit Regem, ſi ſine neglectu graviorum negotiorum quandoque recreationis cauſa e. g. ludat cythara. 480

Dices 2. Ex una parte natura inſtituit delectationem propter operationem, & non viciſſim: ex altera parte homo in actionibus deliberatis debet agere ſupra modum brutorum: ergo qui delectationem intendit tanquam finem, invertit ordinem naturæ, & 481

agit more Epicureorum, quorum aliquem Seneca cap. 10 de vita beata ita perstringit: *Tu voluptate frueris: ego utor.* Conf. Omnis delectatio sensibilis continet generale periculum plurium malorum, & juxta S. Bernard. aliosque Ascetas in via virtutis non progredi, idem est, ac retrogradi: ergo. Resp. Quamvis natura illas actiones, quæ secum habent, aut præsupponunt aliquam difficultatem, instituerit propter operationem e. g. delectationem cibi propter conservationem vitæ, & superandam difficultatem, quæ sæpe datur in victu comparando; plures dantur operationes aliæ, quæ a natura potius videntur institutæ, vel certe permissæ ob moderatam animi, corporisque delectationem, in quibus homo nihilominus agit supra modum brutorum, quia objectum delectabile non arripit temere, sed consulta prius regula morum, cui actio non apparet difformis. Porro more Epicureorum ille solum voluptate fruitur, qui in illa constituit finem ultimum. Ad conf. neg. ant. Si delectatio sit moderata, & rationabilis. Axioma asceticum loquitur maxime de Religiosis, qui vi status debent tendere ad perfectionem, & solum vult, quod nemo diu maneat in eodem statu, ac veluti gradu virtutis, sed vel melior fiat per crebriora virtutis exercitia, vel ex eorum neglectu deterior.

482 Obj. 4. Obligatio omnes actiones referendi ad finem honestum non est adeo onerosa: ergo convenienter adstruitur. Ant. prob. Quia ut actio aliqua deliberata sit positive honesta, non requiritur intentio actualis, sed sufficit habitualis mane concepta, & per diem non retractata, vel certe virtualis, quæ semper adesse censetur, si quis cuilibet actioni majoris momenti præmittat intentionem actualem, etsi in continuatione ad hunc finem se non reflectat. Conf. Hæc obligatio se non extenderet ad actiones indeliberatas, quarum sunt plurimæ; nam fricare caput, movere manus, aspicere flo-

florem, &c. plerumque sit indeliberate. Resp. neg. ant. & cons. Omnis obligatio est aliquod onus, & nulla prorsus debet admitti, nisi sufficienter probetur. Dein ad opus bonum & meritorium probabilius requiritur intentio saltem virtualis. Imo obligatio solius intentionis habitualis esset satis onerosa, eoquod per inconstantiam voluntatis, & nimiam actionum varietatem facile abrumperetur; modo enim aliqua nova actio non ordinaretur ad finem positive honestum, intentio esset retractata, & actiones subsequentes juxta adversarios peccaminosæ. Ad conf. Quod præter actiones indeliberatas plurimæ ponantur deliberate, vel ex eo patet, quia plurima committuntur peccata gravia, quæ exigunt perfectam deliberationem, ad peccatum veniale autem sufficit semiplena, & si daretur obligatio omnes actiones referendi ad finem honestum, hoc ipso deberemus magis attendere, ne indeliberate agamus. Certe peccatum veniale non est leve malum, præsertim timoratis.

Dices. Modo aliquis intendat moderatam de- 483
lectationem aliunde non prohibitam, jam agit positive honeste. Nam talis actio potest revocari 1 ad charitatem sui ipsius, quæ moderatam recreationem suadet, ut melius consulatur valetudini, & non frangatur arcus semper intensus. 2. Ad eutrapeliam, cujus officium est miscere utile dulci, & seriis jucunda ad justam hominis refocillationem. 3. Ad prudentiam, quæ dictat, ut in rebus quibusdam parvis gratificemur naturæ e. g. commode sedendo, abigendo muscas, &c. Conf. Qui intendit commoditatem, & recreationem proximi, honeste operatur: ergo etiam, qui intendit propriam. Resp. dist. ant. Si talis delectatio mere sit permissa, neg. ant. si sit præcepta, vel suasa, subdist. si intendatur solum ratione sui, neg. ant. si amore honestatis, conc. ant. Probationes iterum dist. Istæ virtutes suadent aliquando, ut quæramus moderatam recreatio-

ationem, gratificemur naturæ, &c. conc. semper, neg. Imprimis ad actum positive honestum non sufficit, quod solum materialiter, & secundum se ad aliquam virtutem ordinetur, & pertineat. Dein quamvis virtus, & recta ratio suadeat ea commoda, quæ vel necessaria sunt, vel valde opportuna ad restaurandas vires animæ, & corporis, non ideo suadet, aut præcipit omnia commoda leviora, quæ aliquo modo ad hunc finem conducunt, imo sæpe suadet oppositum ad exercendam mortificationem, & abnegationem sui. Ad conf. trans. ant. neg. conf. DEUS sæpe vult, & consulit, ut aliquid faciamus pro commoditate proximi, quin velit, aut suadeat, ut idem faciamus pro commoditate propria.

DISPUTATIO IV.

De regula proxima moralitatis actuum humanorum.

484 Cum voluntas sit potentia cæca, neque obligationem legis Divinæ per se ipsam percipere valeat, constat, præter regulam moralitatis remotam necessariam adhuc esse aliam, quæ voluntati repræsentet, quid lege Divina sit præceptum, suasum, permissum, aut prohibitum. Hæc regula vocari solet proxima, & formalis, & juxta num. 393 consistit in dictamine conscientiæ. Equidem Camargo multis contendit, dictamen conscientiæ non esse regulam proprie talem, sed tantum applicationem regulæ objectivæ, ferme sicut applicatio amussis, & alterius regulæ materialis proprie, & in rigore non est regula. Verum quia modus loquendi, quo dictamen rationis regula formalis appellatur, jam est receptus in scholis, non est, cur ab eo recedamus, aut de nomine multum litigemus.

Con-

Conſcientia alia eſt Habitualis, alia Actualis. 485
Habitualis eſt habitus inclinans ad dictamen rationis circa bonum, & malum morale. Si verſatur circa dictamina, & principia particularia, ſtricte dicitur conſcientia, ſi vero verſatur circa principia prima, & univerſaliſſima e. g. Bonum eſt faciendum, malum fugiendum, vocatur ſynteresis, quamvis multi iſtis terminis promiſcue utantur. Conſcientia actualis eſt ipſum dictamen rationis, ſeu actus intellectus, quo judicamus, aliquid eſſe moraliter bonum, vel malum, ob conformitatem vel difformitatem cum lege Divina Extendit ſe etiam ad actus prætéritos, vel illos approbando tanquam honeſtos, & vocatur Teſtimonium bonæ conſcientiæ; vel illos reprobando tanquam inhoneſtos, & dicitur remorſus, ſeu vermis conſcientiæ. Mihi potiſſimum agendum de conſcientia actuali antecedente, quæ dirigit actus futuros, dictando, quinam ſint ponendi tanquam honeſti, vel liciti, & quinam omittendi tanquam inhoneſti, & illiciti.

Itaque conſcientia actualis, ſeu dictamen ratio- 486
nis dividitur 1 in rectum, & erroneum; prius cum veritate judicat, aliquid eſſe conforme, vel difforme primæ regulæ: Alterum id judicat falſo, ſive vincibiliter, ſive invincibiliter. Ubi advertunt, poſſe contingere, ut dictamen conſcientiæ ſit phyſice rectum, & moraliter erroneum, aut viciſſim: e. g. ſi puer de homine, qui revera non eſt pater ſuus, temere formet hoc dictamen: Non teneor eum honorare, qui non eſt pater meus; ſed hic homo non eſt pater meus: ergo non teneor illum honorare; hoc judicium erit phyſice rectum, quia omnes propoſitiones ſunt a parte rei conformes objecto; ethice vero, ſeu moraliter eſt erroneum, quia diſſonum legi Divinæ præcipienti, ut honoremus eum, de quo prudenter dubitare non poſſumus, quin ſit noſter parens Econtra dictamen phyſice erroneum, moraliter autem rectum eſſet, ſi puer ita concluderet;

ret: illum debeo honorare, qui eſt pater meus; ſed hic homo eſt pater meus; ergo illum debeo honorare.

487 Dividitur 2. In evidens, moraliter certum; probabile, & improbabile. Evidens eſt, quod veritatem ſuam objectivam tam clare repræſentat intellectui, ut ad aſſenſum neceſſitetur, & omne dubium excludatur. Moraliter certum eſt, quod intellectum quidem non neceſſitat, attamen ita convincit, ut non poſſit prudenter dubitare, aut formidare, ne fortaſſis per hoc dictamen decipiatur. Probabile eſt, quod nititur motivo gravi, & magni momenti, ut virum prudentem movere poſſit ad irreprehenſibilem aſſenſum, quin tamen per ſe excludat prudentem formidinem de oppoſito. Temerarium, ſeu improbabile eſt, quod nititur motivo tantum levi, a viro prudente non merente aſſenſum. Quo etiam revocari poteſt conſcientia ſcrupuloſa, quæ concipitur ex motivis levibus, & inanibus.

488 Dividitur 3. In Univerſale, quod dictat, quid in genere, & præſcindendo a certis circumſtantiis ſit honeſtum, vel inhoneſtum: & Singulare, quod dictat, quidnam in his determinatis circumſtantiis ſit honeſtum, vel inhoneſtum. Dictamen Particulare communiter vocatur practicum, & Univerſale ſpeculativum, non quaſi nullo modo, aut nunquam dirigat praxim, ſed quia circa operabilia tantum verſatur in genere, & non prout in praxi occurrunt veſtita ſuis circumſtantiis particularibus; e. g. univerſale dictamen ſolum dictat, per ſe loquendo laborem ſervilem illicitum eſſe die feſto, particulare autem, eundem hic & nunc in iſtis circumſtantiis urgentis neceſſitatis eſſe licitum. Alii aliter loquuntur, & per dictamen ſpeculativum intelligunt illud, quod de licentia actionis nihil enunciat, ſed verſatur circa aliud objectum e. g. circa valorem Sacramenti, impedimenta Matrimonii; ego loquor cum pluribus.

489 Dividitur 4. In Directum, & Reflexum. Directum eſt, quo quis absque reflexione facta ſuper aliud

aliud dictamen, dubium, aut ignorantiam, judicat, actionem esse licitam, vel illicitam; ut si dicas: Non possum licite retinere rem alienam. Reflexum est, quo quis judicat, actionem esse licitam, vel illicitam, facta reflexione super aliud dictamen, dubium, vel ignorantiam; ut si dicas: Quia ignoro, hanc rem esse alienam, illam licite retineo. Utrumque, nempe tam dictamen reflexum, quam directum potest esse vel modale, quod veritatem suam proponit sub certo modo probabilitatis, aut certitudinis: Hoc certo licet: Hoc probabilius est illicitum; vel absolutum, quod simpliciter enunciat, aliquid licitum, vel illicitum esse.

Dividitur 5. In Remotum, & proximum, seu ultimum. Dictamen Remotum est, quod actum præcedit mediate, eumque dirigit mediante dictamine proximiore: Proximum, seu ultimum est, quod actum præcedit, ac dirigit immediate, e. g. Petrus judicat, die festo probabilius licitum esse pingere: dein ulterius ita secum discurrit: Agendo id, quod probabilius est licitum, non pecco; sed pingere die festo probabilius est licitum; ergo non pecco id agendo. Dictamen primum dirigit quidem actionem Petri, sed tantum remote, & mediante dictamine ultimo. Ubi simul advertis, solum dictamen ultimum posse dici regulam formalem proximam, dictamen vero remotum sub aliquo respectu esse regulam formalem, & sub alio objectivam. Formalis est, in quantum distinguitur a lege DEI, & illam applicat: objectiva est, quatenus reflexe cognoscitur, & sic cognita dirigit primo ad dictamem ultimum, & hoc mediante ad ipsam operationem. 490

Præter enumeratas species datur etiam conscientia Dubia, quæ in neutram partem se determinat, vel ob defectum rationum sufficientium, vel ob rationes in utramque partem æqui ponderantes; unde non est proprie dicta conscientia, sed tantum reductive talis, cum non sit judicium, sed potius suspen- 491

suspensio judicii. Potest autem dubium esse vel Speculativum, ut si dubites, utrum aqua rosacea sit apta materia ad Baptismum, utrum in genere liceat baptizare aqua rosacea; vel Practicum, quod proxime, & immediate versatur circa licentiam actionis; ut si dubites, utrum in hoc casu extremæ necessitatis aquam rosaceam ad Baptismum adhibere liceat. Quod si prorsus nullum habeatur motivum judicandi, aut solum apprehensio circa veritatem, aut falsitatem alicujus rei, proprie non datur dubium; sed dubitans cum tali dispositione animi inter utramque partem hærere solet, ut rem propositam saltem virtualiter reputet esse incertam.

QUÆSTIO I.

An omnem actum malum debeat præcedere dictamen conscientiæ de ejus malitia?

492 Controversia in hac, & sequentibus quæstionibus erit de dictamine practico, & ultimo; an semper aliquod requiratur, & quale illud esse debeat; an evidens, aut certum, an solum probabile, vel probabilius. Incipiendo itaque de actibus malis; hic examinabimus, utrum ad hoc, ut aliquis moraliter inhoneste, & culpabiliter operetur, necessarium sit dictamen conscientiæ, vi cujus judicet, actionem suam hic & nunc esse malam, & prohibitam; an vero sufficiat merum dubium practicum, vi cujus hæreat anceps, & irresolutus circa malitiam, & bonitatem actus ponendi.

493 Dicendum. Actum moralem malum non debet necessario præcedere dictamen conscientiæ judicantis, hunc actum in his circumstantiis esse inhonestum; sed sufficit dubium practicum de actus inhonestate. Ita communissima, unico forte excepto Terillo. Probatur 1 ex illo Apostoli ad Rom. 14 v. ult. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est;* qui textus teste

teste Valentia juxta plerosque Patres, & teste Suario juxta omnes tam Græcos, quam Latinos interpretes facit hunc sensum: Peccatum est non solum id, quod agitur contra fidem, seu dictamen conscientiæ de inhonestate, sed etiam id, quod agitur sine dictamine conscientiæ, sive sine judicio determinato de licentia actionis; atqui actio posita cum dubio practico de illius inhonestate, est sine dictamine conscientiæ, sive judicio determinato de licentia: ergo.

Probatur 2. Qui operatur in dubio practico, 494
sciens, ac volens se exponit manifesto periculo peccandi formaliter, sive violandi legem Divinam hic & nunc obligantem, non minus, ac ille se exponit manifesto periculo occidendi hominem, qui dubitans, utrum in dumeto lateat fera, vel homo, explodit sclopetum; atqui se exponere manifesto periculo formaliter peccandi, est peccatum repugnans charitati DEI, & sui ipsius: charitati DEI, quia est virtualis contemptus legis Divinæ; charitati sui ipsius, quia hac ratione anima conjicitur in discrimen maximi sui mali. Conf. Operans in dubio practico se gerit, ut homo temerarius, non curans, quid mali, vel periculi incurrat, & exercite, ac æquivalenter ita se habet, ac si diceret: Sive hoc sit mihi hic & nunc a DEO prohibitum, sive non, illud faciam.

Objectiones.

Obj. 1. Nemo peccat, nisi agat contra legem 495
DEI cognitam; sed operans in dubio practico non agit contra legem DEI cognitam, quia non judicat, legem DEI existere: ergo Conf. Potest esse, ut lex illa, de cujus existentia dubitat, revera non existat: ergo. Resp. trans. maj. quia actio posita sine determinato judicio de illius licentia, jam non est ex fide. Dist. min. Non agit contra legem DEI cognitam

judicative, conc. min. suspensive, neg. min. Operans cum dubio practico saltem suspensive cognoscit legem directam, de cujus existentia dubitat; dein si talis lex a parte rei non datur, tamen adhuc cognoscit legem reflexam, qua universaliter jubemur servare omnes leges particulares, & non agere in dubio practico, quia non solum dubitat, an actio secundum se sit licita, sed etiam, an hic & nunc non teneatur ab illa abstinere, sive dein lege directa prohibita, sive permissa sit. Ex quibus jam patet responsio ad confirmationem.

496 Dices 1. Potest contingere, ut aliquis de dicta lege universali invincibiliter non cogitet: ergo si lex directa non existit, contra nullam legem agit. Conf. Si rudis aliquis a Parocho audiret, licitum esse, operari in dubio practico, & bona fide crederet, hoc esse verum, non peccaret operando in dubio practico, quia bona fides illum excusaret: ergo. Resp. dist. ant. Ut de illa lege non cogitet formaliter, & explicite, conc. ant. implicite, & sub terminis saltem æquivalentibus, neg. ant. Nam hoc ipso, quod dubitet, utrum hic & nunc peccet, saltem implicite etiam dubitat, utrum non agat contra legem. Casus in confirmationem adductus evertit se ipsum; si enim rudis invincibiliter judicat, se hic & nunc agere licite, revera non amplius datur dubium practicum, utpote quod ex essentia sua dicit suspensionem judicii de licentia actionis hic & nunc ponendæ, consequenter dubium, quod talis per errorem vocat practicum, reipsa est tantum speculativum, seu universale.

497 Dices 2. Si practice dubitans semper etiam cognoscit legem reflexam, nunquam agit in dubio practico, sed lumen naturale ipsi statim dictat, inhonestum esse hanc actionem ponere. Conf. Hæc propositio: Non licet agere in dubio practico, pertinet ad prima principia syntereseos: ergo non potest ignorari, & practice dubitans nunquam peccat ideo,

ideo, quia dubius est, sed quia agit contra dictamen reflexum. Resp. dist. ant. Si legem reflexam semper cognoscit judicative, conc. ant. si illam tantum cognoscit suspensive, neg. ant. Utrum lex reflexa semper cognoscatur judicative, nihil nostra interest; nam ita argumentamur: Qui non judicat, actum suum hic & nunc esse licitum, illum vel judicat esse illicitum, vel saltem practice de illius honestate dubitat: quidquid ponatur, peccat. Ad conf. trans. ant. dist. conf. Ita tamen, ut hoc dictamen reflexum non necessario ad peccandum requiratur, trans. cons. ut sine illo nequeat explicari, quod practice dubius peccet, neg. conf. Conclusio nostra tantum dicit, ad peccatum non necessario requiri judicium determinatum de actionis inhonestate, sed quod sufficiat dubium practicum.

Obj. 2. Vel operans in dubio practico peccat 498 graviter, vel leviter? neutrum potest dici: ergo. Conf. Practice dubitans neque se resolvit ad peccatum mortale, neque ad veniale, sed manet irresolutus: ergo neutro modo peccat. Resp. conc. maj. neg. min. & dico, quod peccet graviter, vel leviter pro qualitate dubii. Si enim practice dubitat, an actio sit graviter peccaminosa, exponit se periculo peccandi graviter: ergo graviter peccat; si vero dubitat, an actio hic & nunc ponenda leviter tantum sit prohibita, solum peccat leviter, quia vel de malitia gravi invincibiliter nihil cogitat, vel positive judicat, nullum illius esse periculum. Ad conf. dist. ant. Practice dubitans se non resolvit ex parte intellectus, conc. ant. ex parte voluntatis, neg. ant. Nam licet non judicet actionem suam esse peccatum, tamen male vult operari, & operatur. Porro dubium est tantum irresolutio ex parte intellectus.

Dices. Ex data Responsione sequeretur, quod 499 dubitans tantum in genere, & in confuso, an actio sua hic & nunc sic peccaminosa, peccet graviter,

 licet

licet nihil cogitet de gravitate, vel levitate malitiæ; ſequela eſt dura: ergo. Conf. Talis ſe exponeret periculo peccandi graviter: ergo. Reſp. neg. maj. Si neque periculum peccandi graviter, neque obligatio gravis ulterius inquirendi advertatur. Nam ſicut ad malitiam actus requiritur aliqua advertentia malitiæ, ita ad gravem malitiam requiritur advertentia malitiæ gravis, vel ſaltem periculum illam contrahendi. Ad conf. diſt. ant. Talis ſe exponeret periculo peccati gravis materialiter, conc. ant. formaliter, neg. ant. & conſ. Quia malitia gravis illi nec cognita, nec voluntaria eſt. Cæterum in praxi raro contingit, ut homo deliberate agens ita præſcindat a gravi, & levi malitia; vel enim a ſua conſcientia multum ab actione retrahitur, & tunc directe, & exercite ſatis videtur agnoſcere malitiam gravem, vel leviter ſolum retrahitur, tunc apprehenditur malitia tantum levis.

500 Quæres. Quam ſpeciem peccati contrahat, qui operatur in dubio practico. Reſp. Illam, quæ ipſi per dubium proponitur; e. g. practice dubitat, an ponendo hanc actionem peccet contra juſtitiam, & illam tamen ponit, hoc ipſo peccat contra virtutem juſtitiæ, cujus violandæ periculo ſe exponit, adeoque contrahit malitiam injuſtitiæ. Neque obſtat, quod forte non exiſtat lex directa, talem actionem prohibens ex motivo juſtitiæ, quia ſaltem lex reflexa, prohibens operari in dubio practico, cum ſit generalis, extendens ſe ad omne dubium practicum, obligat ex motivo ejusdem virtutis, ex quo obligaret lex directa, ſi exiſteret. Sicut enim ipſa lex eſt generalis, ita etiam generaliter compectitur motiva omnis legis particularis. Si iterum ponas a dubitante ſolum cognoſci malitiam in genere, quin de aliqua determinata ſpecie cogitet, peccatum erit ſpeciei innominatæ.

QUÆSTIO

QUÆSTIO II.

An ad actum bonum, & licitum semper requiratur dictamen conscientiæ practicum?

Dicendum. Omnem actum moralem honestum, vel licitum necessario debet præcedere dictamem conscientiæ judicantis, actum illum hic & nunc esse honestum, vel licitum. Communissima. Probatur. Ex una parte quicunque operatur moraliter, id est, libere, & cum advertentia ad regulam moralitatis, semper habet judicium, vel saltem dubium practicum de honestate, vel malitia actionis suæ: ex altera parte ad actum honestum, vel licitum non sufficit dubium practicum, & multo minus dictamen conscientiæ, quod ille hic & nunc sit illicitus: ergo talem actum necessario debet præcedere dictamen conscientiæ judicantis, illum hic & nunc esse honestum, vel licitum. Ant. quoad primum membrum patet; quoad secundum partim constat ex quæstione præcedente, partim ex eo, quia libere agens id, quod hic & nunc judicat sibi esse illicitum, multo magis legem contemnit, & in charitatem DEI, ac sui ipsius peccat, quam qui practice tantum dubitat. 501

Colliges, quod omnis actus moralis difformis conscientiæ practicæ, hic & nunc dictanti, aliquid esse præceptum, aut prohibitum, semper sit peccatum formale, sive dein conscientia sit recta, sive erronea, sive error vincibilis, sive invincibilis. Nam omnis actus difformis ultimo dictamini non est ex fide; hinc Apostolus ad Rom. 14, postquam contra Judæos ostendit, in lege nova nullos esse cibos communes, id est, immundos, & fidelibus prohibitos, v. 14 addit: *Nisi ei, qui existimat aliquid commune esse*; quia videlicet propter hunc ipsum errorem esus talis cibi sit illicitus, quamvis per se licitus sit. Ratio ulterior est, quia voluntas fertur 502

in objectum, prout illud repræsentatur per dictamen rationis: ergo si hoc repræsentat objectum ut præceptum, vel prohibitum, voluntas contrarium agendo amplectitur malum, & in transgressionem legis consentit, gravem vel levem, in hac aut illa specie, quæ ipsi per dictamen rationis proponitur.

Objectiones.

503 Obj. 1. Actum malum non debet necessario præcedere dictamen de illius malitia: ergo neque actum bonum, vel licitum dictamen de ejus honestate, vel licentia, alias DEUS nobis difficilius reddidisset bonum, quam malum. Conf. Ad honestatem vel licentiam actionis sufficit simplex apprehensio de illius honestate, aut licentia: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Disparitas patet ex rationibus pro utraque sententia allatis. Neque inconveniens est, quod DEUS magis difficilia reddat bona, quam mala; nam pariter longe plus tribuit pro bono, quam malo, & bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. Porro major difficultas, quam habemus ad operandum bene, quatenus consistit in defectu, & carentia virium, non provenit positive a DEO, sed ex nostro nihilo. Ad conf. dist. ant. Sufficit simplex apprehensio qualiscunque, neg ant. suasiva, & fundans moralem certitudinem de honestate, & licentia actionis, transf. ant. neg. conf Si enim apprehensio ita firmiter, & suasive honestatem, vel licentiam actionis repræsentat, est judicium virtuale, & omnia illa præstat, quæ per judicium formale præstari deberent.

504 Obj. 2. Si ad actum licitum semper requiritur dictamen conscientiæ, constitutus in perplexitate necessario peccat; talis enim judicat, se peccaturum sive e. g. die festo assistat ægroto omisso Sacro, sive audiat Sacrum deserto ægroto, quorum tamen alterutrum necessario debet eligere. Conf. Omne

pec-

peccatum est contra legem DEI: ergo ad hoc, ut aliquis peccet, non sufficit, quod agat contra conscientiam, si id quod agit, reipsa est juxta legem DEI. Resp. neg. sequelam. Quippe si perplexitas est vincibilis, tenetur, & potest eam deponere, corrigendo errorem circa alterutram partem, quam proin libere sine peccato potest eligere; si autem est invincibilis, post adhibitam sufficientem diligentiam non peccabit, quidquid eligat, quia actus non amplius est moralis, & liber; si tamen unum proponatur ut majus malum, alterum ut minus, tenetur eligere minus; nam ad hoc habet sufficientem libertatem, & quilibet obligatur, ut declinet a malo, quantum potest. Ad conf. conc ant. neg. conf & suppositum, quod talis non etiam agat contra legem DEI, saltem reflexam, qua DEUS prohibet, ne quid agamus contra conscientiam practicam.

Dices. Lex DEI fortius ligat, quam conscien- 505 tia: ergo si DEUS prohibet aliquam actionem e. g. mendacium, conscientia dictans obligationem mentiendi, non potest obligare. Conf. Juxta nos, si quis invincibiliter existimaret, sibi hic & nunc ob periculum lædendi valetudinem illicitum esse actum amoris DEI super omnia, graviter peccaret illum eliciendo: hoc paradoxum: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. & suppositum, quod DEUS actionem illam prohibeat, quam conscientia invincibiliter dictat, esse præceptam; si autem conscientia vincibiliter est erronea; DEUS quidem obligat, ut non agamus contra illam; at non obligat, ut agamus juxta illam, sed ut ea deposita agamus juxta conscientiam rectam. Interim cæteris paribus magis videtur peccare, qui contra talem conscientiam agit, quia suo modo directe fertur in malitiam actionis, operans vero juxta talem conscientiam vincibiliter erroneam solum indirecte, & sæpe ita paratus est, ut actionem non poneret, si judicaret illam esse illicitam. Ad conf. neg. suppositum, quod tali casu elici pos-

 sit

ſit amor DEI ſuper omnia, utpote qui neceſſario, & ſaltem virtualiter includit odium efficax cujuslibet peccati gravis.

506 Quæres. Utrum dictamen practicum de honeſtate vel licentia actionis debeat eſſe abſolutum, vel utrum ſufficiat modale? Reſp. Si dictamen modale ſit tale, ut operans judicet evidens, vel moraliter certum eſſe, quod actus hic & nunc ſit licitus, vel honeſtus, non eſt ratio, quare ejusmodi dictamen non ſufficiat; nam omnes rationes, quibus probatur, ad licite operandum requiri dictamen practicum de licentia, vel honeſtate actionis, plus non evincunt, quam quod iſtud dictamen debeat eſſe excluſivum tum judicii oppoſiti de inhoneſtate actionis, tum dubii practici, aut formidinis moralis; atqui ejusmodi judicium modale, de quo loquimur, hæc omnia ſufficienter excludit. Certe ut quis in aliis negotiis humanis prudenter, & irreprehenſibiliter agat, non raro judicium modale ſufficit, e. g. prudenter quis proſequitur bonum utile qua tale, de quo judicat, illud moraliter certo ſibi profuturum ad propoſitum finem. Quia tamen plerumque ſolemus habere judicia abſoluta de malitia, aut honeſtate noſtrorum actuum, per ultimum dictamen concientiæ ordinarie intelligitur judicium abſolutum.

QUÆSTIO III.

An dictamen ultimum conſcientiæ debeat eſſe evidens?

507 Dicendum. Ad actum moralem honeſtum, vel licitum non neceſſario prærequiritur dictamen ultimum evidens. Ita longe communior præſertim antiquorum contra Eſparz. Ovied. Haunold. Carden. &c. reſpective paucos. Probatur 1. Ex una parte neceſſitas dictaminis evidentis nec ratione, nec auctoritate ſufficienter probatur: ex altera parte experi-

perientia videtur constare, quod ejusmodi dictamen plerumque non habeatur, nec apparet, unde facile haberi possit. Quippe plerumque non potest deduci ex principiis directis, cum innumeræ quæstiones morales de licito, & illicito sint controversæ, de quibus habere evidentiam stricte dictam ordinarie superat conditionem humanam. Ut autem talis evidentia comparetur ex principiis reflexis, plures reflexiones fieri deberent, quæ juxta ipsos adversarios a nobis non sunt discernibiles, & experientia potius clamat, illas non fieri. Plurimi sane, præsertim rudes, dum a viro probo, & docto intelligunt, actum aliquem esse licitum, bona fide, & absque formidine peccati formalis operantur, quin sibi forment evidentia dictamina reflexa.

Probatur 2. Si ex principiis reflexis posset formari dictamen ultimum evidens, tunc isto, vel simili modo: Qui omnibus prudenter, & absque omni passione consideratis judicat, hanc actionem moraliter certo sibi licere, evidenter licite agit; atqui ego omnibus prudenter, & absque omni passione consideratis judico, hanc actionem moraliter certo mihi licere: ergo evidenter licite ago; atqui hoc dictamen non est metaphysice evidens; cum regulariter nemo possit habere evidentiam, quod in inquirenda veritate diligentiam debitam adhibuerit, quod non agatur sinistra quadam mentis affectione, quod nulla penitus mala passio intellectum obscuret, quia experientia compertum est, quod non tantum Dæmon, sed etiam perversæ nostræ inclinationes subdole nobis illudere soleant. Conf. Homines timidi, & anxii, scrupulosi, dum agunt honestissime, non raro pulsantur timoribus latentis malitiæ, nec possunt deponere omnem suspicionem illius: ergo non habent evidentiam de licentia suæ actionis; nam evidentia est incompossibilis cum omni etiam levissima formidine contrarii.

509 Quod si forsan supra allatum dictamen reflexum adhuc aliud formes hoc modo: Quando mihi moraliter certum est, quod omnia rite consideraverim, & judicaverim, hanc actionem certo licere, evidenter licite ago; sed hæc omnia sunt mihi moraliter certa: ergo. Contra est 1. Quia licet aliquis possit esse experimentaliter, & moraliter certus, quod omnia rite consideraverit, necdum metaphysice evidens est, quod hæc certitudo moralis se ipsam semper evidenter manifestet. 2. Quia nec ratio, nec experientia probat, quod ejusmodi dictamen reflexum semper detur, præsertim in rudibus, cum etiam docti raro illud in se experiantur, quando bona fide operantur. 3. Quia homines etiam indoctos in quotidiano exercitio plurimarum actionum ad tales reflexiones adstringere esset durissimum. 4. Quia licet tale dictamen evidens daretur, illud non esset necessarium ad licite agendum; nam modo quis operetur absque morali, & prudenti formidine, jam licite, vel honeste agit.

Objectiones.

510 Obj. 1. Juxta Apostolum *Omne, quod non est ex fide, peccatum est:* ergo ad licentiam actionis requiritur dictamen evidens. Conf. Si dictamen non est evidens, potest conjungi cum formidine oppositi; sed operari cum tali formidine est intrinsece malum: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Tum quia Apostolus hic non loquitur de fide supernaturali, & Theologica; tum quia etiam fides Theologica, licet sit metaphysice certa, tamen non est metaphysice evidens. Ad conf. Dissimulato vitio syllogismi dist. min. Operari cum formidine formali, ac rationabili est intrinsece malum, conc. min. cum formidine solum inani, neg. min. Quamvis aliquis durante formidine solum irrationabili operetur, agit licite; nam ejusmodi inanes apprehensiones sæpe non possunt deponi, & tam parum

ob-

obstant honestati actionis, quam parum actui fidei obstant leves, & involuntarii motus dubitationis.

Dices. Ad licentiam actionis requiritur dictamen exclusivum omnis formidinis, etiam levis, & imprudentis. Nam 1. cap. per tuas 35 de Simonia dicitur, Subdiaconum quemdam scrupulis agitatum, ne Episcopus ordinans esset simoniacus, non debere contra *conscientiam ad superiores Ordines ascendere, nisi deponat errorem, ne forte ædificet ad gehennam.* 2. cap. Inquisitionis tuæ 44 de Sent. Excomm. *Conjux credens ex credulitate levi, & temeraria, adesse impedimentum Matrimonii, jubetur hanc conscientiam prius ad sui pastoris consilium explodere, ut possit reddere, vel petere debitum.* Resp. dist. ant. Si talis formido non consistit in mera apprehensione, sed in vero dubio practico, aut judicio erroneo, conc. ant. secus, neg. ant. Sacri Canones non loquuntur de mero scrupulo proprie dicto, sed de judicio erroneo ex levibus rationibus concepto, ut satis indicant verba: *Credens ex credulitate levi. Nisi deponat errorem*, &c. 511

Obj. 2. Quandocunque aliquis honeste, vel licite, operatur, debet judicare, actum hic & nunc ponendum esse licitum, vel honestum: ergo semper habet dictamen reflexum. Conf. prob. Qui judicat, actum esse licitum, vel honestum, considerat illum ut substantem, & conformem alicui dictamini: atqui judicium considerans actum ut substantem dictamini, est reflexum: ergo. Conf. Per actum hic & nunc honestum intelligitur actus cum omnibus circumstantiis ipsum comitantibus: atqui inter has circumstantias est etiam dictamen præcedens: ergo. Resp. dist. ant. Debet judicare, actum hic & nunc ponendum esse licitum, & honestum objective, conc. ant. formaliter, neg. ant. & conf. Ad actum moralem honestum, & licitum non requiritur, saltem universaliter, ut, antequam ponatur, cognoscatur tanquam habens licentiam, vel honestatem forma- 512

lem;

lem; sed sufficit, modo cognoscatur tanquam conformis legi Divinæ, cum qua cognitione positus primum acquirit honestatem formalem, seu conformitatem cum ipsa etiam conscientia. Ad conf. dist. maj. Intelligitur actus positus cum omnibus circumstantiis, se tenentibus ex parte objecti, & honestatis objectivæ, conc. maj. etiam ex parte intellectus, & honestatis formalis, neg. maj. & sic dist. min. conf.

§13 Dices. Modo dictamen ultimum affirmet, actum ponendum esse honestum objective, jam datur dictamen evidens. Prob. Evidens est, actum stante tali dictamine positum esse conformem ultimo dictamini conscientiæ: ergo evidens est, quod sit honestus. Conf. Qui cum tali dictamine operatur, agit licite, & honeste, ut ponitur: ergo ultimum dictamen, quo judicat, se licite agere, evidenter est verum. Resp. neg. illatum. Ad prob. dist. ant. Talem actum esse conformem ultimo dictamini, est evidens directe, ipsi operanti, & semper, neg. ant. aliquando, & reflexe, trans. ant. & dist. conf. Ergo quod sit honestus, est evidens conditionate, conc. conf. absolute, neg. conf. Quod talis actus sit conformis ultimo dictamini, ad summum est evidens illis, qui hanc conformitatem reflexe considerant, & evidenter penetrant; quod autem revera honestus sit, tantum est evidens conditionate, si nempe ipsum dictamen ultimum non sit culpabiliter erroneum. Ad conf. conc. ant. dist. conf. Ergo ultimum dictamen est evidenter verum, nulla facta suppositione, neg. conf. facta hac suppositione, quod licite agam, quæ tamen ipsa suppositio non est evidens, conc. conf.

§14 Obj. 3. In præsenti statu elevationis omnem actum honestum debet præcedere dictamen prudentiæ supernaturalis; atqui omne dictamen prudentiæ supernaturalis est evidens, utpote essentialiter, & metaphysice certum. Conf. Etiam prudentia naturalis est virtus intellectualis: ergo illius actus sunt evi-

evidentes. Resp. trans. maj. Quia vix probabitur, quod peccator, ne dicam infidelis, sit instructus habitu prudentiæ supernaturalis, & tamen potest elicere actus moraliter honestos, imo etiam supernaturales, modo habeat gratias actuales ordinis supernaturalis. Neg. min. Quamvis actus prudentiæ supernaturalis sint metaphysice certi certitudine infallibilitatis, quatenus sunt essentialiter determinati ad verum; non tamen necessario habent certitudinem adhæsionis, id est, non sunt ita clari, ac firmi, ut omnem formidinem etiam indeliberatam excludant; imo operans non potest evidenter discernere, an eliciat actum prudentiæ naturalis, vel supernaturalis. Ad conf. conc. ant. dist. conf. Ergo illius actus eliciti sunt evidentes, trans. conf. actus regulati, neg. conf. Dictamina conscientiæ sunt tantum conclusiones, & actus regulati prudentiæ; actus autem regulati virtutis intellectualis non semper debent esse evidentes, imo possunt esse falsi, ut patet ex Topica.

Dices 1. Si dictamen ultimum non esset evi- 515
dens, dependeret ab imperio voluntatis; hoc dici non potest, alias voluntas suspendendo dictamen 1 pro libitu se posset liberare ab obligationibus conscientiæ, 2 & facere sibi licitum, quod est illicitum, 3. Imo DEUS non posset imperare obligationem proximam creaturæ, nisi hæc libere consentiret. Resp. conc. maj. neg. min. Nam 1. ut detur obligatio conscientiæ, non semper requiritur dictamen conscientiæ, sed sufficit etiam dubitatio, & formido prudens, cum qua non licet operari, nisi per dictamen reflexum deponatur. 2. Multo minus suspensio judicii sufficit ad operandum licite, & honeste, quia ad omnem actum bonum, & licitum requiritur dictamen conscientiæ, & quidem prudens, ac rationabile, quale non semper pro licentia cujuslibet actionis haberi potest, licet quandoque in potestate voluntatis sit, illud imperare, & dubium practi-

practicum deponere. 3. DEUS potest infundere, vel excitare species, quæ vel inducunt dubium, & formidinem, vel dictamen certum, & evidens; ex utroque autem oritur obligatio omittendi, vel ponendi actum, prout scilicet tanquam honestus, vel inhonestus proponitur.

516 Dices 2. Formalis honestas, vel inhonestas actionis dependet a dictamine practico: ergo si voluntas pro libitu sibi potest formare hoc, vel illud dictamen, pro libitu potest facere, ut actus sit honestus, vel inhonestus. Conf. Voluntas non potest imperare dictamen ultimum, nisi præcedat aliud dictamen, quo illustretur intellectus, & excitetur voluntas ad ponendum imperium: vel ergo dictamen præcedens imperium voluntatis est evidens, vel non? si primum, habetur intentum: si secundum, ergo iterum requiritur imperium voluntatis; & hoc imperium iterum debet præcedere aliud dictamen, & sic in infinitum. Resp. dist. ant. Honestas, vel inhonestas formalis dependet a dictamine practico prudente, conc. ant. imprudente, neg. ant. & dist. conf. Ergo voluntas potest facere, ut actus sit honestus semper, neg. conf. aliquando, ubi videlicet de ejus honestate habet prudens fundamentum, conc. conf. Ad conf. Sicut ad judicandum, ita ad imperandum judicium intellectus videtur sufficere, si præcedant simplices apprehensiones; si tamen necessario præsupponeretur judicium, sufficeret mere speculativum, & remotum, quod e. g. dictaret, objectum ultimi dictaminis, quamvis inevidens, esse dignum assensu; quod judicium evidens sisteret processum in infinitum, quin immediate aliquid de licentia actionis enunciaret, & adversarii suum intentum obtinerent.

QUÆSTIO

QUÆSTIO IV.

An ad honeste, vel licite operandum sufficiat dictamen ultimum probabile, vel probabilius?

Ne in hac, & sequenti quæstione circa vocabu- 517
la hæreamus, notandum 1, Dictamen moraliter certum dupliciter accipi, stricte, & late; Stricte moraliter certum, juxta explicationem num. 487 datam, est judicium inevidens, intellectum tamen per efficaciam sui motivi ita convincens, ut non possit admittere prudentem formidinem de opposito. Late moraliter certum est judicium inevidens de se quidem conjungibile cum prudente formidine oppositi, hic & nunc tamen cum illa non conjunctum, vel quia operans se non reflectit supra fallibilitatem sui motivi, vel quia non apparet grave motivum in contrarium. Nam licet ejusmodi dictamen revera tantum sit probabile, quia tamen est unice probabile, ita, ut nulla detur probabilitas pro opposito, jam accedit ad certitudinem moralem; dum econtra per dictamen stricte probabile intelligitur illud, quod actu cum prudente formidine conjunctum est.

Notandum 2. Formidinem intellectualem divi- 518
di in radicalem, & formalem. Radicalis consistit in ipsa fallibilitate motivi, cui actus innititur; hinc non est proprie formido, sed potius radix, & fundamentum formidinis. Formido actualis, seu formalis est actus intellectus, quo quis se reflectit supra fallibilitatem sui actus, & motivi, & cognoiscit, se versari in periculo errandi præstando assensum alicui objecto. Exprimi solet hoc, vel simili modo: Fortassis tamen res aliter se habet: Fortassis tamen fallor in meo judicio. Differt a Dubio, quia hoc est suspensio judicii, formido autem est reflexio de fallibilitate judicii formaliter, vel realiter a se distincti.

cti. Cæterum formido actualis dicitur moralis, quando est gravis, & prudens, seu, ut alii dicunt, quando intellectus judicat, se versari in periculo errandi non nimis remoto; quando autem formido imprudens, & tantum levis est, vel non nisi periculum errandi valde remotum apparet, solet vocari formido logica, vel metaphysica.

519 Dicendum. Ad honeste, & licite operandum ordinarie, & per se loquendo non sufficit dictamen ultimum mere probabile, aut probabilius cognitum ut tale, gravi videlicet ratione occurrente in contrarium. Ita contra Vasquez, Sanchez, Salas, &c. longe communior cum Suario, Less. Lug. Probatur. Qui operatur cum dictamine mere probabili, aut probabiliore cognito ut tali, cognoscit gravem rationem stare pro sententia contraria, & lege prohibitiva: ergo sciens, ac volens se exponit morali periculo formaliter peccandi, contemnit legem DEI, & virtualiter in peccatum consentit. Nam periculum fundatum in ratione gravi non est periculum quoddam logicum, & valde remotum, sed morale, & propinquum; neque adest necessitas, aut justa causa se exponendi huic periculo, vel nimia difficultas in eo avertendo, quia operans facile potest se magis certificare per dictamen reflexum, ut quæstione sequente videbimus. Conf. Qui agit cum dubio practico, se exponit periculo formali peccandi: ergo etiam qui agit cum dictamine probabili, aut probabiliore cognito qua tali. Quamvis enim talis absolute judicet, se non peccare operando, simul tamen judicat, adesse grave periculum peccandi. Si quis absolute judicat, sub dumeto latere feram, si tamen simul habeat gravem rationem formidandi, ne sit homo, jaculando peccat; & morali periculo homicidii se exponit.

520 Dixi, ordinarie, & per se loquendo; nam aliquando per accidens, & in casu raro ad licentiam actionis potest sufficere dictamen ultimum mere pro-

ba-

babile, & actu graviter formidulosum; fac enim, ut aliquis in casu perplexitatis invincibilis judicet, probabilius se quidem non peccaturum, si die festo assistat ægroto, & omittat Sacrum, ita tamen, ut etiam judicet, oppositum esse probabile, adeoque graviter formidet, ne peccet, quin ipsi incidat ullum dictamen reflexum, quo suam actualem formidinem deponat; si jam ita se resolvat: Quia probabilius non pecco manendo apud ægrotum, volo manere, licet etiam probabile sit, quod peccem, vellemque ego hanc oppositam opinionem libenter præferre, si mihi esset probabilior. Talis cum sua formidine licite agit, quia adhuc se gerit sicut servus prudens, qui conatur venerari legislatorem DEUM, eique meliori modo placere. Aliam adhuc rationem, cur ita perplexus excusetur a peccato, dedimus num. 504.

Objectiones.

Obj. 1. S. Thomas 2 2 q. 70 art. 2 in corpore ait: *In actibus humanis sufficit certitudo probabilis, quæ ut in pluribus veritatem attingit, etsi in paucioribus a veritate deficiat:* ergo ad licite operandum sufficit dictamen probabilius. Conf. Major probabilitas a S. Thoma, aliisque sæpe vocatur certitudo: ergo. Resp. conc. ant. dist. conf. Ergo ad licite operandum sufficit dictamen probabilius remotum, conc. conf. proximum, & ultimum, neg. conf. S. Thomas loc. cit. quærit, an ad condemnandum reum sufficiat testimonium duorum, vel trium testium; & respondet affirmative, quamvis illud non pariat certitudinem demonstrativam, sed solum probabilem. Jam vero hæc probabilis certitudo tantum convenit judicio speculativo, quo judex ob tale testimonium judicat, reum commisisse delictum, cujus accusatur, non vero dictamini ultimo, & practico, quod hic & nunc reus licite pos- 521

sit condemnari; nam hoc judicium est certum, eoquod, ut ibidem S. Doctor addit, Divino, & humano jure institutum sit, ut dicto duorum aut trium testium stetur; si nempe sint omni exceptione majores. Sane ad infligendam pœnam capitalem requiri probationes luce meridiana clariores, nullum relinquentes dubium, an accusatus non sit innocens, omnibus scribis, & leguleis notum est. Ad conf. Sicut S. Thomas in textu objecto τὸ *probabilis* sumit latius, prout opponitur demonstrationi, sic major probabilitas in sensu proprio non potest dici certitudo, si conjuncta est cum gravi formidine oppositi.

522 Obj. 2. Qui operatur ex dictamine probabiliore, vel probabili, operatur prudenter: ergo agit licite, & honeste. Ant. prob. Dictamen probabilius, & probabile est prudens, & nititur motivo gravi, quod virum prudentem movere potest ad irreprehensibilem assensum: ergo. Conf. Dictamen prudens intellectus per se ordinatur ad dirigendos actus voluntatis: ergo si dictamen dirigens est prudens, etiam actus directus est prudens. Resp. dist. ant. Si tale dictamen non sit conjunctum cum prudente, & actuali formidine de inhonestate actus, conc. ant. secus, neg. ant. Ad prob. iterum dist. ant. Dictamen probabilius, & probabile est prudens speculative, conc. ant. semper practice, neg. ant. Nam si conjunctum est cum gravi formidine de inhonestate, non removet morale periculum peccati, consequenter non agit prudenter, qui operatur cum tali dictamine ultimato; cum utique prudens non sit se exponere morali periculo formaliter peccandi. Ad conf. dist. ant. Ordinatur ad dirigendos actus voluntatis aliquo modo, & remote, conc. ant. semper proxime, neg. ant. Eoquod non semper sufficiat ad regulandam praxim absque alio dictamine reflexo, quod formidinem peccati formalis excludat.

Dices.

Dices. Quando dictamen ultimum est probabilius, operans tantum exponitur periculo peccandi materialiter; nam motivum pro parte opposita per majorem probabilitatem ita eliditur, ut formido peccati merito contemnatur tanquam scrupulus. Conf. Operans cum dictamine probabiliore ita tendit: Quia prudenter judico, non dari legem prohibitivam hujus actionis, ideo illam pono, non positurus, si mihi constaret, dari legem prohibitivam: ergo ita operans in nullam consentit inhonestatem, nec ullo modo legem contemnit. Resp. neg. ant. cum ratione addita; quia operans nihilominus cognoscit, esse vere probabile, quod actio sit illicita, & quidem hic & nunc. Quippe cognoscit, pro parte opposita adhuc stare rationem etiam comparative ad motiva probabiliora gravem, quæ alios prudentes posset movere ad assensum, & forte illis videri gravior. Adde, quod sæpe falsa sint probabiliora veris; unde in tali casu formido neutiquam potest contemni tanquam scrupulus. Ad conf. neg. ant. Sed quia agnoscit morale periculum errandi, nec studet suam formidinem, prout posset, deponere, revera ita tendit: Quia prudenter judico, non dari legem prohibitivam hujus actionis, illam pono, licet etiam videam, esse propinquum periculum, ne per hanc actionem legem transgrediar, & DEUM formaliter offendam; ergo volens se exponit periculo peccati formalis. 523

Obj. 3. Nemo tenetur fugere quamlibet occasionem, in qua prudenter timet, se peccaturum formaliter: ergo neque tenetur omittere actionem probabilius licitam, etsi simul prudenter formidet, se peccaturum formaliter. Ant. prob. Quia alias pauci possent licite manere in sæculo, pauciores sequi militiam, exercere mercaturam, &c. Conf. Juxta gravissimos Auctores quandoque per accidens se licet exponere probabili periculo peccandi etiam determinato: ergo. Resp. dist. ant. Si occasio tan- 524

tum est indeterminata, & peccatum sôlum timetur in futurum, trans. ant. si occasio est determinata, & peccatum timetur proxime, ac in præsenti, neg. ant. Occasio peccandi in allatis instantiis tantum est indeterminata, nec provenit ex ipso statu secundum se considerato, sed ex aliis circumstantiis, quæ una cum peccato vitari possunt per generosam, ac constantem voluntatem non peccandi, per orationem, &c. hinc in omni statu reperiuntur homines pii, ac probi. At in nostro casu periculum est determinatum, ac præsens, & qui in illo operatur, non amplius habet medium evadendi peccatum formale, posito, quod actio illa sit peccaminosa. Ad conf. Illi auctores loquuntur de tali periculo, quod sine maxima difficultate non potest evitari, & in quo peccatum adhuc aliis mediis potest declinari.

525 Dices I. Quando datur periculum peccandi solum probabile, etiam probabile est, quod non detur periculum peccandi: ergo licet se tali periculo exponere, saltem juxta illos, qui docent, licitum esse sequi opinionem probabilem. Conf. Licet probabile sit, illum peccaturum, qui pingit die festo, quia tamen etiam probabile est contrarium, potest aliquis se resolvere, quod non sit peccaturus: ergo etiam potest se resolvere, quod non sit peccaturus, quando operatur cum formidine probabili peccati. Resp. neg. ant. Quando ex mea operatione peccatum formale probabiliter secuturum est, periculum peccandi est certum quoad sui existentiam, licet tantum sit probabile quod futuritionem peccati. Unde non debent confundi istæ duæ propositiones: Solum probabile est, dari periculum peccandi; &: Solum probabile est, ex hoc periculo secuturum esse peccatum; sed neque consequentia tenet, quia non licet sequi opinionem probabilem proxime sine dictamine reflexo, & certo; imo nunquam, si actio cedat in contemptum DEI, & damnum spirituale operantis. Ad conf. Trans. ant. dist. conf. Quod non

sit

ſit peccaturus contra legem directam, trans. conſ. contra reflexam, ſubdiſt. ſi formidinem per dictamen reflexum deponat, conc. conſ. ſecus, neg. conſ.

Dices 2. Qui in actionibus politicis ſequitur 526
ſententiam probabiliorem, prudenter agit, licet prævideat periculum probabile alicujus damni: ergo a pari. Conſ. Medicus licite præſcribit medicinam, quam probabilius judicat profuturam, licet probabiliter prævideat non profuturam; & Bellidux prudenter aggreditur hoſtem, quando ſpes victoriæ eſt probabilior. Reſp. trans. ant. neg. conſ. Quando in actionibus politicis e. g. mercatura, & contractibus, prudenter ſequimur probabiliora, habetur ſpes major lucri, quam ſit periculum damni. At qui ſe exponit periculo formaliter peccandi, incurrit damnum ſpirituale, quod longe majus eſt, quam lucrum quodcunque temporale ex aliqua actione proveniens. Præterea periculum peccandi in noſtro caſu ordinarie facile evitatur per dictamen reflexum, in actionibus autem politicis periculum damni tam facile non evitatur, vel nemo prudens ſe illi exponit. Ad conſ. Judicium probabilius de ſalubritate medicinæ, & victoria obtinenda eſt tantum remotum, & ſpeculativum; dictamen vero ultimum poteſt, & debet eſſe certum, ut actio ſit licita, e. g. medicus ita diſcurrit: In defectu pharmaci certo profuturi licite ago, ſi præferam illud, quod judico præ cæteris probabilius; ſed judico &c.

QUÆSTIO V.

An, & quomodo ultimum dictamen practicum debeat eſſe moraliter certum?

Dicendum 1. Ad honeſte, & licite operandum 527
ſufficit dictamen ultimum ſtricte moraliter certum. Probatur. Ad honeſtatem, & licentiam actionis non ſufficit dictamen probabilius cognitum qua tale;

 nes

nec requiritur dictamen evidens evidentia metaphysica, aut physica; nam evidentia petita ab experientia sensuum raro, aut nunquam locum habet in moralibus: ergo requiritur, & sufficit dictamen stricte moraliter certum. Quamvis enim hæc certitudo sit conjungibilis, & quandoque actu conjuncta cum formidine logica, tamen stricte moraliter certus de licentia suæ actionis nec judicat, nec judicare potest, se versari in periculo satis propinquo errandi, sed ad summum videt, absolute non repugnare, ut in suo judicio fallatur; adeoque nec in peccatum consentit, nec periculo morali peccandi se exponit, nec legem Divinam contemnit. Conf. Qui cervum in silva occurrentem tam clare videt in propinquo, ut non possit prudenter dubitare, aut formidare, an non sit homo, non censetur jaculando se exponere periculo homicidii, neque in hoc consentire, aut ullo modo contra leges justitiæ, & charitatis peccare; licet simul advertat, absolute non repugnare, imo etiam naturaliter fieri posse, ut sub specie cervi lateat homo, malo Dæmone suis præstigiis sensibus illudente.

528 Dicendum 2. Ad honeste, & licite operandum etiam sufficit dictamen late moraliter certum. Probatur. Operans cum tali dictamine, neque peccat contra legem antecedentem, quam bona fide, & sine prudenti formidine judicat non dari: nec contra legem consequentem, prohibentem agere cum formidine solum logica: ergo agit licite, & honeste. Ant. quoad 1 membrum videtur patere; quia in tali casu lex antecedens non est satis cognita; quis enim dicat peccare rudes, si absque ulteriore dictamine faciant id, quod a suo Parocho audiunt esse licitum, quin illis incidat ullum dubium, aut metus prudens, ne forte a Parocho decipiantur. Quoad 2 membrum ant. probatur. Quia ejusmodi lex reflexa ne quidem agnoscitur a plerisque doctis, cum tamen deberet esse naturalis; multo minus talis

lis lex agnoſcitur ab ipſo operante, qui formidinem mere logicam, ſi forte occurrat, merito tanquam inanem ſcrupulum rejicit. Sane nemo prudens per hoc abſterretur, ne prodeat in publicum, quia abſolute fieri poſſet, ut a furioſo occidatur, ruina muri opprimatur, &c. Conf. Obligatio vitandi periculum peccati introducta eſt ad minuenda peccata; ſi autem deberet vitari omne periculum utut remotum, & metaphyſicum, potius peccata augerentur, quia hoc foret nimis difficile, præſertim anxiis, & ſcrupuloſis, qui ab ejusmodi imaginationibus vix ſe poſſunt liberare.

Objectiones.

Obj. 1. Judicia hominum in rebus moralibus 529 ſunt plerumque incerta, & mere opinativa; quod enim uni ſapienti videtur verum, alteri apparet falſum, quod uni certum, alteri vix eſt probabile, ut patet legenti Auctores: ergo moralis certitudo ordinarie non poteſt haberi. Conf. Nemo poteſt eſſe moraliter certus, quod de honeſtate actionis judicet ſine paſſione, prava animi affectione, &c. Reſp. diſt. ant. Judicia remota, & ſpeculativa ſunt plerumque incerta, conc. ant. proxima, & practica, neg. ant. & conſ. Dum quis licite agit in materia in utramque partem probabili, actionem, ſaltem apud doctos, ordinarie præcedunt duo dictamina, unum directum, & ſpeculativum, quo judicat de licentia actionis ſecundum ſe, & hoc eſt ſolum probabile: alterum reflexum, & practicum, quo judicat de licentia actionis hic & nunc ponendæ, e. g. in hunc modum: Non pecco, faciendo id, quod omnibus conſideratis mihi videtur probabilius licitum; & hoc dictamen eſſe certum, oſtendemus diſputatione proxima. Ad conf. neg. ant. Qui experitur, ſe procedere bona fide, moraliter certus eſt, quod non agat ex paſſione, & ſi forte fal-

leretur, haberet inadvertentiam, aut errorem inculpabilem.

530 Dices. Saltem rudes, dum honeste, vel licite operantur, non habent, nec facile habere possunt dictamen moraliter certum; cum non appareat, unde sibi semper talia dictamina formare valeant. Conf. Rudes nihil sciunt de subtilitatibus, & reflexionibus scholasticis; imo etiam docti ejusmodi reflexiones in se non experiuntur; quis enim cuilibet actioni plures syllogismos præmittere solet? Resp. neg. ant. Nam etiam rudes interrogati, cur non peccent, sed licite hoc vel illud agant, respondere solent, ideo se non peccare, quia faciunt, quod judicant, sibi esse licitum; hoc autem revera jam est dictamen moraliter certum, saltem late tale. Ad conf. Quamvis rudes nesciant terminos scholasticos, si tamen de honestate alicujus actionis dubitant, vel formidant, revera ad judicia reflexa confugiunt, e. g. cogitando: Quod Parochus mihi dixit, hoc licite facio; Quod alii pii, & prudentes faciunt, etiam mihi licet. Apud doctos non opus est, ut faciant semper discursus formales, sed postquam habitualiter sciunt, licitum esse sequi sententias probabiles, vel probabiliores, sine multis dubiis statim judicant, se hic & nunc licite agere, quin reflexe advertant, quod agant ex judicio reflexo.

531 Obj. 2. Dictamen probabile directum, & reflexum moraliter certum inter se pugnant: ergo non possunt simul stare. Ant. prob. Dictamen directum timide dicit: Probabile quidem est, hanc actionem esse licitam, fortassis tamen est illicita; reflexum vero intrepide affirmat: Hæc actio est certo licita: ergo. Conf. Dictamen reflexum, & directum habent idem objectum; sed circa idem objectum non potest simul stare certitudo, & formido actualis: ergo. Resp. neg. ant. Ad prob. conc. ant. neg. conf. Nam ista dictamina non versantur circa actionem ponendam eodem modo consideratam; sed

dicta-

dictamen directum illam considerat secundum se, reflexum vero prout jam substantem dictamini directo, & ponendam in his circumstantiis. Hinc ad conf. neg. maj. Potest etiam dist. min. Circa idem objectum eodem modo consideratum non potest simul stare certitudo, & formido actualis, conc. min. circa idem objectum consideratum diverso modo, neg. min. Nulla est repugnantia in eo, quod actio secundum se probabiliter videatur esse illicita, in his vero specialibus circumstantiis certo licita; sic mendacium secundum se est illicitum, & tamen ut substans invincibili ignorantiæ est certo licitum.

Dices. Dictamen reflexum debet fundari in 532 dictamine directo, quod est incertum; atqui in dictamine incerto non potest fundari dictamen certum: ergo. Conf. Quælibet cognitio sumit suam certitudinem ex objecto: ergo si dictamen directum non est certum, neque dictamen reflexum potest esse certum. Resp. dist. maj. debet fundari in dictamine directo tanquam aliquo præsupposito, conc. maj. tanquam in motivo, neg. maj. & sic dist. min. cons. Dictamen reflexum pro suo motivo non assumit dictamen directum, sed aliud principium reflexum, e. g. hoc modo: Quia in rebus moralibus plerumque non potest haberi certitudo de licentia actionis secundum se, ideo in praxi certo licite procedit, qui ponit actionem, quam omnibus spectatis judicat, probabilius esse licitam: atqui ego omnibus spectatis judico, hanc actionem probabilius esse licitam: ergo. Ad conf. dist. ant. cognitio sumit suam certitudinem ab objecto proximo, & formali, conc. ant. a remoto, & materiali, subdist. si illud affirmat, conc. ant. secus, neg. ant. & cons. Veritas conclusionis dependet a præmissis; jam vero dictamen directum in posito syllogismo nullam præmissam constituit, neque veritas dictaminis directi, aut objectum illius affirmatur.

533 Obj. 3. Si possumus habere certitudinem moralem de honestate nostrarum actionum, possumus esse certi de statu gratiæ, & nostra justificatione; sequela repugnat Scripturæ, & Tridentino; nam Ecclesiastis 9 v. 1 dicitur: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.* Tridentinum vero Sess. 6 cap. 9 contra inanem fiduciam hominum docet, quemlibet de sua gratia formidare, ac timere posse. Conf. Scriptura nihil sæpius nobis inculcat, quam timorem DEI in operando, & incertitudinem nostrorum consiliorum: ergo. Resp. neg. maj. Quamvis operans sit moraliter certus de honestate hujus individuæ actionis, certus non est, quod antea inter tot occasiones, tentationes, passiones, &c. nunquam peccaverit, agendo in dubio practico, vel cum ignorantia vincibili. Pariter certus non est, an peccata commissa deleverit per seriam pœnitentiam, ad quam requiruntur actus supernaturales; quis autem certus est de supernaturalitate suorum actuum? Porro non desunt præstantes Theologi, qui cum Suario docent, homines insigniter pios in hac vita obtinere quamdam certitudinem latius dictam de statu gratiæ; hinc Scripturam exponunt de certitudine metaphysica, & omnino infallibili; nam etiam Tridentinum in fine capitis citati addit: *Cum scire nullus valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam DEI esse consecutum.* Ad conf. Ex dictis patet, salva nostra sententia quemlibet habere sufficientem causam timendi.

534 Dices. Non tenemur habere certitudinem moralem de bono statu animæ nostræ: ergo neque de licentia singularum actionum moralium. Conf. Minister pœnitentiæ non debet esse moraliter certus de numero, & specie peccatorum, de dolore, & proposito pœnitentis, &c. ergo a pari. Resp. conc. ant. neg. conf. Formido etiam moralis, ne simus destituti gratia sanctificante, nihil nobis nocet, nec per illam peccamus, aut periculo novi peccati exponimur,

quin

quin potius reddimur cautiores, & ad majorem ſecuritatem procurandam incitamur. Ad conf. neg. paritatem. Cum Chriſtus Sacramentum pœnitentiæita inſtituerit, ut ejus adminiſtratio Confeſſariis eſſet tolerabilis, & omnibus ſpectatis melius ſit, hoc ſacramentum quandoque exponi periculo nullitatis, quam reddi moraliter impracticabile, aliunde conſtat, Confeſſarios non obligari ad procurandam certitudinem moralem de qualitate peccatorum, & diſpoſitione pœnitentis. At neutiquam conſtat, quod DEUS permittat operari cum formidine peccati; hinc etiam Confeſſarius debet habere dictamen practicum certum, ſe licite agere abſolvendo pœnitentem, de cujus ſufficiente diſpoſitione probabiliter conſtat.

Obj. 4. Dictamen ultimum, licet ſit ſtricte mo- 535
raliter certum, poteſt habere admixtam formidinem logicam: ergo tunc non licet cum illo agere; alias operans ſe exponeret periculo formaliter peccandi. Conf. Operans in tali caſu ita tendit: Quamvis abſolute ſit poſſibile, ut per hanc actionem peccem, tamen illam pono; atqui hic modus tendendi eſt inhoneſtus, & malus: ergo. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Rationem additam diſt. Operans ſe exponit periculo peccandi valde remoto, & moraliter inſuſpicabili, trans. ant. propinquo, neg. Ejusmodi leves timores de ſola poſſibilitate a prudentibus merito contemnuntur; alias nulli Confeſſario peccata tuto expones, quia poſſibile eſt, ut non ſit rite ordinatus; & ut dicit inſignis quidam Auctor, quoties te video, poſſem metuere, ne ſub larva hominis videam Diabolum. Ad conf. diſt. maj. Ita tendit ex parte, conc. maj. ex toto, neg. maj. Sed quando dicit, poſſibile eſt, &c. addit hæc, aut ſimilia: Quia tamen nullo modo hoc mihi eſt probabile, nec prudenter timere poſſum periculum peccandi formaliter, hanc actionem pono. Ubi vides, quod ita operans nullo modo legem contemnat, aut in peccatum conſentiat.

Obj.

536 Obj. 5. Dictamen late moraliter certum reipsa est tantum probabile, & formidolosum; sed dictamen mere probabile, & formidolosum non sufficit ad licentiam actionis: ergo. Min. prob. Dictamen ad licentiam actionis requisitum semper debet esse verum; hinc Philosophus 6 Ethic. cap. 2 ad actum bonum requirit, *Ut sit ratio vera, & appetitus rectus:* atqui dictamen probabile sæpe non est verum: ergo. Conf. Quælibet opinio theologice probabilis est saltem probabiliter, & apparenter vera: ergo quælibet posset esse ultimum dictamen sufficiens ad licite agendum. Resp. conc. maj. dist. min. dictamen formidolosum actu, & moraliter non sufficit, conc. min. formidolosum tantum radicaliter & logice, neg. min. Ad prob. dist. maj. Dictamen debet esse verum simpliciter, & a parte rei, neg. maj. apparenter, & secundum quid, conc. maj. Qui sine morali formidine judicat, hanc actionem sibi esse licitam, saltem apparenter vere judicat, & hoc ipso ejus dictamen verum est secundum quid, nempe, quod hic & nunc licite agat; esto, quod simul erret in eo, quia judicat hanc actionem esse licitam per se. Hinc S. Thomas q. 119. art. 5 in corpore ait, per accidens fieri posse, ut malum acquirat rationem boni per apprehensionem rationis. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Quia dictamen theologice probabile ordinarie habet adjunctam formidinem actualem, & moralem, vel si per accidens illam non habeat, sequela nihil absurdi continet.

DISPUTATIO V.

De conscientia probabili.

537 Postquam disputatione præcedente actum est de dictamine practico, & ultimo; nunc de remoto, & speculativo erit disputandum; utrum videlicet in materia morum liceat operari

tari juxta opinionem probabilem tanquam dictamen remotum. Nam in rebus, quæ ad mores non pertinent, quilibet ſine peccato poteſt eligere, quod ſibi placet, ſi nullum aliud incommodum ſibi, aut alteri ex tali electione ſequatur, e. g. ex duabus ſententiis Theologicis mere ſpeculativis, *Utrum Chriſtus veniſſet, ſi Adam non peccaſſet*, poteſt tenere hanc, vel illam etiam minus probabilem. Imo quamvis materia quædam particularis ad fidem pertinere videatur, ſi tamen illa necdum eſt certa, ſed inter Catholicos adhuc controverſa, nondum apparet, eſſe illicitum ſequi opinionem minus probabilem. Sic licet alicui minus probabile videretur Beatiſſimam Virginem ſine labe conceptam eſſe, nihilominus ſine piaculo ſententiæ piæ adhæreret.

Aliud eſt circa fidem in genere, ſeu circa veram 538
Religionem, aut dogmata ejus certa. Cum enim ex una parte vera fides neceſſitate medii ſit neceſſaria ad ſalutem, ex altera vero parte Religio Catholica pro ſe habeat ſigna, ac motiva credibilitatis evidentia; pro nulla Religione falſa poteſt dari opinio vere, ac theologice probabilis, neque defectus veræ fidei per ignorantiam invincibilem ſuppleri. Hinc ſi alicui infideli ſecta ſua probabiliter vera appareret, & Religio Catholica tantum æque probabiliter vera, non poſſet apparenti huic probabilitati adhærere, ſed deberet ſequi ſententiam tutiorem, ſimulque obligaretur ad exorandum majus lumen a DEO, qui in neceſſariis nunquam deerit. Unde vides, quare ab Innocent. XI damnata ſit propoſitio 4 Joann. Sanchez: *Ab infidelitate excuſabitur infidelis, ductus opinione minus probabili.*

Materiam morum quod attinet, ſicut nunquam 539
licet facere, quod hic & nunc certo eſt prohibitum, aut omittere id, quod certo eſt præceptum: ita per ſe patet, quod liceat ſequi opinionem magis tutam, quæ favet legi contra libertatem, etſi ne quidem vere ſit probabilis, quia operans juxta illam nulli

exponitur periculo peccandi. Unde tota disputatio ad hoc reducitur, an, & quando liceat operari juxta opinionem probabilem minus tutam, & quidem tunc, si probabilitas immediate versatur circa licentiam actionis, sive circa existentiam legis, non vero tantum supra aliquid aliud e. g. valorem Sacramenti, salubritatem medicinæ, &c. nam quamvis valeat hæc argumentatio: Probabilius est, quod liceat pingere die festo: ergo licite pingo; ab omnibus rejicitur ista: Probabilius est, ibi latere feram, & non hominem: ergo licite explodo sclopetum; disparitas est, quia non obstante vera probabilitate, quæ circa aliud objectum datur, lex actionem prohibens potest esse certa. At vero si ipsa actio probabiliter licita est, hoc ipso non existit certo lex, actionem prohibens. Interim sæpe ex probabilitate alterius objecti erui potest etiam probabilitas de licentia actionis; sic ex eo, quod actio pingendi probabiliter non sit labor servilis, Probabilistæ deducunt, licitum esse pingere die festo.

540 Cæterum circa expositum controversiæ statum quatuor sunt Auctorum sententiæ. 1. Aliqui docent, nemini fas esse sequi sententiam minus tutam, etsi sit longe probabilior opposita, volunt proin, nos semper amplecti debere tutiora, quoties minus tuta non est moraliter certa, & ideo Tutioristæ vocantur. 2. Alii volunt, eligi quidem posse in praxi opinionem minus tutam, manifeste, & notabiliter probabiliorem, non item, quando opposita æqualiter probabilis est. Isti dicuntur Probabilioristæ, aut Rigoristæ. 3. Rursus alii contendunt, licitum esse sequi opinionem minus tutam æque probabilem, non autem quando minus tuta est simul minus probabilis, saltem notabiliter & manifeste. Hos recte dixeris Semi-Rigoristas. 4. Alii denique magis adhuc faventes libertati admittunt, licitum esse sequi opinionem minus tutam, simulque notabiliter minus probabilem, modo adhuc sit vere, theologice, ac etiam

etiam comparative ad ſententiam oppoſitam probabilis. Iſtos vocare ſolemus Probabiliſtas.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit opinio probabilis?

Opinio in genere eſt aſſenſus præſtitus uni parti contradictionis, ſed inevidens, & conjunctus, vel ſaltem conjungibilis cum formidine oppoſiti. Ut ſit probabilis, debet niti motivo gravi, quod videlicet virum prudentem, peritum, & non præoccupatum per ſe loquendo movere poteſt ad irreprehenſibilem aſſenſum. Poteſt autem motivum eſſe grave vel abſolute tantum, quando præciſe ſecundum ſe, & ſeorſim conſideratum eſt magni momenti: vel etiam comparative, quando motivum etiam in comparatione cum motivis oppoſitæ ſententiæ manet magni momenti. Hinc aliqui opinionem probabilem dividunt in abſolute, & comparative talem; quæ tamen diviſio aliis diſplicet, quia, ſi motivum unius ſententiæ per motiva alterius ita enervatur, ut non amplius grave cenſeri poſſit, virum prudentem non poteſt movere ad irreprehenſibilem aſſenſum, uti colligitur ex multis propoſitionibus hæreticis, & damnatis. Unde opinionem theologice probabilem ita definire poſſumus: Eſt aſſenſus incertus, nixus fundamento abſolute, & comparative gravi. 541

Dividitur 1 in probabilem intrinſece, & extrinſece. Probabilis intrinſece dicitur, quæ nititur motivo magni momenti, petito ex ipſa natura rei, puta, ex cauſa, effectibus, proprietatibus rei, &c. Extrinſece probabilis dicitur, pro qua ſtat gravis auctoritas, ſeu judicium virorum gravium, & doctorum ita ſentientium. Equidem hæc auctoritas non videtur movere, niſi in quantum præſumimus, viros doctos 542

doctos non dicere aliquid sine ratione gravi, quia autem illa ratio nobis aliquando est ignota, potius tunc auctoritate, quam ratione movemur. Quod si opinio nitatur simul auctoritate, & ratione intrinseca satis patente, erit simul intrinsece, & extrinsece probabilis. Porro licet per se loquendo copia auctorum plurimum ad probabilitatem alicujus sententiæ conferat; potest tamen contingere, ut quandoque merum numerum sine pondere theologico efficiant, uti quando laborant vitio sinistri affectus, & pertinacis judicii; quando nituntur principio falso, aut addicti partibus in sentiendo non sunt liberi, quando unus alterum tantum sequitur, ut ovis ovem, non tam considerata ratione, quam via, quam alii præcessere.

543 Dividitur 2 in magis, minus, æqualiter, unice, certo, & probabiliter, seu dubie tantum, vel tenuiter probabilem. Magis probabilis est, quæ nititur fundamento majoris momenti, quam opposita. Minus probabilis, quæ nititur motivo minoris ponderis. Æqualiter probabilis, quæ æqualibus. Unice probabilis dicitur, quæ ita gravi fundamento nititur, ut pro parte opposita nulla gravis ratio stet in contrarium. Certo probabilis, de cujus probabilitate certo nobis constat. Probabiliter, seu dubie probabilis, de qua reflexe tantum probabiliter constat, aut dubitatur, utrum gravi fundamento nitatur. Denique tenuiter probabilis vocatur, quæ habet motivum grave tantum secundum quid, absolute autem leve, quod spectatis omnibus non meretur irreprehensibilem assensum. Ex his opinio solum tenuiter, & juxta plures etiam probabiliter probabilis, non censetur esse probabilis theologice, eoquod servire nequeat tanquam prudens, & recta regula ad dirigendos actus honestos; sicut enim non certo nititur motivo gravi, ita non certo fundat ultimum judicium prudens, nec est sufficienter recta, cum aliunde constet, in re morali grav-

graſſari plurimas opiniones falſas, & enormiter laxas ſub ſpecie alicujus probabilitatis.

Dividitur 3 in probabilem quoad ſe, & probabilem quoad nos. Item in ſubjective, & objective probabilem. Probabilis quoad ſe eſt, quæ a parte rei nititur motivo gravi, licet forte ejus pondus a nobis non agnoſcatur. Probabilis quoad nos eſt, quam invincibiliter judicamus, niti motivo gravi, quamvis forte reipſa grave non ſit. Subjective probabilis eſt, cui aliquis ipſemet prudenter poteſt aſſentiri, illam recipiendo in proprio ſuo intellectu, tanquam in ſubjecto. Objective ſolum probabilis eſt, cui aliquis non quidem poteſt abſolute, & prudenter aſſentiri; habet tamen illam pro objecto ſuæ cognitionis, eamque judicat, tali niti motivo, quod ſaltem alios viros prudentes movere poſſit, aut jam moverit ad aſſenſum irreprehenſibilem. Experientia quippe conſtat, quod ſæpe aliquibus etiam doctis, & peritis, id appareat minus probabile aut abſolute falſum, quod aliis æque doctis apparet veriſimilius, vel etiam certo verum, etſi utrique motiva ejusdem ſententiæ diligenter perpenderint. 544

Dividitur 4 in magis, & minus tutam. Magis tuta eſt, quæ operantem magis removet a periculo peccandi etiam materialiter. Minus tuta, quæ magis videtur accedere ad peccatum, vel peccandi periculum, v. g. inter duas ſententias probabiles in materia reſtitutionis, illa, quæ aſſerit, te obligari, eſt tutior, quia reſtituendo certo non peccas: altera, quæ negat, te obligari, eſt minus tuta, quia non reſtituendo potes peccare, ſaltem materialiter. Univerſim loquendo illæ opiniones cenſentur magis tutæ, quæ ſtant pro lege contra libertatem, minus vero tutæ, quæ ſtant pro libertate contra legem. Ubi intelligis, non ſemper illam opinionem eſſe tutiorem, quæ eſt probabilior, eoquod major probabilitas deſumatur ex apparentia majoris veritatis; major autem ſecuritas ex majore conformitate cum 545

lege, vel majore recessu a peccato. Cæterum quid intelligatur per opinionem practice, & quid per speculative probabilem, colligitur ex num. 488. Quamquam in hac materia communius practice probabilis vocetur omnis illa opinio, quæ immediate versatur circa licentiam actionis.

546 Colliges 1. Ad faciendam probabilitatem extrinsecam ordinarie, & per se loquendo non sufficere auctoritatem unius, vel alterius Doctoris etiam moderni, ut constat ex propositione 27 damnata ab Alexandro VIII: *si liber sit alicujus Junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dummodo non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Nec refert, quod talis Auctor sit Doctor Theologiæ; nam alicubi Doctores creantur ex nihilo, aliqui sunt minus versati in moralibus, alii in ferendis sententiis præcipites, singulares, novitatis nimium amantes, &c. Nihilominus 23 Auctores apud Cardenas, & adhuc plures apud Mojam docent, quod aliquando unicus Auctor facere possit sententiam vere, & theologice probabilem, si nempe sit omni exceptione major, id est, si vir sit probus, maturus, & doctus, cui nulla ex sequentibus exceptionibus possit opponi. 1 Quod contradicat alicui principio aliunde certo. 2. Quod nitatur levi, & sophistico argumento. 3. Quod alias docuerit improbabilia, aut communiter rejecta. 4. Quod sit merus compilator, & summista, qui sententias sine debito examine tantum transscribat ex aliis, ad quos non pertinent illi, qui postquam accurate tractarunt Theologiam moralem, suas sententias pro majore commoditate legentis in compendium redegerunt, uti Toletus, Cajetanus, Busenbaum, &c.

547 Colliges 2. Quod etiam propositio falsa possit esse proprie ac comparative probabilis, & successu temporis fieri improbabilis, aut vicissim. Nam 1 per propositionem vere, & comparative probabilem

lem intelligitur illa, quæ nititur motivo absolute, & comparative gravi; atqui talis propositio potest esse falsa, cum juxta commune in scholis effatum, Multa falsa sint probabiliora veris; ut etiam advertit Philosophus 8 Top. cap. 4: *Nihil prohibet, aliqui videri, quæ non sunt, magis, quam vera.* 2. Potest contingere, ut rationes pro aliqua opinione, quæ prius erat vere, & comparative probabilis, omnino enerventur, vel ob novam definitionem Ecclesiæ, vel ob rationem de novo inventam evidentem, aut moraliter certam, vel denique ob detectam aliquam fallaciam prius latentem. 3. Vicissim fieri potest, ut opinio prius improbabilis fiat probabilis, eo quod pro illa de novo inveniatur motivum magni momenti, à motivis opinionis oppositæ non enervatum.

Colliges 3. Quamvis nemo prudens judicare valeat, utramque opinionem ex contradictoriis simul esse veram; potest nihilominus judicare, utramque simul esse probabilem, saltem objective; quia utraque pars potest niti tam gravibus fundamentis, ut quibusdam doctis, & peritis ista, aliis altera videatur probabilior; hinc sæpissime pro utraque parte ab integris scholis disputatur, objicitur, & solvuntur argumenta: tali ergo casu tertius aliquis potest judicare, utramque partem esse probabilem tam intrinsece, quam extrinsece. Profecto Auctores gravissimi, qui paulo modestius scribunt, licet in quæstionibus incertis unam ex sententiis oppositis amplectantur tanquam sibi probabiliorem, non raro addunt, etiam sententiam oppositam esse probabilem: ergo utramque simul esse probabilem judicant. *Duæ*, inquit S. Augustinus in Psalm. 10, *de luna sunt opiniones probabiles, harum autem quæ vera sit, aut omnino non, aut difficillime arbitror, posse hominem scire.* 548

Objectiones.

Obj. 1. Quando dicimus, quod opinio probabilis sit, quæ nititur motivo gravi, quod potest vi- 549

rum prudentem movere ad irreprehensibilem assensum, definimus genus per speciem, nempe per probabilitatem extrinsecam; hoc ineptum esse, vel tirones logicæ noverunt. Conf. In explicando motivo gravi recurrimus ad prudentes, & in discernendo prudente viro ab imprudenti recurrimus a motivum grave, dicentes, quod ille sit vir prudens, qui non movetur motivo tantum levi; ergo sit circulus. Resp. neg. maj. Quamvis auctoritas prudentum sit aliquod indicium, ex quo tanquam a posteriori colligi potest, an ratio aliqua in se habeat vim movendi ad irreprehensibilem assensum, ipsa tamen definitio, & motivum grave in genere, de quo in illa sit mentio, adhuc præscindit a probabilitate intrinseca, vel extrinseca, vel potius utramque includit. Ad conf. neg. ant. quoad 2dum membrum. Per prudentes hic intelliguntur, qui sunt periti, & apte dispositi ad judicandum circa materiam, de qua agitur, nec alias ferre solent judicium, nisi omnibus utrinque rite consideratis; quod nobis constat per famam, communem persuasionem, propriam experientiam, & ipsum modum agendi, quo tales viri rem aliquam tractant.

550 Dices 1. Vel motivum probabile debet esse grave respectu omnium prudentum, vel tantum respectu aliquorum: neutrum potest dici. Conf. Academia Parisiensis, & Lovaniensis, faventibus omnibus Episcopis Gallicanis, damnarunt has propositiones: *Auctoritas unius probi, & docti reddit opinionem probabilem.* Item: *Ex auctoritate unius tantum potest quis opinionem amplecti, licet a principiis intrinsecis falsam, & improbabilem existimet.* Resp. & dico, ad motivum vere probabile sufficere, quod saltem aliquos, aut multos prudentes ad assensum notabiliter inclinet, quin ab aliis multis reputetur prudente assensu indignum, aut contra se habeat auctoritatem, vel rationem convincentem. Imo, ut opinio aliqua sit probabilis solum subjective, & respecti-

ſpective ad aliquem intellectum, ſufficit, quod ipſum omnibus utrinque conſideratis notabiliter ad aſſenſum inclinet, & hic & nunc nullum motivum certum in contrarium occurrat; ſic rudes ſæpe movet ſola auctoritas Parochi, Concionatoris, &c. Ad conf. Ipſimet dicimus, in taxanda auctoritate non tantum ad numerum, ſed etiam ad qualitatem Auctorum attendi debere, nec univerſaliter quemlibet Auctorem facere ſententiam probabilem.

Dices 2. Saltem melius diceretur, illud eſſe 551
probabile, quod fere ſemper contingit; nam ſi motivum ſæpius connexum eſt cum falſitate, quam cum veritate, non poteſt movere ad irreprehenſibilem aſſenſum. Hinc S. Thomas opuſc. de fallaciis cap. 2 ex Ariſtotele 1 Top. cap. 1 opinionem probabilem ita deſcribit: *Probabilia dicuntur, quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel ſapientioribus.* Conf. Licet ratio gravis, & auctoritas e. g. 20 doctorum ſæpius connectatur cum vero, quam falſo, id tamen non procedit, ſi totidem Doctores contradicunt, vel alia ratio æque gravis, aut gravior pugnat in contrarium. Reſp. diſt. ant. Quod fere ſemper contingit formaliter, & quoad ſuam veriſimilitudinem ſpectatum, trans. ant. materialiter, & præciſe objective ſpectatum, neg. ant. Sæpe objectum probabile eſt neceſſarium, vel ſingulare, & utraque pars juxta communiſſimum in ſcholis loquendi modum probabilis; in quibus caſibus allata definitio non procedit, ſi de ipſo objecto materialiter ſpectato intelligitur, conſequenter debet ſumi formaliter, hoc ſenſu: Probabile eſt, quod tantam habet apparentiam veritatis, ut omnes illi æquales in unum collectæ ſæpius cum veritate conjungantur, quam cum falſitate; cum igitur aſſenſus fundati in motivo gravi ſæpius ſint veri, quam falſi, clarius probabilitas per motivum grave definitur. Ad conf. diſt. ant. Hoc non procedit, ſi tantum fiat comparatio cum hoc determinato objecto, & mo-

 tivo

tivo contrario, conc. ant. si comparatio fiat cum tota serie motivorum fallibilium, & cum omnibus objectis, quæ vi illorum affirmantur, neg. ant.

552 Obj. 2. Una ex contradictoriis semper est falsa; ergo nequit utraque esse probabilis; nam implicat, ut in tali casu utrumque motivum sæpius connectatur cum veritate, & alias propositio falsa posset fieri moraliter certa. Conf. Certitudo simpliciter talis requirit veritatem in objecto; ergo etiam probabilitas simpliciter talis, utpote quæ non tantum debet fieri in ordine ad intellectum, quem movet, sed etiam in ordine ad objectum, quod repræsentat. Resp. conc. ant. neg. cons. & suppositum, quod motivum etiam comparative grave debeat sæpius connecti cum veritate circa hoc determinatum objectum, sed sufficit, si per se loquendo sæpius connectatur cum vero, & in concursu motivi contrarii retineat magnam vim inclinandi intellectum. Alteram rationem additam dist. Propositio falsa posset fieri moraliter certa simpliciter tam quoad nos, quam in se, neg. tantum secundum quid, & quoad nos, conc. Cum denominationes desumantur a plerumque contingentibus, & raro aliqua falsitas appareat moraliter certa, ad certitudinem simpliciter talem merito requiritur certitudo tam quoad nos, quam in se, seu ipsa veritas in objecto. Econtra falsum sæpe apparet probabile, imo probabilius. Hinc ad conf. conc. ant. neg. conf. Rationem additam dist. Debet attendi ad objectum tanquam ad terminum sub specie veritatis repræsentatum, conc. quasi objectum non possit esse probabile, nisi sit verum, neg.

553 Dices 1. Motivum probabile debet esse vere grave; atqui pro falsitate non potest haberi motivum vere grave, tum quia nulla opinio falsa habet motivum, quod de se meretur assensum, tum quia motivum grave debet servire ad ostendendam veritatem; alias etiam hæretici possent habere veram

pro-

probabilitatem circa suos errores. Conf. Quod est tale præcise ob errorem, & malam dispositionem intellectus, non est vere tale; atqui motivum pro opinione falsa tantum est grave per errorem, & malam dispositionem intellectus: ergo. Resp. conc. maj. neg. min. cum utraque ratione addita. Per motivum vere, & non tantum apparenter grave intelligitur illud, quod non tantum apparet habere, sed reipsa habet vim magnam inclinandi intellectum prudentis ad assensum, qualia motiva sæpe stant pro opinione falsa, quin reipsa in hoc determinato objecto veritatem ostendere possint, vel vicissim a motivis contrariis certis elidantur, sicut per certitudinem fidei eliduntur apparentes rationes hæreticorum. Ad conf. conc. maj. dist. min. Motivum pro opinione falsa est grave per errorem, & ex mala dispositione intellectus causaliter, conc. min. repræsentative, & formaliter, neg. min. Quamvis intellectus ob infirmitatem suam erret, si falsum absolute affirmet tanquam verum, non tamen formaliter errat in eo, quod falsum judicet esse probabile, & gravi nixum fundamento.

Dices 2. Saltem si motiva opposita sunt æqualia, vel notabiliter majora, motivum minus non amplius potest esse grave. Probatur. In primo casu intellectus neutri parti potest assentiri, in altero motivum fortius elidet debilius: ergo motivum minus non amplius habet vim movendi, consequenter nunquam utraque pars contradictionis potest esse probabilis. Conf. Si unus dicat, se vidisse Petrum domi, alter vero æqualis auctoritatis affirmet, se eodem tempore vidisse in foro, ne quidem possum judicare, utramque propositionem esse probabilem: ergo a pari. Resp. neg. ant. Ad prob. dist. ant. quoad 1 membrum. In concursu talium motivorum intellectus neutri parti potest assentiri tanquam veræ, trans. ant. tanquam probabili, neg. ant. quoad hoc membrum, & simpliciter quoad alterum. 554

Ad conf. trans. ant. neg. conſ. Si verum eſt antecedens, tunc ideo, quia motivum pro utraque parte eſt omnino ſimile, & unum alterum directe proſternit; cum enim uterque teſtis ſolum alleget propriam auctoritatem, & viſum, certum eſt, quod alteruter fallatur, aut fallat, adeoque deſtituatur gravi auctoritate. At vero quando concurrunt motiva diſſimilia, non ſcio, alterutri deeſſe ſufficientem vim movendi, ſed potius ſcio contrarium. Idem eſt, quando graves Doctores docent ſententias contrarias, nituntur enim rationibus diverſis.

555 Obj. 3. Juxta nos propoſitiones ab Alexand. VII, & Innocent. XI damnatæ tanquam ſcandaloſæ, & pernicioſæ, antecedenter ad hanc damnationem fuiſſent vere probabiles; nam aliquæ nitebantur gravi auctoritate, ita, ut teſte Camargo omnes fere docuerint propoſitionem 55tam damnatam ab Innocentio: *Communionis annuæ præcepto ſatisfit per ſacrilegam corporis Domini manducationem*; atqui hoc dici non poteſt, quia ejusmodi propoſitiones non primum ſunt factæ pernicioſæ, & ſcandaloſæ per damnationem, ſed ideo damnatæ ſunt, quia jam antea tales erant. Conf. Ignorantia non poteſt facere propoſitionem probabilem: ergo. Reſp. diſt. ant. Iſtæ propoſitiones fuiſſent vere probabiles quoad ſe, neg. maj. quoad nos, & reſpectu illorum, qui inculpabiliter ignorabant argumentum enervans illorum fundamenta, conc. maj. Ad veram probabilitatem quoad nos non requiritur, ut motivum reipſa non poſſit elidi per argumenta contraria, ſed modo actu non elidatur, jam non tantum apparenter ſed vere movet ad aſſenſum prudentem. Unde licet iſtæ propoſitiones jam antea fuerint ſcandaloſæ, & pernicioſæ reſpectu illorum, qui argumenta probabilitatem enervantia non ignorabant, poterant ſine peccato formali in praxim deduci ab illis, qui inculpabiliter cenſebant eſſe probabiles. Ad conf. diſt. ant. Ignorantia non poteſt facere ſen-

tentiam probabilem directe, conc. ant. indirecte, quatenus motivum aliquod ob ignorantiam alterius contrarii habet vim movendi, neg. ant. & conſ.

Dices. Si ejusmodi propoſitiones antecedenter 556
fuiſſent probabiles, fuiſſent recta regula morum: hoc abſurdum; cum utique Pontifex non poſſit facere, ut, quæ anno præterito erat recta regula morum, hoc anno non ſit talis; ſicut non poteſt facere, ut ulna, quæ hoc anno eſt recta menſura, non ſit amplius recta anno ſequente. Conſ. Nulla doctrina eſt probabilis niſi ſit tuta, & ſana; atqui doctrina falſa non eſt tuta, & ſana; decipit enim, & ſeducit. Hinc S. Thomas in cap. 4 epiſtol. ad Timoth. ſolam illam doctrinam pro ſana agnoſcit, quæ non habet admixtam falſitatem. Reſp. trans. maj. quæ ad modum loquendi pertinet, diſt. min. Si regula illa maneat eadem, & nullo modo mutetur, conc. min. ſecus, neg. min. Ut aliqua opinio ſit recta regula morum, debet ſaltem eſſe comparative probabilis, adeoque debet dari negatio Pontificiæ prohibitionis, quæ ſicut per ipſam prohibitionem tollitur, ſic poſt illam regula non amplius manet eadem. Ad conſ. conc. maj. neg. min. Etſi doctrina falſa reipſa intellectum decipiat, & a vero abducat, ſi tamen invincibiliter proponitur ſub ſpecie veri, tanquam ſana tenenda eſt. Quis enim dubitet, quod S. Thomas, & Bonaventura proponant ſanas doctrinas, licet ſæpe unus alteri contradicat. Porro Angelicus loco objecto loquitur de doctrina fidei.

Cæterum totum argumentum debet ſolvi a ple- 557
risque adverſariis, qui docent, ad licentiam operandi ſufficere opinionem probabiliorem; cum enim illa propoſitio de annua Communione ante decretum Innocentii plerisque viſa ſit probabilior, vel abſolute vera, ut fatetur acerrimus in hac materia noſter adverſarius, quæro 1. An hæc propoſitio ante damnationem fuerit vere probabilis. 2. An ſola ignorantia illam probabilem fecerit. 3. An tunc

jam fuerit ſcandaloſa, & pernicioſa. 4. An ideo Pontifex mutaverit regulam morum. 5. An ſaltem licite potuerit in praxim deduci. Profecto ad has quæſtiones nihil melius poterunt reſpondere, quam quod a nobis dictum eſt; aut ſi quid aliud afferant, idem etiam nobis ſerviet. Illud adhuc noto, adverſarios denominationem Probabile, Irreprehenſibile &c. male transferre ad objectum; cum principaliter ad cognitionem pertineat, ſicut denominationes Evidens, Clarum, Obſcurum, &c. alias quælibet propoſitio vera eſſet probabilis, & omnis propoſitio falſa improbabilis, eoquod illius objectum in ſe non eſſet dignum affirmatione, atque aſſenſu, quod eſt contra receptiſſimum modum loquendi in ſcholis.

558 Quæres. Utrum intellectus opinioni æque probabili, vel etiam minus probabili poſſit abſolute aſſentiri tanquam veræ? Negant id fieri poſſe, ſaltem prudenter, multi & graves Auctores, tum quia nulla adeſt prudens ratio potius amplectendi hæc motiva, quam alia æque, vel magis veriſimilia, tum quia nulla potentia poteſt operari extra ſuum proprium, & ſpecificativum objectum: ergo voluntas non poteſt imperare intellectui, ut ſub ratione veri præferat unum alteri, niſi detur major apparentia veritatis; alias aliquis poſſet prudenter judicare, ſtellas eſſe numero pares. Nempe æqualitas motivorum eſt ipſum dubium fundamentale, quod ſine apparentia majoris veritatis tam parum poteſt tolli, quam parum in bilance poteſt fieri aſcenſus, vel deſcenſus, niſi ex una parte habeatur majus pondus. Adde, quod per ejusmodi aſſenſum intellectus exponeretur manifeſto periculo erroris; quis autem voluntati tribuat imperium tam deſpoticum, ut intellectum ad proprium malum impellere valeat?

559 His non obſtantibus ſententia affirmativa Maſtrio, Lugoni, Cajetano, Valentiæ, aliisque multis videtur probabilior, ſaltem tunc, quando ex parte voluntatis accedit aliud motivum, ob quod aſſenſus

alium·

aliunde apparet melior futurus propter bonum, quod inde resultat in voluntatem, totumque suppositum operans, vel alienum. Nam 1 aliunde videtur constare, intellectum in obscuris subjectum esse voluntati; hinc in tractatu de fide communiter docent, quod actus fidei sit meritorius, quatenus subjacet libero imperio voluntatis, 2. Ad assensum objecto præstandum non requiritur veritas realis, sed tantum apparens, seu motivum grave, quo posito intellectus jam non fertur extra proprium suum, & specificativum objectum. Quod si insuper accedat aliud pondus, ob quod assensus repræsentatur aliunde melior futurus, habetur sufficiens, & prudens ratio tollendi dubium; nam prudentia assensus non tantum debet desumi ex bono, quod redundare potest in intellectum, sed partialiter etiam ex bono, quod inde resultat in voluntatem, vel totum aliquod suppositum; & hac ratione sufficienter compensatur malum, quod forte intellectus incurrit.

Confirmatur hæc posterior sententia valide; Voluntas inter duo bona æqualia prudenter potest eligere utrumlibet, etsi bonitas, quam intendit, tantum detur in alterutro eorum indeterminate, modo de quolibet determinate sumpto verisimile sit, eam bonitatem ipsi inesse. Ut si viator constitutus in bivio certo scit, unam tantum viam ducere ad suum terminum, alterum vero ab eodem abducere: ergo etiam intellectus ex imperio voluntatis potest prudenter assentiri utrilibet ex duabus partibus contradictoriis, quamvis sciat, non utrique inesse veritatem, modo utraque sit vere probabilis, qualis probabilitas non habetur pro pari, aut impari numero stellarum. 2. Ipsa charitas nobis imperat, ut actiones proximi in meliorem partem interpretemur, si non satis constat, quo animo factæ sint. Hinc S. August. lib. 2 de serm. Domini in monte in illa verba Christi: *Nolite judicare, & non judicabimini*, ait: *Hoc loco nihil aliud nobis* 56

nobis præcipi existimo, nisi ut ea, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. 3 Similiter Ascetæ passim cum S. Ignatio docent, ad perfectionem obedientiæ valde expedire, si, cum dubium nobis apparet, utrum res a superiore præcepta sit prudens, aut licita, non solum voluntatem, sed etiam judicium nostrum illius judicio conformemus. Plura videri possunt apud P. Rassler in Norma recti disput. 3 q. 4.

QUÆSTIO II.

An in operando liceat sequi opinionem probabilissimam, probabiliorem, aut unice probabilem minus tutam?

561 Dicendum 1. Licet in operando sequi sententiam probabilissimam minus tutam relicta opposita tutiore. Ita communissima, & certa tam veterum, quam recentiorum contra Joann. Synichium, Libertum Fromondum, Wendrochium, Arnaldum, & paucos alios. Probatur 1. Alexandr. VIII ad coercendum nimium rigorem Tutiorismi damnavit hanc propositionem Synichii: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam:* ergo vera est ejus contradictoria, licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam, & quidem minus tutam, ut colligitur ex materia subjecta, & circumstantiis; cum enim ex una parte hæc propositio fuerit damnata in eo sensu, quo a Synichio in Saule Exrege tradita, ab aliis impugnata, & ad sedem Apostolicam delata fuit: ex altera parte nemo unquam, nec ipse Synichius, dubitaverit, quin liceat sequi opinionem probabilissimam tutiorem, vel probabilissimam inter duas, quarum neutra esset tutior, damnatio propositionis prorsus fuisset inutilis, nisi intelligeretur in sensu a nobis allato. Conf. Summi

Pon-

Pontifices ſæpe docent, conſulunt, aut reſpondent juxta ſententias minus tutas, licet non ſint moraliter certæ. Sic octo Pontifices diſpenſarunt in Matrimonio rato nondum conſummato: alii in ſolenni voto caſtitatis, quorum primum fieri poſſe negat Scotus, & S. Bonaventura, alterum S. Thomas cum ſuis, utrumque plurimi alii graviſſimi Auctores apud Thomam Sanchez.

Probatur 2. Obligatio ſemper ſequendi tutiorem, quando minus tuta non eſt moraliter certa, ex una parte eſſet difficillima, ex altera parte a paucis agnoſcitur: ergo non datur. Ant. prob. quoad ſingula membra. 1. Cum in moralibus admodum raro habeatur evidentia, aut moralis certitudo ſpeculativa, in plerisque teneremur ſequi tutiora, & frequentiſſime ſub jactura ſalutis obſervare leges difficillimas probabiliſſime, & reipſa non exiſtentes, quod eſſet jugum intolerabile, & occaſio innumerorum peccatorum mortalium, quorum evitatio a fragilitate humana ſperari non poſſet; ut adeo tam difficilis obligatio potius noxia, quam utilis foret. 2. Hæc obligatio ab omnibus fere Doctoribus, ipſisque Summis Pontificibus ignoratur, cum tamen deberet eſſe juris naturalis, & ſpectaret ad prima principia, vel ſaltem ipſis eſſet propinqua, utpote regula innumerarum actionum. 3. Nullum habetur ſufficiens fundamentum tam gravem obligationem adſtruendi, ut patebit ex ſolutione objectionum. Conf. Quando operanti rite omnibus perpenſis opinio minus tuta eſt probabiliſſima, prudenter poteſt judicare, non dari legem prohibitivam talis actionis: ergo lex prohibitiva illi non eſt ſufficienter intimata, conſequenter in actu ſecundo non obligat, ſive a parte rei detur, ſive non detur. 562

Dicendum 2. Licitum eſt in operando ſequi ſententiam minus tutam notabiliter probabiliorem. Ita rurſus contra paucos communiſſima, adeo, ut Terillus merito dicat, hanc ſententiam eſſe moraliter 563

liter certam; pugnant enim pro illa eædem rationes, quæ pro præcedente. Nam 1 etiam in hanc conſpirant omnes ferme Doctores, Confeſſarii, Congregationes Cardinalium, Epiſcoporum, & Summi Pontifices, qui docent, reſpondent, ac diſpenſant ſecundum ſententias probabiliores minus tutas. Sane diſpenſari poſſe in Matrimonio rato, & in voto ſolemni caſtitatis, ad ſummum videtur eſſe notabiliter probabilius. 2. Etiam hæc obligatio eſſet difficillima, quin ſatis agnoſcatur, aut probari poſſit, neque lex prohibens ſatis eſt intimata, ſi probabilius non datur. 3. Opinio notabiliter probabilior in æſtimatione morali cenſetur probabiliſſima; ſi enim iſta deberet accipi in ſenſu ſtricto pro ea tantum, quæ ſummum probabilitatis gradum attigit, licentia ſequendi probabiliſſimam fere inutilis foret, cum nemo determinare valeret, quænam ſit probabiliſſima. Certe ex licentia ſequendi probabiliſſimam ruit præcipuum adverſariorum fundamentum, quod non liceat operari cum formidine ſpeculativa peccati.

564 Probatur 2. Si non liceret operari juxta ſententiam probabiliorem minus tutam, 1. Turpiſſime erraſſent innumeri viri doctiſſimi, ac piiſſimi, qui a temporibus Magiſtri ſententiarum per ſexcentos, & amplius annos in materia morum plurimas tradiderunt opiniones minus tutas, nec tamen moraliter certas, easque tanquam in praxi licitas fidelibus propoſuerunt. 2. Comburendi eſſent omnes ferme libri tractantes de materia morum, quia paſſim traderent perniciosas, & peſtilentes doctrinas, nempe opiniones incertas, & minus tutas. 3. Ineptæ eſſent conſultationes circa res morum controverſas; nam hoc ipſo, quod Doctores inter ſe controvertant, non habetur certitudo moralis. 4. Juriſconſulti, Theologi, Confeſſarii, &c. ſine gravi piaculo nunquam poſſent decidere juxta ſententias minus tutas utut probabi-

liores. 5. Pœnitentes tuta conſcientia non poſſent abſolvi, ſi nollent ab uſu talium opinionum abſtinere; imo niſi moraliter certi eſſent de ſtatu gratiæ, non poſſent accedere ad ſacram Synaxim; atqui iſtæ ſequelæ ſunt intolerabiles. Conf. Quamvis doctrina S. Thomæ plurimum ſit æſtimanda, nequit ſine jactantia affirmari, quod omnes ipſius ſententiæ minus tutæ ſint moraliter certæ, quando oppoſitum tenent graviſſimi Auctores cum S. Bonaventura, Scoto, &c. ergo ſectatores S. Thomæ non absque gravi culpa potuiſſent in ipſius verba jurare, ſed deberent ab illo recedere, quoties talem opinionem tradidit.

Dicendum 3. Licet in operando ſequi ſententiam minus tutam unice probabilem. Concluſio licet a plerisque Doctoribus ſub his terminis non tradatur, non eſt minus certa, quam præcedentes; ſi enim licite ſequimur ſententiam minus tutam probabiliſſimam, aut probabiliorem, etſi conjuncta ſit cum actuali formidine oppoſiti, multo magis licite operamur, quando de licentia actionis nullum habemus prudens dubium; tunc enim opinio æquivalet morali certitudini, quæ juxta dicta num. 528 etiam ſufficit pro dictamine ultimo. Ratio ulterior eſt, quia lex invincibiliter ignorata non obligat; atqui quando ſententia tutior, ne quidem eſt probabilis, ſeu prudenter affirmabilis, lex invincibiliter ignoratur, utpote quam in tali caſu neque ſcire poſſumus, neque ſcire tenemur. Accedit, quod rudes frequenter non poſſint habere dictamina ſtricte moraliter certa, adeoque adſtringerentur ſub jactura æternæ ſalutis ad ſervandas leges nonnunquam difficillimas, de quarum exiſtentia ne quidem haberent prudentem formidinem; certe Princeps humanus ſubditos non cenſetur velle tam rigide obligare. 565

Ex allatis probationibus colliges 1, controverſias de licentia ſequendi opiniones probabiles potiſſimum ad hæc duo reduci; An in ejusmodi caſibus 566

lex

lex antecedens prohibens actionem fit sufficienter intimata, vel saltem detur lex consequens, quæ in talibus circumstantiis ad tutiora obliget; neutrum in quæstione præsenti dici posse, ostendimus. Hinc 2, licet lex antecedens prohibens actionem minus tutam forte a parte rei daretur, quia tamen non est sufficienter intimata, & DEUS per legem consequentem in his circumstantiis operari permittit, operans se tantum exponit periculo peccandi materialiter, quod licitum esse rursus patet ex nostris probationibus. Neque obstat, quod operans speculative dubitet, aut formidet, ne hæc actio forte sit prohibita; nam 3 stante hoc dubio, & formidine potest formare dictamen ultimum practicum hoc modo: Quoties mihi omnibus rite consideratis probabilissimum, notabiliter probabilius, vel unice probabile apparet, actionem aliquam esse licitam, licite illam pono; sed omnibus rite consideratis probabilissimum, probabilius, vel unice probabile mihi videtur, hanc actionem, e. g. hunc contractum esse licitum: ergo licite illam pono; in quo discursu major est quidem nostra sententia, sed moraliter certa, & per praxin totius orbis Christiani approbata, minor ponitur in casu, & cuilibet ab experientia nota esse debet.

Objectiones.

567 Obj. 1. Christus Matth. 7 v. 13 ait: *Latam, & spatiosam esse viam, quæ ducit ad interitum, angustam vero portam, & arctam viam, quæ ducit ad vitam*: atqui ista melius non possunt explicari, quam per severam obligationem sequendi tutiora; hinc etiam Spiritus sanctus Proverb. 16 v. 25 monet: *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad interitum.* Conf. Christus Joann. 14 v. 6 de se dixit: *Ego sum veritas*, & nunquam dixit: *Ego sum probabilitas*: ergo sola veritas excusat a peccato. Resp. conc. maj. neg. min. Via salutis

etiam ſtante noſtra ſententia manet ſatis arcta, & porta anguſta, quia nihilominus facile aberratur a ſemita juſtorum propter innumera intrinſeca, & extrinſeca incitamenta malorum, contra quæ continuo viriliter pugnare debemus, ne violemus leges certo exiſtentes. Textus ex Proverbiis additus vel loquitur de via voluptatis, ambitionis, avaritiæ, &c. quæ multis videtur recta, id eſt, conveniens eorum cupiditati; vel de illis, qui non adhibent debitam diligentiam in inquirenda veritate; ideo etiam ſcriptura ſollicite nos monet, ut fugiamus errorem, caveamus a falſis Prophetis, &c. Interim ipſe Chriſtus ait Matth. 11. v. 30: *Jugum meum ſuave eſt, & onus leve*, quod Tutioriſtæ nimium aggravant. Ad confir. retorqueo: Chriſtus nullibi dixit: *Ego ſum ignorantia* invincibilis: ergo iſta non excuſat a peccato. Item Chriſtus tantum dixit: *Ego ſum panis*, & non dixit: *Ego ſum piſcis*: ergo non licet comedere piſcem.

Dices. Judæi a tempore Moyſis usque ad Chriſtum putarunt, eſſe probabiliſſimum, quod liceat uxoribus dare libellum repudii, quia id aperte permiſerat Moyſes Deuteron. 24. nec aliunde colligere poterant, hanc permiſſionem ſolum procedere pro foro externo; atqui Judæi repudiantes uxorem peccarunt, ut conſtans Patrum traditio concluſit ex verbis Chriſti Matth. 19 v. 8: *Moyſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores.* Confir. Lex talionis, qua permittebatur ſumere vindictam privatam, oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. videbatur juſta, & tamen fuit reprobata a Chriſto Matth. 5. Reſp. Neg. maj. vel min. Si enim vera eſt major, nego, Judæos peccaſſe, quia invincibilis ignorantia illos excuſavit; ſi vero peccarunt, nego, ipſis probabiliſſimum fuiſſe, libellum repudii eſſe permiſſum etiam pro foro interno, quippe contrarium ipſis conſtare poterat ex traditione. Porro Theologi recentiores, & antiqui circa hoc punctum in diverſas ſenten- 568

tias abeunt. Scotus, Durandus, Caramuel defendunt, libellum repudii probabilius fuisse licitum. S. Thomas in 4 distinct. 33 q. 2 art. 2 utramque opinionem problematice proponit, quod non fecisset, si constans haberetur Patrum traditio. Ad confir. Pœna talionis Judæis tantum fuit permissa, si illam petebant a legitimo Magistratu, & ex amore justitiæ, ad alios a similibus malefactis absterrendos; unde solum fuit injusta, si facta est auctoritate privata, & ex odio. Cæterum Christus legem illam, ut alias judiciales, sustulit.

569 Obj. 2. SS. Patres passim docent, nos sequi debere veritatem, & traditiones Divinas, non privatas opiniones hominum, ut patet ex testimoniis citatis a Thyrso Gonzalez de recto usu opin. probab. dissert. 3 v. 2. Patres hanc Quæstionem Generalem, quid agendum sit in casu majoris, vel etiam æqualis probabilitatis, nunquam attingunt, multo minus ex professo examinant; in materiis vero particularibus aliquando mitius, aliquando severius loquuntur, pro diversa rerum exigentia. Insuper multa dicunt more Oratorum per piam exaggerationem, præsertim in homiliis, & sermonibus ad populum. Neque statim indicant præceptum, sed sæpe aliqua proponunt per modum consilii. Certe Patres a Thyrso citati parum favent Tutioristis, aut Rigoristis. Nam S. Clemens Epistol. 5 ad discipulos, quam refert Gratianus can. Relatum distinct. 37, solum asserit, scripturas sacras non privato sensu, sed juxta majorum traditionem accipiendas esse; imo non est certum, an hæc epistola sit Clementis, & incorrupta. S. Cyprianus epistol. 74 ad Pompejum tantum docet, ad divinæ traditionis originem recurrendum esse in iis, in quibus habetur traditio divina. At non omnes quæstiones morales ex scriptura definire possumus. Lactantius lib. 3 Instit. Divin. cap. 13 ait quidem, *Non debere nos trahi potius auctoritate, quam veritate, ne æterna pœna immineat, si nos persona inanis, aut*

aut falsa opinio decipit; sed Lactantius nec inter Sanctos, nec inter Ecclesiæ Patres numeratur, & ejus opera a Gelasio Papa relata sunt inter apocrypha; imo idem Lactantius cap. 26 asserit, *stultissimum esse, præceptis velle parere, quæ utrum vera sint, an falsa, dubitatur*.

Dices 1. S. Augustinus libr. de utilitate credendi cap. 11 ait, *Tria dari in homine, intelligere, credere, & opinari*, & addit: *Primum semper sine vitio est, secundum aliquando, tertium nunquam*. Lib. 1 contra Donatistas cap. 3 docet, *Graviter peccari in rebus ad salutem pertinentibus, vel hoc solo, quod certis incerta præponantur*; & cap. 5: *Efficere id, quod incertum est, an sit peccatum, peccatum est*; Homil. vero 50 monet: *Tene certum, dimitte incertum*. Resp. S. Augustinus in primo loco opinionem sumit pro judicio temerario, ut colligitur ex verbis præcedentibus: *Tria sunt hominum genera profecto improbanda, & detestanda; unum opinantium, qui se arbitrantur scire, quod nesciunt*. In altero loco incerta, & dubia accipit pro iis, quæ ne quidem sunt veræ, & comparative probabilia. Nam agit contra eos, qui, licet certi essent de doctrina Catholicorum, & decreverint illi adhærere, tamen apud Donatistas ad tempus volebant suscipere sacramenta, & ab unitate Ecclesiæ manere separati, frustra reclamantibus Catholicis, non esse licitum a schismaticis Sacramenta, utut valida, recipere, *Quorum sententiam, ut ait S. Doctor, Donatistis anteponendam esse, certum habet*. Item: *Si utrum recte illic posset accipi, dubitares, etiam illuc transeundum esse dubitares*. In tertio loco loquitur de illis, qui pœnitentiam differunt usque ad terminum vitæ, hortaturque, cum nunc habeant certum tempus pœnitentiæ, ne illam differant usque ad tempus incertum. Porro lib. 22 contra Faustum cap. 75 ipsemet docet, milites recte obedire Principi bellum gerenti: *Cum quod jubetur, non esse contra legem Dei certum est, vel utrum sit, certum non est*. 570

571 Dices 2. S. Thomas Quodlib. 8 q. 6 art. 13 tractans quæstionem, an liceat habere duplicem præbendam, ait: *Illud autem, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam.* Quodl. 9 q. 7 art. 15: *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur, quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto.* Quodl. 3 q. 4 art. 10: *Nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri.* Resp. S. Doctor in istis locis agit de errore vincibili, quando videlicet non adhibetur diligentia sufficiens ad indagandam veritatem, aut alicui Magistro creditur contra manifestum scripturæ testimonium, vel auctoritatem Ecclesiæ. Nam ipsemet tum in Summa, tum Quodl. 8 q. 8 art. 15 aperte docet, quod conscientia invincibiliter erronea a peccato excuset; & Quodl. 3 pro exemplo peccantium adducit illos, qui fuerunt secuti Arium, aut Nestorium. Neque obstat, quod tali modo Quodl. 8 non solverit quæstionem de duabus præbendis; nam utique directe illam non solvit, sed tantum agit per principia reflexa, postea tamen Quodl. 9 ait, posse concurrere circumstantias, in quibus licite duæ præbendæ acceptentur.

572 Obj. 3. Ut aliquis honeste & licite operetur, debet habere judicium certum de honestate, vel licentia actionis, & exclusivum formidinis de opposito; atqui tale judicium non habet, qui operatur ex opinione probabiliore, vel etiam probabilissima, cum utraque possit esse falsa, & non raro fallat. Confir. Dictamen reflexum, & practicum non excludit dictamen directum, nec illud immutat: ergo neque excludit formidinem peccati. Resp. Dist. maj. Debet habere judicium certum ultimum, & practicum, conc. maj. etiam remotum, & mere speculativum, neg. maj. & sic dist. min. neg. cons. Ad confir. conc. ant. dist. cons. Ergo dictamen reflexum non exclu-

dit

dit formidinem mere speculativam, conc. conf. practicam, neg. cons. Quamvis operans formidet, ne forte suum dictamen speculativum sit falsum, & actio contra legem antecedentem, quia tamen habet ex principiis reflexis certitudinem moralem, quod hic & nunc vi legis consequentis sibi liceat hanc actionem ponere, de honestate suæ actionis satis est certificatus, probabilitas autem dictaminis speculativi illum a peccato solum excusat aliquo modo remote, quatenus ob hanc probabilitatem potest facere dictamen reflexum, ac certum de licentia actionis.

Dices 1. Si cum dictamine practico adhuc manet formido speculativa peccati, operans se exponit periculo formaliter peccandi, & virtualiter contemnit legem Dei. Probatur. Ita operans deliberate agit contra legem Dei, & virtualiter ita dicit: Quamvis prudenter timeam, ne ponendo hanc actionem peccem, tamen illam pono. Confir. Qui dubitat de licentia actionis in genere, hoc ipso etiam dubitat de licentia actionis particularis hic & nunc ponendæ; nam rationes particulares continentur sub universalibus. Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. ant. Agit contra legem Dei hic & nunc obligantem, ac sufficienter intimatam neg. ant. non sufficienter intimatam, nec proxime obligantem, conc. ant. Talis ita tendit: Quamvis forte detur lex antecedens prohibens e. g. pingere die festo, quia tamen mihi non est sufficienter intimata, & moraliter certus sum, quod hic & nunc non obliget, sed per legem consequentem Deus hanc actionem permittat, illam pono; quæ tendentia nullum omnino contemptum legis continet. Ad confir. neg. ant. vel dist. Dubitat de licentia actionis particularis, an sit licita secundum se & per se, conc. ant. an sit licita solum per accidens, & in his circumstantiis, neg. ant. & conf. Vid. num. 531. 573

Dices 2. Tali modo operans cum conscientia probabiliore posset actionem ponere sine alio dictamine reflexo; nam etsi forte ageret contra legem 574

 reipsa

reipsa existentem, tamen non ageret contra legem hic & nunc obligantem; imo posset aliquis licite operari cum dubio practico; si enim lex prohibens non est sufficienter intimata, quando dubitatur de licentia actionis secundum se, neque erit sufficienter intimata, si dubium est de licentia actionis hic & nunc ponendae. Confir. Judicium reflexum nihil mutat in objecto: ergo si actio non est licita secundum se, non potest fieri licita per dictamen reflexum. Resp. Neg. utramque sequelam. Licet in nostro casu lex non sit sufficienter intimata ad inducendam obligationem proximam, & absolutam, obligat tamen ad omissionem actionis remotae, & conditionatae, si nempe non formetur aliud dictamen reflexum de licentia actionis hic & nunc ponendae, adeoque si hoc dictamen omittatur, obligatio remota, & conditionata transit in obsolutam; nam dubium speculativum necessario post se trahit practicum, nisi hoc excludatur per dictamen reflexum. Ad confir. conc. ant. dist. cons. Ergo actio per dictamen reflexum non potest fieri licita secundum se, conc. cons. licita per accidens, neg. cons. Nam dictamen reflexum nobis applicat legem Dei reflexam, per quam actio in his circumstantiis permittitur.

575 Obj. 4. Ex opinione probabiliore vel probabilissima tanquam ex dictamine remoto, non potest deduci dictamen ultimum moraliter certum. Prob. Dictamen ultimum ex tali opinione deductum deberet esse conclusio alicujus discursus, in quo opinio illa esset aliqua praemissa; nempe hoc minor: Sed omnibus rite consideratis mihi probabilissimum, vel probabilius videtur, hanc actionem esse licitam: sed talis conclusio non potest esse moraliter certa; alias conclusio esset certior, quam praemissae. Confir. Judicium directum & reflexum deducuntur ex iisdem principiis: ergo unum non potest esse certius altero. Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. maj. Opinio illa esset aliqua praemissa objectiva, conc. maj. praemissa-formalis

malis, neg. maj. Minor dictaminis reflexi non affirmat sententiam probabiliorem tanquam absolute veram, sed tanquam probabiliorem, nec actionem hic & nunc ponendam præcise considerat secundum se, sed ut jam substantem dictamini speculativo absoluto: Hæc actio est licita. Unde dictamen speculativum tantum constituit præmissam objectivam; veritas autem conclusionis dependet a veritate præmissarum formalium. Ad confir. neg. ant. Nam dictamen reflexum partim nititur experimentali certitudine de nostro judicio directo, partim nostris probationibus, quibus ostendimus hoc principium: Licet sequi sententiam notabiliter probabiliorem, vel probabilissimam, esse moraliter certum.

Dices 1. Quod liceat sequi sententiam probabilissimam, vel probabiliorem, negant viri graves, & docti: ergo hæc nostra sententia non est moraliter certa. Confir. Damnationi propositionis, *Non licet sequi inter probabiles probabilissimam*, satisfit dicendo, quod liceat sequi probabilissimam in materia juris positivi, vel quando illa unice est probabilis. Resp. Conc. ant. neg. conf. Paucorum adversariorum auctoritas a communissima auctoritate nostræ sententiæ, & praxi totius orbis Christiani ita enervatur, ut comparative non sit gravis, præsertim quia afferimus rationes tam solidas, quas solvere non possunt; dum econtra illi nihil afferant, cui non facile respondeatur, & insuper plerique fundentur in falso supposito, quod non detur ignorantia invincibilis juris naturalis, vel quod non excuset a peccato formali. Ad confir. neg. ant. Pontifex damnavit doctrinas in Belgio disseminatas; in Belgio autem tantum erat controversia de jure naturali, & sententia comparative probabilissima, ut colligitur tum ex verbis, tum ex fundamentis præcipuis adversariorum, quod non liceat operari cum formidine peccati, neque ignorantia excuset. Sane ipse Synichius, teste Raslero, admisit, quod in materiis, quæ non sunt juris naturalis,

576

quandoque liceat ſequi ſententiam probabilem minus tutam, relicta tutiore.

577 Dices 2. In rebus temporalibus majoris momenti, circa ſanitatem, honorem, bona fortunæ, &c. nemo prudenter agit juxta opinionem probabiliorem minus tutam, e. g. ſumendo medicinam, quam judicat probabilius non nocituram, probabiliter tamen nocituram: ergo idem dicendum in rebus animæ. 2. Qui amico porrigeret hauſtum probabilius ſalutarem, attamen cum prudenti formidine, quod ſit mixtus veneno, peccaret in legem amicitiæ; & eodem modo male ageret, qui exploderet ſclopetum cum probabili ſuſpicione, quod feriat hominem: ergo a pari. Reſp. trans. ant. neg. conſ. Diſparitas eſt, quia in rebus temporalibus, & phyſicis neque major probabilitas, neque dictamen reflexum impedit damnum reale, ſi opinio reipſa eſt falſa; at probabilitas major, & dictamen reflexum de licentia actionis impedit damnum animæ; nam etſi forte opinio ſit falſa, & exiſtat lex directa actionem prohibens, hæc lex operantem proxime non obligat, neque inducit peccatum formale; materialis autem transgreſſio legis nec vitam, nec ſanitatem animæ tollit, neque adverſatur amicitiæ divinæ. Adde, quod in allatis caſibus probabilitas non immediate cadat ſupra licentiam actionis, & aliunde certum ſit, quod vitam propriam, aut alienam non liceat exponere probabili periculo ſine graviſſima cauſa. Ex quibus ſatis etiam patet reſponſio ad ſecundum.

578 Dices 3. Reverentia ſupremi Legislatoris, & ſubjectio creaturæ exigit, ut non ſolum vitemus peccata formalia, ſed etiam transgreſſiones materiales legis antecedentis, alias fruſtra eſſet lata; atqui transgreſſio materialis legis antecedentis neque per majorem probabilitatem, neque per dictamen reflexum evitatur. Confir. Qui inter homines non omittit actionem, de qua prudenter formidat, utrum non diſpliceat amico, non ſincere agit cum amico, etſi

inde

inde nullum damnum amico immineat: ergo. Resp. dist. maj. Exigit, ut vitemus transgressiones legis antecedentis materiales, in quantum debemus adhibere debitam diligentiam in inquirenda existentia legis, conc. maj. quasi illam etiam debeamus observare, si post adhibitam sufficientem diligentiam non est sufficienter intimata, subdist. exigit hoc exigentia convenientiæ, transf. maj. præcepti, neg. maj. Qui sequitur tutiora, utique non raro melius facit, sed ideo non statim peccat, qui sequitur minus tuta, neque transgressio tantum materialis legum DEUM positive offendit, inhonorat, aut ad indignationem provocat. Ad confir. dist. ant. Si dubitet practice, conc. ant. si mere speculative, subdist. quando aliunde scit, quod amicus rationabiliter exigat, ut in tali casu sequatur tutius, conc. ant. secus, neg. ant. & conf. Quod DEUS stricte non exigat, ut sequamur semper tutiora, satis, puto, ostensum est.

QUÆSTIO III.

An in dubio de existentia legis liceat sequi partem minus tutam?

Quoniam Tutioristæ; & Rigoristæ plerumque se fundant in illo principio juris: *In dubio tutior pars est eligenda*, expedit hujus principii examen reliquis de Probabilismo quæstionibus præmittere. Equidem dubium in sensu latiore non nunquam vocatur omne illud, quod est incertum; in sensu autem stricto est hæsitatio, vel suspensio mentis inter utramque partem contradictionis ob apprehensum periculum erroris, ut explicavimus num. 210. Dividitur præcipue in dubium positivum, & negativum. Positivum est, quod oritur ex rationibus invicem contrariis pro utraque parte vere probabilibus, ac de se sufficientibus ad prudentem assensum, vel dissensum, qui tamen hic 579

& nunc suspenditur. Negativum oritur ex defectu, vel insufficientia rationum ad prudentem assensum, vel dissensum. Quodsi pro neutra parte adsunt ullæ rationes, appellari potest dubium mere negativum; ut si dubito, an stellæ sint numero pares, an Turcarum Imperator modo sedeat, vel ambulet, &c. si vero adsunt motiva non prorsus contemnenda & saltem sufficientia ad prudenter dubitandum, dubium erit non pure negativum; ut si quis recordetur, se habuisse tentationem ad pravam delectationem, & agnoscens magnam suam fragilitatem incipiat dubitare, an delectationi consenserit.

580 Dicendum. Si dubium speculativum de existentia legis adhibita sufficienti diligentia non potest vinci, non tenemur sequi partem tutiorem, ita contra multos antiquos, & Recentiores Tutioristas, & Rigoristas S. Antonin. Suarez, Ovied. Tanner. Laym. Lug. aliique plurimi. Probatur 1. Ex una parte obligatio sequendi tutiora, quoties omnibus consideratis dubitatur, an existat, vel non existat lex, est valde gravis & onerosa: ex altera parte non sufficienter probatur: ergo non debet adstrui. Ant. quoad 1 membrum patet. Cum enim dubia in moralibus occurrant plurima, juxta adversarios teneremur non raro observare leges difficillimas, reipsa non existentes. 2dum membrum colligitur ex eo, quia hæc obligatio nec deducitur ex jure naturali, utpote plurimis doctissimis, & piissimis incognita; nec ex jure positivo; quippe tam jus Canonicum, quam Civile potius hanc obligationem negat; sic juxta regul. 15 de regul. Jur. in 6: *Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Juxta 30: *In obscuris minimum est sequendum.* Juxta 57: *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, interpretatio est facienda.* Consonat l. 9 ff. de regul. Jur. *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.* l. 18 ff. de Legibus: *Benignius leges interpretandæ sunt.* l. 10 ff. de reb. dubiis: *In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet.*

Pro-

Probatur 2. Lex nulla, licet a parte rei exiſtat, 581
proxime obligat, quamdiu operanti citra illius culpam nondum eſt ſufficienter applicata; atqui illi, qui invincibiliter dubitat, utrum lex exiſtat, lex nondum eſt ſufficienter applicata: ergo. Maj. conſtat ex recepta doctrina S. Thomæ 1 2 q. 90 art. 4, ubi ait: *Lex imponitur per modum regulæ, & menſuræ, regula autem, & menſura imponitur per hoc, quod applicetur ei, qui regulatur, & menſuratur; unde ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat, oportet, quod applicetur hominibus, qui ſecundum illam regulari debent.* Min. prob. Illi lex non eſt ſufficienter applicata, qui non habet notitiam legis; ſed invincibiliter dubitans de exiſtentia legis non habet notitiam legis: ergo Major rurſus eſt S. Thomæ, qui loc. cit. ita pergit: *Talis applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum* (qui per legem obligantur) *deducitur ex ipſa promulgatione.* Minor videtur patere ex terminis; cum utique neceſſaria ſuſpenſio judicii non ſit proprie, & ſimpliciter notitia, ſed potius privatio aut carentia notitiæ; alias dici poſſet, quod dubitans ſimul habeat notitiam de exiſtentia legis, & non exiſtentia legis, ſeu quod ſimul noverit legem dari, & non dari. Confir. In dubio invincibili non eſt ſufficienter nota negatio legis: ergo neque exiſtentia legis.

Probatur 3. Lex invincibiliter ignorata non obligat; atqui quando habetur dubium invincibile de 582
exiſtentia legis, lex invincibiliter ignoratur; nam ut rurſus S. Thomas 1 2 q. 76 art. 2, & alibi ſæpius docet, ignorantia in genere, prout præſcindit a vincibili, & invincibili, conſiſtit in negatione, vel privatione ſcientiæ. Certe qui habet dubium negativum de exiſtentia legis, proprie dicitur ignorare legem, adeo, ut præcipui ex adverſariis ægre ferant, quod dubium negativum ſimpliciter vocetur dubium, cum potius ſit mera neſcientia, ſeu ignorantia.

At

At si aliquando admittunt, in dubio negativo licere amplecti partem minus tutam, non est sufficiens ratio, cur id negent in dubio positivo; nam in utroque casu voluntas vel nulli, vel æquali periculo agendi contra legem exponitur. Confir. Quia in dubio de existentia legis libertas manet in possessione; nam antequam oriretur dubium, certo erat in possessione, & ob ignorantiam legis licite ponere poterat actionem, de qua modo dubitatur; atqui certa possessio non tollitur per superveniens dubium, sed *in pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis.* Regul. 65 de regul. Jur. in 6.

583 Ex his rursus patet, quod in casu dubii invincibilis de existentia legis neque lex antecedens, neque consequens sit sufficienter intimata, & proxime obliget; dictamen vero ultimum ita formari potest: Quandocunque omnibus rite consideratis mihi notabiliter probabilius est, actionem aliquam hic & nunc esse licitam, prudenter, ac licite illam pono; sed omnibus rite consideratis mihi notabiliter probabilius est, quod actio minus tuta, quando invincibiliter dubito de existentia legis, sit licita: ergo licite illam pono; atqui nunc invincibiliter dubito, utrum e. g. licitum sit pingere die festo: ergo. In hoc discursu major est moraliter certa, ut patet ex quæstione præcedente; minor probata est hac quæstione, & cuilibet experimentaliter nota est, uti etiam minor subsumpta. In idem recidit hoc dictamen: Lex, quam probabilius, & absolute judico, non dari, me non obligat; sed probabilius, & absolute judico, non dari legem reflexam, vi cujus in casu invincibilis dubii de existentia legis debeam sequi partem tutiorem: ergo.

Objectio-

Objectiones.

Obj. 1. Juxta S. Scripturam in dubiis debemus sequi tutiora. *Ante omnia opera verbum verax praecedat te, & ante omnem actum consilium stabile*, Eccli. 37 v. 20. *Omnia probate, quod bonum est, tenete: ab omni specie mali abstinete vos*, 1 ad Thess. 5 v. 20. *Qui amat periculum, peribit in illo*, Eccli. 3 v. 27. Confir. In antiquo testamento Judaei in dubiis debebant recurrere ad summum Sacerdotem, ut patet ex cap. 17 Deutr. v. 8. ergo a pari. Resp. Neg. ant. Ex primo textu tantum probatur, quod non liceat operari in dubio practico; si enim formatur dictamen reflexum, jam habetur verbum verax, & consilium stabile. In 2do loco Apostolus hortatur fideles, ut abstineant ab omni specie mali, seu peccati formalis, & praesertim, ne temere credant iis, qui prophetias jactant, & instare propediem judicium extremum denunciant. In tertio iterum loquitur de periculo peccati formalis; imo operans cum dictamine reflexo, ne quidem amat periculum peccandi materialiter, licet illud subeat. Ad confir. transf. ant. neg. conf. Judaei tunc debebant recurrere ad summum Sacerdotem, quando poterant, ut in parva regione potuisse supponebatur; consequenter habebant dubia vincibilia. At nos saepe versamur in dubiis invincibilibus, neque summum Pontificem possumus accedere; imo Pontifex dubia, pro quibus utrinque stant graves Auctores, non facile decidit. Argumentum probaret, quod neque in dubio negativo, nec cum opinione probabiliore liceret minus tutum agere. 584

Dices. Non est paritas inter dubium negativum, & positivum. Nam 1. dubium negativum non est proprie dubium, sed potius nescientia. 2. Non est prudens, ac rationabile. 3. Hinc prudenter contemnitur. 4. Nam in illo ne quidem apparet probabile periculum agendi contra legem. Resp. Neg. ant. 585

ant. Nam 1. noſtra paritas non fundatur in vocabulo dubium negativum, ſed in re, quod nempe in neutro caſu poſſim prudenter judicare non dari legem, adeoque in utroque vel nullum, vel æquale ſit periculum peccandi. Interim graviſſimi Auctores cum S. Thoma noſtro modo loquendi utuntur. 2. Quamvis in dubio negativo non detur ſufficiens fundamentum judicandi, datur tamen prudens ratio ſuſpendendi aſſenſum, ſcilicet ipſe defectus rationum ad prudens judicium. 3. Dubium negativum in ordine ad practice eligendam partem minus tutam ſolum ideo poteſt prudenter contemni, quia ſtante illo poteſt formari dictamen reflexum moraliter certum de licentia actionis hic & nunc ponendæ; ſed tale dictamen etiam poteſt fieri in dubio poſitivo. 4. In utroque caſu periculum eſt certum quoad ſui exiſtentiam, in neutro quoad ipſam transgreſſionem legis, de qua dubitatur; ſed ſicut poſitive dubitans habet majorem rationem pro exiſtentia legis, ſic etiam habet majorem rationem pro non exiſtentia legis, adeoque in nullo caſu datur ſimpliciter major notitia legis.

586 Obj. 2. Sacri Canones expreſſe ſtatuunt, quod in dubio tutior pars ſit eligenda; ſic cap. Ad audientiam 12 de homicidio: Sacerdos in dubio, an commiſerit homicidium, dicitur irregularis, & arcetur a miniſterio altaris: *Quia in hoc caſu tutius eſt ceſſare ab officio, quam temere celebrare, pro eo, quod in altero nullum, in reliquo magnum periculum timeatur.* Idem habetur cap. Petitio tua. & cap. ſignificaſti eodem. Denique cap. Illud dominus. 5. de Clerico excommunicato, reprobatur factum Epiſcopi Hildeshemienſis, qui cum dubitaret de excommunicatione in ſe lata, nihilominus Divina celebravit. Confir. Quando jura dicunt, in dubio mitiora eſſe ſequenda, ſolum loquuntur de foro externo, vel de legibus pœnalibus, ut inſtruantur Judices in ferenda ſententia. Reſp. Diſt. ant. Quod in dubio practico, vel ſpeculativo vincibili tutior

tior pars sit eligenda, conc. ant. in dubio speculativo invincibili, subdist. si dubium non immediate cadit supra existentiam legis, vel in aliqua materia id specialiter præceptum est, conc. ant. secus, neg. ant. Ad confir. neg. ant. Tum quia textus a nobis citati loquuntur universaliter, & tam a Canonistis, quam Theologis extenduntur etiam ad forum internum, tum quia Canones objecti sunt pœnales, utpote agentes de irregularitate ex delicto; consequenter argumentum probaret, quod ne quidem in legibus pœnalibus, aut dubio facti liceat sequi mitiorem partem.

In Cap. Ad audientiam, Clemens III specialem legem statuit, ut homicida incurrat irregularitatem, 587
etiam in dubio, an ipse sit causa secutæ mortis, idque partim ob periculum scandali, quod in hoc casu timendum erat, partim ob specialem reverentiam erga SS. Sacrificium. Ex quo neutiquam sequitur, quod hæc obligatio jam fuerit data antecedenter, aut extendi debeat ad omnes alias materias; neque enim rationes legum sunt lex. Eadem responsio servit ad cap. Petitio tua. 24. & cap. Significasti 16. in quibus pariter est dubium de homicidio patrato. Imo cap. Petitio tua, non obscure indicat, quod antecedenter ad speciale statutum potius sit consilium, quam præceptum, ut in dubio sequamur tutius; nam ita habet: *Cum sit consultius in ejusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare.* Quod attinet factum Episcopi Hildeshemiensis, qui non petita licentia Ecclesiam Hildeshemiensem reliquerat, & Herbipolensem occuparat, illud ob Innocentio III reprobatum fuit, quia habuit dubium vincibile; cum enim illi excommunicatio innotuerit per famam, & quidem lata jussu, & auctoritate Summi Pontificis, facile potuisset veritatem cognoscere, simulque intelligere, quod Pontifex ob notorietatem facti noluerit præmittere trinam monitionem, quo posito excommunicatio fuisset certa,

neque

neque ejus obligatio per excusationem, aut exceptionem dubiam eludi potuit.

588 Dices. Pontifices in citatis capitulis hoc principium: In dubio tutior pars est eligenda, adhibebant tanquam regulam generalem, & æqualiter aptam ad decidendos quoslibet alios casus; ergo hoc principium procedit universaliter. Confir. Clerus Gallicanus in conventu habito anno 1700 damnavit propositionem, qua asserebatur, quod tantum sit consilii in dubiis sequi partem tutiorem. Resp. Dist. ant. Adhibebant tanquam regulam generalem, id est, supponebant, quod hoc principium universim importet debitum strictæ obligationis, neg. ant. quod importet debitum convenientiæ, propter quod poterant moveri ad statuendum aliquod præceptum in quibusdam casibus particularibus, conc. ant. & neg. cons. Ratio responsionis patet ex dictis. Adde, quod ipsi Pontifices in dubio, saltem latius tali, sæpe resolverint secundum minus tuta. Ad Confir. Illi Conventui tantum intererant 16 Episcopi cum aliquot Clericis, plures non leguntur subscripti; postea vero anno 1714 convenerunt 40 Episcopi, qui ediderunt instructionem pastoralem, eamque una cum epistola encyclica ad omnes regni Antistites miserunt: in fine autem litterarum ita scripserunt: *Nos vos rogamus, quia bene scimus, quod non possumus hac super re vobis obligationem imponere.*

589 Obj. 3. Clementina. Exivi de verb. signif. cum inter Fratres Minores fuissent exortæ controversiæ de variis dubiis circa suam regulam, Clemens V in Concilio Viennensi interrogatus, eaque resolvens, inter alia sic ait: *Nos itaque attendentes, quod in his, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda*; ergo in dubio debet eligi tutius ad vitandos remorsus conscientiæ. Confir. Si lex dubia non obligaret, non fuisset opus, ut Fratres Minores ad Pontificem recurrerent. Resp. Conc. ant. dist. cons. In dubio practico, conc. cons.

conſ. in dubio ſpeculativo invincibili, ſubdiſt. de conſilio, conc. conſ. de præcepto, neg. conſ. Quod Pontifex hic loquatur de dubio practico, vel tantum de conſilio, colligitur ex eo, quod ad alia dubia ibidem propoſita, nempe an Fratres teneantur obſervare omnia conſilia etiam non contenta in regulis? & utrum verba imperativi modi in illis ſemper habeant vim præcepti? reſponderit negative. Nempe, ut ibidem Pontifex ait: *Plerumque ubi culpa non eſt, eam timere ſolent mentes timoratæ*; cumque docti de his dubiis varie ſentirent, periculum erat, ne minus docti agerent in dubio practico; hinc Pontifex illa dubia voluit determinare. Ad confir. Quia dubia iſta concernebant generalem diſciplinam ordinis, & eorum deciſio a Pontifice obtineri potuit, aderant ſufficientes cauſæ iſtam deciſionem petendi.

Dices 1. Cap. inquiſitioni tuæ de ſentent. excom. dicitur, quod conjux credens, adeſſe impedimentum matrimonii, ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non evidenti, & manifeſta, poſſit quidem reddere debitum, ſed non petere: *Ne in altero vel contra legem conjugii, vel contra judicium Conſcientiæ committat offenſam.* Similia habentur cap. Dominus. 2. de ſecundis nuptiis: ergo in dubio poſitivo non licet eligere partem minus tutam. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Capitulum Inquiſitioni aliqui exponunt de conjuge, quæ contraxit mala fide, vel ita probabiliter judicat, quod detur impedimentum dirimens, ut nullum habeatur probabile fundamentum in contrarium. Alii cum Laym. La Croix, Sanchez, &c. dicunt, capitulum exponendum eſſe de credulitate vincibili, quando veritas non ſufficienter fuit inveſtigata. Quippe nimis durum foret, ſi bonæ fidei poſſeſſor in perpetuum deberet ab uſu rei ſuæ abſtinere, cum maximo periculo incontinentiæ, aliisque graviſſimis malis; hinc teſte Laym. & La Croix communior Recentiorum docet, ſi dubium poſt adhibitam ſufficientem diligentiam fiat invinci- 590

bile, non tantum licite reddi, sed etiam peti debitum. Quodsi tamen impedimentum esset tantum juris Ecclesiastici, puto, petendam esse dispensationem, cum facile obtineri possit. Cap. Dominus, manifeste loquitur de tali, quæ contraxit mala fide, seu cum dubio, an prior conjux sit mortuus: sic autem contrahens non est in possessione secundi matrimonii, sed potius primum matrimonium est in possessione contra ipsum.

591 Dices 2. Cap. Invenis 3. de sponsalibus cuidam juveni nihil profuit possessio matrimonii contra dubium impedimentum, quod ortum fuerat ex sponsalibus prius contractis cum consobrina uxoris necdum septenni; *Quia in his*, ait Pontifex, *quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus*. Confir. Cum dubio invincibili de impedimento dirimente non potest contrahi matrimonium: ergo neque peti debitum. Resp. Inprimis in hoc capitulo non dicitur, quod eligendum sit tutius, sed certius. Dein Pontifex hic agit ut Judex in materia justitiæ, qui utique debet in judicando sequi, quod certius est; dum econtra plurimi ex adversariis fatentur, in materia justitiæ meliorem esse conditionem possidentis. Denique ille juvenis rursus contraxit matrimonium cum mala fide, & suspicione impedimenti publicæ honestatis, quod ante Tridentinum dirimebat matrimonium usque ad quartum gradum cum consanguineis sponsi, & sponsæ. Quippe in cap. cit. dicitur, quod puella illa communiter dicta fuerit ipsius uxor, cum qua forte etiam attentarit copulam, ex quibus validis præsumptionibus Pontifex concludere potuit, malitiam supplevisse ætatem puellæ, adeoque saltem intercessisse vera sponsalia, de quorum valore tanta haberetur probabilitas, ut oppositum non esset comparative probabile. Ad confir. Trans. ant. quod præter alios negat uterque Sanchez. Neg. conf. quia contrahendo matrimonium Sacramentum exponeretur

periculo

periculo nullitatis, & citra magnam difficultatem ordinarie poteſt contrahi cum aliis.

Dices 3. L. Titia 38. de auro, & argento &c. legatis refertur, Sejam voviſſe ſtatuam 100 librarum, & obligaſſe hæredes, ut illam ponerent in certo templo; cum igitur in eo tantum eſſent ſigna ærea, & argentea, quæſitum fuit, an ſtatua debeat fieri ex auro, argento, vel ære, & reſpondetur, debere fieri ex argento. Confir. Si in aliqua cathedrali Ecclesia a Canonicatu excluduntur non Nobiles, dubius de ſua nobilitate non poteſt Canonicatum in ea acceptare. Reſp. Hanc legem non ab omnibus eodem modo legi; nam Molina, Suarez, Laym. loco vocis *ærea* legit *aurea*; quo poſito ex iſta lege potius noſtra probatur ſententia. Addit Suarius, ſuppoſita etiam altera lectione interpretationem non eſſe factam contra voventem, ſed ejus hæredes, eoquod conveniens fuerit, ut ex gratitudine legata pia ſolvant modo magis utili, & ideo in hoc caſu dari legem ſpecialem. Ad confir. dico, in hoc caſu dubium non cadere ſupra exiſtentiam legis, ſed ſupra nobilitatem; nam certa eſt lex excludens omnes non certo Nobiles, hinc nobilitas probari debet. 592

Obj. 4. Omnes Antiqui concordi voce docent, in dubio eligendam eſſe partem tutiorem, adeo, ut Vasquez dicat, ſe neminem ex Scriptoribus inveniſſe, qui oppoſitum teneat, ſaltem in dubio juris: atqui in re tanti momenti non licet recedere a communi antiquorum ſententia: ergo. Confir. Etiam non pauci Recentiores defacto nobis ſunt contrarii. Reſp. Neg. maj. & min. Nam licet ante tempora Medinæ, qui ſcripſit anno 1577, major pars antiquorum ita docuerit, alii multi iſtam quæſtionem ne quidem attigerunt, multi permiſerunt electionem inter duas ſententias æque probabiles, multi jam ante Vasquez in dubio, an votum ſit emiſſum, negarunt obligationem illud implendi. Certe S. Antoninus, 1 part. tit 3 cap. 10 expreſſe docet, *In dubio leges benignius ac-* 593

cipiendas, & eligere viam tutiorem esse consilii, non præcepti. Porro ex antiquis, qui nobis adversari videntur, multi suam opinionem deduxerunt ex principio falso, quod non detur ignorantia invincibilis juris; alii hanc controversiam non ex professo, & satis distincte examinarunt; alii plus non videntur velle, quam quod pars tutior debeat eligi 1. in dubio practico. 2. In dubio speculativo vincibili. 3. Quando minus tuta non est comparative probabilis. 4. Quando dubium non potest deponi, eo quod obstet jus clarum, conventio, pactum, &c. Certe illorum rationes non plus probant. Ad confir. Rigidis illis, qui de facto nobis sunt contrarii, adstipulabimur, si sufficientia nobis afferant fundamenta.

594 Dices 1. Est incredibile, quod Deus permiserit, ut tota retro antiquitas erraverit in principio morali adeo late patente, asserendo obligationem falsam ita universalem. Confir. Clerus Gallicanus anno 1700 gravissima censura notavit assertionem cujusdam Recentioris, dicentis, omnia hodie melius esse examinata, & ob hanc rem præcipue in materia morali se libentius legere, & sequi juniores, quam antiquiores. Resp. Neg. ant. & suppositum, quod tota antiquitas erraverit; dein in hac materia debet admitti, quod erraverint vel antiqui, a quorum pluribus sententiis ipsi adversarii nostri recedunt, vel Recentiores, qui numero longe plures a tempore Medinæ per integrum sæculum (quod Bellarminus appellat sæculum Doctorum, & Sanctorum) vix non unanimiter nostram sententiam tenuerunt, cum plurimis aliis sequentibus, qui insuper eandem longe accuratius examinaverunt, solidis rationibus probarunt, & antiquorum fundamenta solverunt. Nempe sicut ad providum legislatorem pertinet, ut, quando vult imponere gravem obligationem, eandem positive manifestet: ita non tenetur positive manifestare suam voluntatem permissivam, sed sufficit, quod non manifestet obligationem. Si proin aliqui nihilominus ex

ex falso principio se obligari concludunt, id fit per accidens, sicut per accidens multi existimarunt, quod non detur ignorantia invincibilis, vel non excuset a peccato. Ad confir. P. Rassler bene ait, hanc propositionem nullam censuram mereri, si rite, & intra suos limites accipiatur, quod nempe Juniores simul accepti ordinarie melius examinaverint quæstiones morales, quam antiqui. Vid. num. 588.

Dices 2. Tamen cum Antiquis hac in re sentiunt ipsi Principes scholarum, S. Thomas, S. Bonaventura, S. Albertus, & Scotus. Resp. S. Thomas multis quidem in locis videtur adversariis favere, in quibus tamen exponi potest de casu, quo non habetur sufficiens fundamentum deponendi dubium practicum, & existentia legis certa est; nam S. Doctor alibi aperte docet, ignorantiam invincibilem excusare a peccato, & legem non obligare, nisi sit sufficienter intimata. S. Bonaventura, quando Tract. 2 de Processu Religionis scribit, periculosum esse sequi dubiam interpretationem legis, loquitur de dubio vincibili; nam in exemplum adducit Evam; dum insipiens credidit serpenti. Albertus Magnus expresse ait: *Id quod est in conscientia, non obligare ad faciendum, nisi sit in illa, ut opinatum vel creditum, vel scitum.* Scotus denique solum loquitur de dubio practico, & opinione nondum satis examinata; quando videlicet aliquis se exponeret peccati formalis periculo. Imo in 3 distinct. 25 q. 1 solum dicit, tutius esse exspectare, donec veritas pateat. 595

Dices 3. Qui certo scit, existere legem particularem, & solum dubitat, utrum hic & nunc non excusetur, tenetur observare legem: ergo in dubio omni debet servari lex, cum utique certa sit lex universalis, qua Deus jubet servare omnes leges. Confir. Promulgatio est de essentia legis: ergo si lex dubia non esset sufficienter intimata, omnino non esset lex. Resp. trans. ant. de quo inferius sermo redibit, neg. cons. Quia, quando lex particularis 596

certo exiſtit, præſumptio, & poſſeſſio ſtat pro lege. At vero lex univerſalis obligans ad ſervandas leges, etiam dubias, neutiquam certo datur, ſed illam probabilius non dari probavi; hinc præſumptio, & poſſeſſio ſtat pro libertate. Ad confir. trans. ant. neg. conſ. Aliud eſt promulgatio publica, & ſolemnis, aliud privata intimatio legis; ſola autem promulgatio ſolemnis eſſentiam legis conſtituit, imo ad eſſentiam legis Divinæ videtur ſufficere promulgatio radicalis, ut dixi in Tract. de legibus num. 22.

597 Dices 4. Quando dicitur, quod libertas ſit in poſſeſſione contra legem, vel ſermo eſt de poſſeſſione mere phyſica, qua poſſumus libere agere vel juxta, vel contra legem, & hoc non ſufficit; alias libertas etiam eſſet in poſſeſſione, quando lex certiſſime exiſtit: vel ſermo eſt de poſſeſſione libertatis moralis, & hæc nihil aliud eſt quam immunitas a lege; imo per ipſam legem permittentem conſtituitur: ergo allegando libertatem moralem petitur principium, & dicere, homo poteſt libere ponere actionem, prorſus idem eſt, ac dicere, libertas moralis ad ponendam actionem eſt in poſſeſſione. Confir. Lex naturalis permittit homini aliquas actiones tantum conditionate, niſi prohibeantur alia lege: ergo vi legis naturalis nunquam habuimus certam poſſeſſionem ad ponendas tales actiones. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Licet nobis ſermo ſit de poſſeſſione libertatis moralis, non probamus idem per idem; nam ita diſcurrimus: Ante obortum dubium de exiſtentia legis certo dabatur libertas ad ponendam hanc actionem: ergo illa etiam manet oborto dubio, quia ob ſuperveniens dubium non debet dejici a ſua poſſeſſione. Sane etiam in materia juſtitiæ non tantum requiritur poſſeſſio phyſica, ſed moralis, & civiliter bona, & tamen juxta pleroſque adverſarios ibi valet principium: Melior eſt conditio poſſidentis. Ad confir. diſt. ant. Sub conditione, niſi prohibeantur

beantur alia lege certa, & sufficienter intimata, conc. ant. alia lege tantum dubia, neg. ant. & conf.

QUÆSTIO IV.

An in operando liceat sequi opinionem minus tutam inter æqualiter probabiles.

Quæstionem hanc teste S. Rasler & Nicol. Peguleti, vero nomine Gabriel. Gualdo Theatino pauci antiquorum ex instituto, & in propriis terminis examinarunt, usque ad Bartholomæum de Medina Doctorem Salmanticensem, qui scripsit anno 1577; postea ejus sententia benigna per integrum ferme sæculum ubique communissime recepta fuit, ut ex Gallis testantur Isambertus Doctor Sorbonius; ex Hispanis Ludovicus Montesinus, Petrus Navarra, & Greg. Martinez; ex Italis Martinus Bonacina, Jacobus Raggius, & Angelus Possius; quibus cum Joann. Caramuele Misiæ Episcopo & Archiepiscopi Pragensis Vicario Generali adstipulantur Germani passim. Longos Auctorum catalogos, qui huic sententiæ subscripserunt, videre licet apud Terillum, Mojam, Fabri, La Croix, & Christophorum Rasler, qui solus supra 250 enumerat, & inter hos 20 Episcopali, Archiepiscopali, vel Cardinalitia dignitate conspicuos. Esparza ait, singulis Rigoristis juxta propriam illorum computationem posse opponi decadem, qui hanc quæstionem terminis propriis agitaverint, & benignam sententiam tenuerint; quin ipse Thyrsus Gonzalez, licet adversarius, in introductione sui operis, ait, certum esse, sententiam benignam post Medinam fuisse communem, ab anno 1598 usque ad annum 1656, ita, ut in sui assensum traxerit omnes ferme Theologos, qui eo temporis spatio hanc controversiam discusserunt. 598

Eandem sententiam jam diu ante Medinam fuisse communem, testatur Vasquez. Nominatim ex anti- 599

quioribus in Norma recti citantur Albertus Magnus, Joannes Medina, Dominicus Sotus, Panormitanus, Joannes de Imola, Jason, Landulphus de Corduba, Martinus de Ledesma, Turrecremata, Mercadus, & Viguerius. S. Thomam & Scotum utraque pars sibi vendicat. Franciscus Victoria Melchioris Cani Magister, mortuus anno 1546, in Summa q. 177 docet, Confessarium teneri absolvere pœnitentem, qui sequitur opinionem probabilem minus tutam, etiam in materia concernente jus naturale, quamvis Confessarius ipse teneat oppositam. Nicolaus Thudesius Archiepiscopus Panormitanus, qui obiit anno 1545, ad cap. Capellanus de feriis notandum 1, inquit, ex hac glossa sic intellecta, quod non peccet, non servans jus præcepti, ubi sunt variæ opiniones. Henricus Cardinalis Episcopus Ostiensis, qui vixit circa annum 1260, ad cap. si vir de cognat. spirituali, ait: Ubi sunt diversæ opiniones, semper laxior est præferenda. Capitulum generale ab ordine Prædicatorum anno 1286. Parisiis habitum sub gravibus pœnis injungit, & mandat, ut Fratres omnes & singuli efficacem dent operam ad doctrinam Venerabilis Magistri F. Thomæ de Aquino promovendam, & saltem, ut est opinio, defensandam, ita testatur Edmundus Martene in MS. Codice Tholosano PP. Prædicatorum in Thesauro anecdotorum tom. 4. col. 1817.

600 Dicendum. Licet in operando sequi sententiam minus tutam æque probabilem. Probatur. In quæstione practica, quæ est universalissima, & versatur circa imponendam obligationem, præsertim gravem juris naturalis, illa sententia est tenenda, quæ pro se habet maximam partem gravium Auctorum, qui quæstionem ex instituto, & in propriis terminis examinarunt, nisi sententia opposita tam gravibus rationibus suadeatur, quibus tanta auctoritas enervetur; atqui talis est præsens quæstio, & sententia benigna: ergo maj. patet, quia numerus,

&

& qualitas ſapientum debet eſſe maximi momenti in rebus moralibus, præſertim iis, quæ ſunt de imponenda obligatione juris naturalis, & tanquam principia univerſalia ad innumeras actiones humanas extenduntur; cum neutiquam credibile ſit, quod Auctor naturæ talia principia hominibus voluerit eſſe tam obſcura, & occulta, ut a maxima parte ſapientum poſt adhibitam accuratam disquiſitionem non agnoſcantur. Minorem quod attinet, ipſi adverſarii fatentur, hanc quæſtionem verſari circa jus naturale; poſitivum enim nihil decidit; quod autem ſit practica, & univerſaliſſima, conſtat ex eo, quia per ſe loquendo afficit omnes homines moraliter agentes, & omnes illas actiones, de quarum licentia datur in utramque partem æqualis probabilitas, quod frequentiſſime contingit. Porro quanta pro ſententia benigna ſtet auctoritas, colligitur ex dictis. Adverſariorum denique fundamenta neutiquam efficacia eſſe, apparebit ex ſolutione objectionum.

Probatur 2. Stante utrinque æquali probabilitate de licentia actionis, lex prohibitiva non eſt ſufficienter intimata, ſed invincibiliter ignorata, aut vere dubia; atqui lex invincibiliter ignorata, aut vere dubia non obligat: ergo. Minor de lege invincibiliter ignorata patet ex diſp. 1 q. 3, de lege dubia vero ex quæſt. immediate præcedente. Major prob. Vel ſtante utrinque æquali probabilitate operans unum membrum poteſt prudenter affirmare, vel non? Si poteſt: ergo prudenter poteſt judicare, non dari legem, adeoque illam invincibiliter ignorabit. Si non poteſt, lex prohibitiva erit vere dubia; quippe hoc ipſum eſt præcipuum fundamentum adverſariorum, quod in caſu æqualis probabilitatis fundamenta utriusque partis ſe ita elidant, ut neutra poſſit judicari abſolute vera, ferme ſicut contingit in dubio negativo. Confir. S. Gregor. Nazianz. Orat. 39 ait, in rebus dubiis debere vincere humanitatem. Gregorius Magn. lib. 7 Epiſt. 23, melius eſſe in dubiis non diſtrictiorem 601

exsequi, sed ad benignas potius partes inflecti. Similia apud D. Amort de Act. Hum. disp. 2 q. 5 habent S. *Leo*, *Augustinus*, *Theodoret*, &c.

602 Probatur 3. Si non licet sequi opinionem minus tutam æqualiter probabilem, tunc etiam non licebit sequi illam, quæ aliquantum est probabilior tutiore: hoc nimium: ergo. Majorem admittunt præcipui adversariorum, qui passim ad licitum usum opinionis minus tutæ requirunt, ut saltem *sit manifeste*, & notabiliter probabilior; tum quia in moralibus parum pro nihilo reputatur, & nisi excessus probabilitatis sit magnus, & manifestus, manet idem moraliter periculum transgrediendi legem; tum quia per se videtur ridiculum, quod nefas sit sequi opinionem e. g. 30 gravium Auctorum contra totidem alios æqualibus fundamentis instructos, & tamen fas sit illam sequi, quamprimum sententiæ minus tutæ accedit adhuc unicus cum nova, eaque non admodum valida confirmatione. Min. prob. Quia tali modo hominibus imponeretur onus gravissimum, frequenter observandi leges difficillimas reipsa non existentes; cum enim in tanta multitudine negotiorum, & actionum moralium, quæ quotidie nobis occurrunt, & in tanta copia sententiarum invicem pugnantium difficillimum sit manifeste decernere, quænam ex opinionibus contrariis sit manifeste probabilior, fere semper deberemus sequi tutiorem. Hæc autem obligatio induceret frequentes transgressiones formales legum, maximas perturbationes in officiis, contractibus, &c. innumeras anxietates in directione propriæ, & alienæ conscientiæ, ut adeo DEUS Optimus, & Sapientissimus neutiquam censendus sit talem obligationem nobis imposuisse.

603 Confir. Juxta sententiam adversariorum vir doctus ab aliis interrogatus, an actio aliqua sit licita, nunquam posset respondere secundum sententiam minus tutam, nisi ipsi certo constaret, illam esse longe magis probabilem, esto, quod pro tali sententia starent

graves

graves Auctores, eaque esset communis, cum nihilominus etiam pro sententia contraria possent stare alii, & sæpissime detur communis contra communem. Sic Hieron. de Cævallos scripsit tres tomos, quos vocat Speculum aureum, communium contra communes. 2. Confessarius non posset absolvere pœnitentem, qui nollet deserere sententiam æque probabilem minus tutam. Imo si antea usus fuisset Confessario benigno, sæpe illum deberet compellere ad repetendas confessiones, cum antea non fuerit examinatus juxta sententias tutiores, aut manifeste probabiliores, e. g. juxta illam, quæ obligat ad exponendas circumstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes. Vel si dicas, talem pœnitentem, vel Confessarium posse procedere ex principiis reflexis, id etiam nobis in operando licet. 3. Plurimi quanto sunt in moralibus doctiores, tanto pluribus obruuntur dubiis, & quo exactius perpendunt utriusque partis fundamenta, eo majorem experiuntur difficultatem in decernendo, quænam sit notabiliter probabilior, neque facile vir prudens, & sapiens id pronuntiare audebit; hinc ipsi adversarii practice, & in materiis particularibus sæpe a sua sententia recedunt, ut ostendit P. Mayr. De Act. hum. disp. 2 q. 3 a num. 322.

Porro dictamen ultimum ita fieri potest: Cuilibet licet in operando sequi sententiam minus tutam, quæ ipsi apparet notabiliter probabilior; sed sententia benigna asserens, in operando licere sequi sententiam minus tutam æqualiter probabilem, apparet mihi notabiliter probabilior: ergo. Vel: Quandocunque omnibus rite consideratis mihi notabiliter probabilius est, aliquam actionem esse licitam, prudenter ac licite illam pono; sed omnibus rite consideratis mihi notabiliter probabilius est, hanc actionem, cujus licentia ex principiis directis est æque probabilis, hic & nunc esse licitam: ergo. Equidem 604

contra

contra hunc diſcurſum excipiunt adverſarii, quod tunc ſolum liceat ſequi opinionem minus tutam notabiliter probabiliorem, quando major probabilitas verſatur circa legem directam, & honeſtatem objectivam actionis, ita, ut abſolute poſſim judicare, ejusmodi actionem nulla lege eſſe prohibitam. At vero in noſtro caſu major probabilitas tantum cadit ſupra legem reflexam, & honeſtatem formalem, qua non obſtante ſemper manet dubium, an actio reipſa objective ſit honeſta, neque hoc dubium ſtante æquali probabilitate tolli poteſt, etſi centum fiant reflexiones.

605 Contra eſt 1. Quando ſententia minus tuta æqualiter eſt probabilis, lex directa prohibens actionem, probabilius non eſt ſufficienter intimata: ergo probabilius non datur, ſaltem abſolute, & in ordine ad obligationem proximam, ut fatetur D. Amort. 2. Si DEUS aperte nobis declararet, quod habeat hanc legem reflexam: Quando tibi exiſtentia & non exiſtentia legis directæ prohibentis aliquam actionem eſt æqualiter probabilis, te non obligo ad omittendam aliquam actionem, ſed illam permitto, certum omnino eſſet, quod in caſu æqualis probabilitatis liceat ſequi opinionem minus tutam; ergo cum ejusmodi lex reflexa detur probabilius, talem opinionem probabilius licet ſequi; imo tota controverſia inter nos, & adverſarios devolvitur ad hoc, utrum ejusmodi lex reflexa revera detur, vel non. 3. Ideo juxta Rigoriſtas licite ago, quando lex directa prohibens actionem probabilius non datur, quia tunc iſta lex mihi non eſt ſufficienter intimata, & prudenter poſſum judicare, illam non dari, ut adeo me non exponam periculo morali peccati formalis: atqui etiam lex reflexa prohibens actionem minus tutam in caſu æqualis probabilitatis, non eſt ſufficienter intimata, ſed prudenter poſſum judicare, illam non dari, nec me expono periculo peccati formalis; ergo licite

licite ago; cum utique legi reflexæ nec major, nec minor reverentia debeatur, quam legi directæ.

Hinc omnino etiam moraliter certum videtur hoc 606
dictamen: Quandocunque lex directa mihi non est sufficienter promulgata, me non obligat; sed hæc lex directa, pro cujus existentia, & non existentia stat æqualis probabilitas, mihi probabilius non est sufficienter intimata; ergo hæc lex directa probabilius me non obligat. Cum enim sufficiens intimatio, & promulgatio legis ad obligationem inducendam certo, & essentialiter requiratur, de majore non potest esse dubium. Minor quoque cuilibet ab experientia nota esse potest; nam licet allatæ propositiones non evincant certitudinem ipsius sententiæ, possunt tamen illam cuilibet reddere probabiliorem, quod solum affirmat dictamen reflexum. Hinc bene distinguendæ sunt istæ duæ propositiones: Lex directa probabilius non existit, &, Lex directa non est sufficienter intimata; primam non asserimus, altera potest esse vera, etsi lex directa a parte rei existat, ut patet in casu legis dubiæ; imo etiam quando sententia minus tuta est notabiliter probabilior.

Objectiones.

Obj. 1. Juxta S. Scripturam Deuteron. 26 v. 16: 607
Mandata Dei debemus custodire ex toto corde, & ex tota anima. Id ipsum exigit lex charitatis Luc. 10, in quam S. Basil. apud D. Thomam sic discurrit: *Quod dicitur, tota mente tua, in cætera non recipit sectionem; nam quantamcunque dilectionem in infimis expenderis, hoc tibi necessario a toto deficiet*: ergo non licet sequi sententiam minus tutam æqualiter probabilem. Confir. Juxta S. Matthæum cap. 15 debemus audire Christum, & non mandata, ac doctrinas hominum; sed Christus nunquam docuit, multo minus secutus est sententiam probabilem minus tutam: ergo. Resp. Conc. ant. neg. conf. Qui solicite

ſolicite inquirit in obligationem legis, & nunquam operatur absque certo dictamine ultimo de licentia actionis, mandata DEI cuſtodit ex toto corde, id eſt, quantum ſcit, & debet. Neque plus exigit lex charitatis, aut S. Baſilius, qui ſtatim ſubjungit: *Sic & in anima, in quantum emanaverit ad illicita, in tantum neceſſarium eſt minui amorem ad DEUM.* Ad confirm. Si mandata hominum ſint doctrinæ Chriſti contraria, conc. maj. ſecus, neg. maj. Chriſtus de præſenti controverſia nihil decidit, cumque omnium rerum perfectam notitiam habuerit, utique non egit ſecundum opiniones probabiles, ſed quæcunque egit, certe licita fuere.

608 Dices 1. S. Auguſtinus contra Academicos lib. 3 cap. 16 refutat hoc illorum principium: *Cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec errat, nec peccat*; quia ex hoc principio ſequeretur, quod etiam adulteria, homicidia, & omnia alia facinora poſſent defendi: ergo juxta S. Auguſtinum probabilitas non ſufficit ad honeſte operandum. Confir. Idem Homil. 11 inter 50 ait: *Ecce! dat tibi ſecuritatem procurator: quid tibi prodeſt, ſi paterfamilias non acceptet? Procurator ſum, ſervus ſum. Vis dicam tibi: Vive, quomodo vis, Dominus te non perdet; ſecuritatem tibi procurator dedit, nihil valet ſecuritas procuratoris*: ergo nihil nobis prodeſt, quod alii dicunt, & cenſent, eſſe probabile. Reſp. Conc. ant. diſt. conſ. Ergo non ſufficit probabilitas vaga, & in ſenſu Academicorum accepta, conc. conſ. probabilitas vera, & Theologica, neg. conſ. Academici, ut S. Doctor lib. 2 cap. 11 advertit, probabile vocabant omne illud, quod nos ad agendum ſine aſſenſione poteſt invitare, in quo ſenſu complectitur etiam ea, quæ a nullo, omnibus rite expenſis, poſſunt prudenter judicari licita; unde ſi hæc probabilitas ad agendum ſufficeret, utique omnia ſcelera eſſent licita. Ad confir. S. Auguſtinus demonſtrat, quod DEUS impiis mores ſuos non mutantibus æternum

num exitium minitetur. Contra has minas, utique fide certas, nemo securitatem dare potest; qui enim diceret: *Vive, quomodo vis, Dominus te non perdet*, contradiceret manifestis DEI oraculis.

Dices 2. S. Chrysostomus Homil. 13 in 2 epistolam ad Corinth. ait; *Vulgi opiniones ne circumferamus, sed res ipsas expendamus; quomodo enim non absurdum propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare, & supputare, pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter, præsertim cum habeamus acutissimam trutinam divinarum legum assertionem.* Et Homil. 44 in Matth. in opere imperfecto: *Oportet circuire populum omnes doctores, & inquirere, ubi syncera veritas Christi venumdatur, & ubi corrupta.* Addit D. Amort, quod Homil. 7 in cap. 2 epist. ad Coloss. observet, S. Paulum, postquam dixit: *Ne quis vos decipiat secundum traditionem hominum*, subjungere: *hoc autem, ut nemo vos decipiat in probabili sermone.* Resp. S. Chrysostomus primo loco loquitur de illo errore vulgi, quo divites a plerisque reputantur pauperibus feliciores, qui error manifeste est contra sacram Scripturam, quæ divitibus toties minitatur æternum exitium. Opus imperfectum non est S. Chrysostomi, sed vel alicujus hæretici, vel certe ab hæretico corruptum, quia continet propositiones Arianas, ut ostendit Bellarm. de Script. Eccles. Præterea hoc loco sermo est de inquirenda fide, ut patet ex verbis statim subjunctis: *Et omnium confessiones cognoscere, & veriorem eligere*, quæ ad fidem pertinent. In 3tio loco falsum est, quod Paulus citata verba subjungat, nec de hac subjunctione meminit S. Chrysostomus, sed allegato utroque Pauli textu ait: *Tunc postea subjungit reprehensionem, & dicit, nemo ergo vos judicet in cibo, aut potu.* Adde quod nostra Vulgata loco *in probabili sermone* legat, *in sublimitate sermonum.* 609

Dices

610 Dices 3. S. Gregorius Nazianz. orat. 27 ita scribit: *Atqui plerisque secus videtur, inquies; quid vero mea interest, qui rei veritatem magis curo, imo solum curo, hoc enim me vel condemnaverit, vel absolverit, hoc miserum vel beatum reddiderit.* S. Clemens lib. 6. Stromat. reprehendit Philosophos Græcos, *Quod quærunt id, quod est probabile, non autem id, quod est verum*; & lib. 1 ait: *Regnum DEI non esse in eo sermone, qui non est verus, sed tantum opinione probabilis.* S. Hieronymus in Psalm. 90 *reprobat circi spectacula, licet a fidelibus communissime frequentata.* Resp. S. Gregorius loquitur de suis obtrectatoribus, a quibus dicebatur ambiisse Insulas Constantinopolitanas, aitque, se illorum judicia non curare, fretum propriæ conscientiæ testimonio. Quid autem hoc ad rem præsentem? S. Clemens, ut ex contextu patet, agit de probabilitate tantum apparente & conjuncta cum errore vincibili; imo Benedictus XIV in litt. Apost. de nova editione Martyrologii dicit, libros Stromatum a Gelasio Papa inter apocryphos rejectos esse. Commentaria in Psalmos teste Annato multi contra Bellarminum negant esse S. Hieronymi, neque ex illis plus sequitur, quam quod non liceat sequi quamlibet fidelium consuetudinem pravam, aut opinionem erroneam.

611 Obj. 2. Pro sententia rigida stat tota antiquitas usque ad tempora Medinæ; atqui antiqui sunt præferendi recentioribus, cum longe credibilius sit, quod circa hanc contraversiam erraverint Scholastici per unum sæculum post Medinam, quam alii per plura sæcula ante illum. Confir. Lex permittens usum opinionis minus tutæ, æque probabilis, esset naturalis: ergo non potuisset a majore parte per plura sæcula ignorari. Resp. Neg. maj. & min. Falsitas majoris patet ex num. 599, ubi plures antiquiores Medina pro nobis citavimus, quibus addi possent Paludanus, Goffredus de Fontibus, Bernardus Claromontanus, &c. Minor falsa est, quia Auctores, qui post Medinam scripserunt, sunt longe plures; certe Bellarminus,

minus, qui in libro de Script. Eccles. confecit catalogum Theologorum paulo celebriorum a tempore Petri Lombardi Scholasticorum antesignani usque ad Dominicum Sotum, non nisi 61 enumerat, additis 13 aliis, qui scripserunt de casibus conscientiæ; nec quisquam facile dixerit, hos omnes mentionem fecisse, ne dicam tractasse de præsenti materia. Præterea multi ex antiquis nitebantur principio falso, quod non detur ignorantia invincibilis juris naturæ, dum recentiores hanc quæstionem longe accuratius examinarunt. Ad confir. conc. ant. neg. conf. DEUS non tenetur manifestare quamlibet legem permissivam, neque ideo Ecclesiam deserit, sed successive magis illustrat, ut jam dictum num. 594.

Dices 1. Est invictum argumentum pro veritate Religionis Catholicæ, quod illam licet arduam, & 612
sensibus repugnantem receperint innumeri: ergo etiam veritas sententiæ rigidæ ex consensu antiquorum solide probatur, cum e contrario mirum non sit, quod postea sententiam benignam tot sint amplexi, ipsa natura, & amore libertatis ad illam impellente. Confir. ex Seneca, qui de vita beata cap. 2 ait: *Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant: argumentum pessimi turba est.* Resp. trans. ant. Quia pro veritate Religionis Catholicæ stant plura alia argumenta, eamque evidenter credibilem reddunt, ut adeo nullum motivum vere grave stet in contrarium. At contra sententiam Rigoristarum stant motiva gravia, quin ipsi similia pro se afferant. Neg. conf. Religio Catholica ab innumeris populis fuit recepta in praxi, & executione; sententia autem rigida nunquam fuit ita communis, & ab ipsis Rigoristis in praxi non semper observatur. Porro sectatores sententiæ benignæ, saltem plerique, sunt vel dignitate Ecclesiastica conspicui, vel Pastores animarum laudatissimi, vel diversorum Ordinum Religiosi, de quibus sine injuria suspicari non possumus, quod plus affectui ad libertatem tribuerint, quam virtuti,

& rationi. Ad confir. Hinc ad conf. male applicatur dictum Senecæ; neque enim Auctores plurimi ac doctissimi sunt tantum turba, in pessima quæque aut ignorantia, aut malitia pruriens. Quamvis itaque multitudo pessimorum exemplorum non reddat sententiam verisimilem, id merito facit cumulus maximorum & piissimorum virorum post exactam discussionem in aliquid consentientium.

613 Dices 2. Ipsi Probabilistæ in aliis materiis sæpe aliquam obligationem probant ex constanti traditione Ecclesiæ, & hanc colligunt ex communi usu fidelium, & sensu Doctorum, qui utique non sunt usi alia methodo regendi conscientias, ac illa, quam didicerunt a majoribus in Ecclesia fuisse usitatam, & ab Apostolis derivatam. Confir. SS. Patres, & Concilia nos passim adhortantur, ut in dubiis recurramus ad traditionem, praxim, & consilia veterum; hinc etiam Job. 12 v. 12 dicitur: *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Resp. Quando Probabilistæ tales probationes adhibent, ordinarie agunt de lege Divina positiva, & auctores tantum adducunt ut testes continuæ praxis; at hic agitur de lege naturali, quam sicut ante Petrum Lombardum, qui floruit circa annum 1145, ita etiam post illum R goristæ non probarunt ex traditione, aut constanti usu, sed ex aliis fundamentis vel falsis, vel inefficacibus, reclamantibus semper aliis. Ad confir. eadem est responsio. Porro antiquorum nomine apud Jobum non veniunt illi, qui diu vixere ante nostra tempora, sed qui multis annis vixerunt, & proin per diuturnum studium, & longam experientiam sibi compararunt magnam sapientiam, & prudentiam. Argumentum probaret, quod nulla sententia veterum possit deleri.

614 Obj. 3. Quando Recentiores docent, licitum esse usum opinionis minus tutæ, æque, vel etiam minus probabilis, plerique tantum loquuntur de ea opinione;

nione, quæ ab aliis communiter censetur esse æque, vel minus probabilis, ipsi tamen operanti est subjective ita probabilis, ut illam absolute judicet esse veram, quod fieri non potest, nisi eadem opinio ipsi appareat probabilior: ergo plerique reipsa tantum docent, quod liceat sequi opinionem probabiliorem. Resp. neg. ant. nam 1 teste Camargo hæc sententia, quæ requirit tale judicium absolutum, inter Probabilistas est singularis, & unius tantum, vel alterius Auctoris. 2. Teste Thyrso hanc interpretationem non admittunt Terillus, Caramuel, Esparza, Moya, Cardenas, &c. qui hanc controversiam, si quis alius, ex professo examinarunt. 3. Eandem non recipiunt, qui docent, licitum esse sequi opinionem probabilem minus tutam etiam contra propriam sententiam, uti Vasquez, Sanchez, Illsung, &c. 4. Idem est de illis, qui dicunt, licitum esse usum opinionis probabilis minus tutæ sive propriæ, sive alienæ, ut rursus multi docent cum Harquetti Dominicano, & Petro Cornejo Carmelita, quem Paulus V vere dignum Ecclesiæ DEI Doctorem appellavit. 5. Denique hæc interpretatio gratis affingitur illis, qui sententiam benignam tradunt absolute, uti Suarez, & alii. Cæterum argumentum simile est huic: Ex mente multorum Catholicorum datur prædeterminatio Bannesiana; sed hæc tollit libertatem: ergo ex mente multorum Catholicorum non datur libertas.

Dices 1. Opinio ab omnibus definitur, quod sit assensus incertus mentis, & per hoc differt a dubio: ergo hoc ipso, quod Auctores dicant, licere sequi opinionem probabilem, requirunt absolutum judicium directum de veritate; nam judicium modale, quod opinio sit probabiliter vera, est certum. Confir. Saltem apud antiquos probabile idem significat, ac probabilius, ut colligitur ex Aristotele, S. Thoma, Antonino, &c. apud D. Amort. Resp. Dist. ant. Est assensus incertus, qui in mente existit vel subjective, 615

vel objective, conc. ant. necessario subjective, neg. ant. & cons. Modo aliquis judicet, quod opinio, quam sequitur, possit prudenter dari apud alios, jam vere dicitur sequi opinionem probabilem, neque novum est, quod aliquam propositionem e. g. stellæ sunt numero pares, habeamus pro objecto, quin illi directe assentiamur. Ad confir. To *probabile* ab antiquis non nunquam accipitur in sensu valde lato; sic S. Ambros. in Hexameron lib 2, & S. August. Epist. 116 ad Nebrid. probabile pro certo accipiunt. Alii a D. Amort citati juxta ipsum plus non volunt, quam quod probabile sit judicium mentis, cujus fundamenta plerumque non fallunt, nempe si in genere spectentur, ut explicavi num. 551. Certe Scholastici, qui accuratius probabilitatem examinarunt, diligenter probabile distinguunt a probabiliori, & licet forte aliqui ex antiquioribus hos terminos confundant, inde neutiquam sequitur, quod omnes reliqui ita intellexerint. Vid num. 548.

616 Dices 2. Etsi benigna sententia integro ferme sæculo fuerit communis, tamen hodie severior etiam multos numerat patronos; nam 1. Ignat. Camargo dicit, pro ea ex recentioribus stare decem, & amplius Auctores supra centum. 2. Illam propugnant plurimi ex Gallis, & Belgis. 3. Eadem in Germania non est peregrina. Resp. Quamvis post sæculum a Medina elapsum rigidam sententiam arripuerint aliquam multi, nihilominus teste La Croix certum est, eos, qui benignam ante tradiderunt, & etiamnum tradunt, esse numero plures, & auctoritate non inferiores. Certe per Germaniam illa adhuc communiter traditur, in Italia recentissime illam defendunt Mazota, Catalani, Casnedi, &c. in Belgio testibus Hagiographis plerique contra Lovanienses, quibus per statuta Academiæ id non licet. In Gallia Rigorismus tunc præcipue invalescere cœpit, quando exortus est Jansenismus; nec mirum, etiam Aucto-

res Catholicos ad rigorem, quem salva fide tueri possunt, sensim declinasse, cum post repetitas quorundam Episcoporum prohibitiones sententiæ benigniori vix amplius tuto pede consistere liceat. P. Camargo nomina Auctorum non citat, & alias passim sibi fingit demonstrationes, quæ ab aliis judicantur argumenta mere probabilia, vel sophistica.

Obj. 4. Nemo potest in operando sequi opinio- 617
nem, nisi illam absolute judicet esse veram: atqui opinionem minus tutam æqualiter solum probabilem nemo potest absolute judicare veram: ergo. Maj. prob. Opinio, quam in operando sequimur, est regula nostræ actionis; atqui non possumus prudenter sequi aliquam regulam, nisi illam absolute judicemus esse veram, & conformem legi æternæ: ergo. Confir. Nemo in eliciendo actum voluntatis potest dirigi per cognitionem vel opinionem, quæ non actualiter existit in intellectu operantis: ergo. Resp. Dissimulata minore, quæ probabilius falsa est, neg. maj. quia sine tali judicio haberi potest bona fides, seu dictamen practicum de licentia actionis hic & nunc ponendæ. Ad prob. dist. maj. Opinio, quam sequimur, est regula nostræ actionis remota, conc. maj. proxima, neg. maj. & sic dist. min. cons. Ut quis licite operetur, sufficit dictamen reflexum, quo judicat, actionem suam esse conformem legi consequenti, neque legem antecedentem hic & nunc proxime obligare, sive dein opinio minus tuta sit vera, sive falsa, sive recta, sive curva. Ad confir. dist. ant. Nemo potest dirigi per opinionem, quæ non actualiter existit in intellectu subjective, vel saltem objective, conc. ant. necessario subjective, neg. ant. & cons.

Dices 1. Dictamen ultimum debet judicare de 618
honestate, vel licentia objectiva actionis; sed honestas, & licentia objectiva actionis consistit in conformitate cum lege DEI antecedente, conformitas

autem cum dictamine reflexo est honestas formalis: ergo dictamen ultimum de hac conformitate debet judicare. Confir. Actus voluntatis specificatur ab objecto ut proposito per cognitionem propriam, & non tantum per alienam: ergo. Resp. dist. maj. Debet judicare de honestate, vel licentia objectiva, quæ consistit in conformitate actionis cum lege DEI antecedente, vel saltem consequente, conc. maj. semper de illa honestate, & licentia, quæ consistit in conformitate cum lege antecedente, subdist. cum lege DEI antecedente sufficienter intimata, & proxime obligante, conc. maj. aliter, neg. maj. & dist. min. Honestas, & licentia quasi remota actionis in genere consistit in conformitate cum lege DEI antecedente, conc. min. proxima actionis hic & hunc ponendæ, neg. min. & cons. Quod honestas, vel inhonestas objectiva in tali casu debeat desumi a lege consequente, debent admittere ipsi adversarii; alias operans etiam non posset judicare actionem esse inhonestam. Ad confir. dist. ant. Actus specificatur ab objecto ut proposito per cognitionem propriam, saltem reflexam, & practicam, conc. ant. necessario per directam & speculativam, neg. ant. & cons. Ut actus aliquis sit honestus, vel licitus, utique ipse operans debet judicare, illum licitum vel honestum esse, sed ad hoc sufficit judicium reflexum, & practicum de existentia legis consequentis.

612 Dices 2. Si solum dictamen reflexum sufficeret ad licite operandum, plurimæ leges directæ reipsa existentes essent frustraneæ, & possent impune violari; imo possent eludi leges etiam certæ e. g. Sacerdos die Jovis differens Vesperas, & Completorium, donec unum horologium signet tertium quadrantem, alterum vero duodecimam nocturnam, posset in ordine ad pensum Canonicum se accomodare horologio posteriori, illudque omittere, in ordine autem ad comestionem carnium priori, & sic in illa pergere. Confir. Qui videt hostiam humi jacentem, de qua ipsi

ipsi æqualiter probabile est, quod sit, & non sit consecrata, non potest illam citra peccatum calcare pedibus: ergo. Resp. Neg. ant. Leges finem suum satis obtinent, si obligent illos, quibus sufficienter sunt notæ; pro aliis circumstantiis latæ non sunt, & juxta adversarios sæpissime deberent observari, etsi revera non existerent. In casu addito imprimis æqualis probabilitas non immediate cadit supra existentiam legis, sed supra tempus, & existentiam horæ duodecimæ. Dein ut liceat sequi alterutram ex opinionibus æqualiter probabilibus, utraque debet esse comprobabilis, sive simul probabilis, quod hic non fit, sed alterutra lex certo violaretur. Ad confir. Probabilitas iterum non cadit supra licentiam actionis, & calcare talem hostiam esset certa irreverentia, etsi probabilius non esset consecrata.

Obj. 5. Nostrum dictamen reflexum supponit, 620
quod nostra sententia sit moraliter certa: hoc nimium: ergo. Confir. Si ex probabilitate opinionis minus tutæ potest fieri dictamen ultimum moraliter certum de licentia actionis, etiam ex probabilitate opinionis magis tutæ poterit fieri dictamen moraliter certum de negatione licentiæ; hoc paradoxum; cum utique circa eandem actionem non possint simul fieri dictamina certa contradictoria. Resp. Quamvis multi cum Moja, Stoz, Cardenas, Illsung, &c. dicant, nostram sententiam esse moraliter certam, neg. maj. Contrarium manifeste constat expendenti nostra dictamina, in quibus solum hæc duo asserimus, quod moraliter certum sit, licere sequi sententiam notabiliter probabiliorem, & quod nostra sententia sit notabiliter probabilior. Ad confir. neg. maj. Disparitas est, quia stante æquali probabilitate habentur principia sufficientia, & certa pro asserenda licentia actionis, nempe geminæ propositiones primum indicatæ; e contrario ad formandum dictamen certum de negatione licentiæ, nullum sufficiens principium ab adversariis potest afferri.

621 Dices. Qui scit, actum aliquem esse materialiter malum, & difformen legi antecedenti, debet concludere, quod eum ponendo sit peccaturus formaliter: ergo qui ob æqualia motiva dubitat, an actus non sit difformis legi antecedenti, similiter debet dubitare, an illum ponendo non sit peccaturus formaliter; nam sicut solum dictamen directum in tali casu actum non regulat, sic neque solum dictamen reflexum. Confir. Qui agit, quod est probabiliter licitum, non peccat: ergo qui agit, quod est probabiliter illicitum, peccat; quia bona est argumentatio ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis. Resp. Conc. ant. neg. cons. In casu antecedentis rursus nullum datur principium ad formandum dictamen certum de licentia actionis; in casu autem consequentis, licet solum dictamen directum non possit actionem regulare proxime, præbet tamen fundamentum, ut operans ex principiis reflexis possit certo judicare, se hic & nunc licite agere. Ad confir. Conc. ant. neg. cons. & suppositum, quod hæc argumentatio sit ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis; cum enim in prima propositione terminus antecedens sit: Agens, quod est probabiliter licitum, & terminus consequens: Non peccat, deberet sic inferri: Ergo qui peccat, non agit, quod est probabiliter licitum. Unde illatio adversariorum similis est huic: Qui sequens consilia Christi non ducit uxorem, agit honeste; ergo qui non sequens consilia Christi ducit uxorem, agit inhoneste.

622 Dices 2. Etiam nostrum dictamen practicum non concludit legitime; facit enim hunc sensum: Cuilibet licet sequi sententiam minus tutam, quæ ipsi directe apparet notabiliter probabilior; sed sententia asserens, in operando licere sequi sententiam minus tutam æqualiter probabilem, est reflexe notabiliter probabilior: ergo. Confirm. Dictamen nostrum reflexum, uti etiam ipsa sententia non versatur immediate circa licentiam actionis, sed tantum circa opinionem

nionem directam, in quam se reflectit: ergo. Resp. Neg. ant. Sed major dictaminis reflexi est universalis ita: Cuilibet licet sequi sententiam minus tutam, quæ ipsi sive directe, sive reflexe notabiliter est probabilior. Quippe lex directa, & reflexa proxime obligans nunquam sibi adversantur, nec DEUS per legem reflexam ullam actionem permittit, ad quam lex directa proxime obligat; unde pro utraque majore probabilitate pugnat eadem ratio, ut ostendi 605, & 606. Ad confir. iterum neg. ant. Licet sententia nostra probetur argumentis reflexis, nihilominus proprie, & immediate versatur circa licentiam actionis in his circumstantiis ponendæ; sensus enim conclusionis est: In casu, quo æqualiter probabile est, actionem minus tutam per legem directam licere, eadem actio probabilius est licita per legem DEI reflexam. Idem debent dicere adversarii, si ex illis quæras, quomodo possit formari dictamen reflexum certum in casu majoris tantum probabilitatis de non existentia legis directæ.

QUÆSTIO V.

An in operando liceat sequi opinionem minus tutam, & simul minus probabilem?

Quæ præcedente quæstione de auctoritate Theologorum dicta sunt, in ista æquali ferme pondere procedunt. Nam P. Rasler præcipuus Semirigoristarum patronus ab exortu Theologiæ scholasticæ usque ad annum hujus sæculi 13tium non nisi 13 Auctores impressos pro sententia media invenit, quibus postea ternarium adjecit, & ipsemet accessit P. Anton. Mayr. Reliqui aut simpliciter Rigoristæ sunt, aut Probabilistæ; profecto antiqui non faciunt discrimen inter opinionem minus tutam æqualiter probabilem, & minus probabilem; imo Lychetus 623

Franciſcanæ familiæ Miniſter Generalis anno 1499 noſtram ſententiam in terminis aſſeruit teſte Fabri Dial, 3 p. 63, Iſaac, autem Habert Vabrarum Epiſcopus de opinione probabili plurimos Concilio Tridentino antiquiores recenſet, „Unde mirum, quomodo Ant. Corduba in ſuo Quæſtionario anno 1571 ſcribere auſus ſit, in ſententiam rigidam omnes Theologos conſentire, A temporibus Medinæ ſententiam ſimpliciter benignam in omnibus ſcholis, & ſacris Ordinibus communiſſimam fuiſſe, teſtantur ipſi adverſarii, Thyrſus Gonzalez, Joannes Obſtrat, Fagnanus, Eminentiſſimus Acquirre, & P. Daniel epiſtol. 3, ubi etiam ſolidiſſime refutat inſcitiam eorum, qui Probabiliſmum a Jeſuitis in ſcholas introductum eſſe rudibus ſaltem perſuadere conantur, cum ſolo Auctorum inſpecto catalogo manifeſtum ſit, illum jam in ſcholis, præſertim Thomiſtarum, fuiſſe communem, antequam ullus Jeſuita aliquid typis vulgavit,

24 Ex Auctoribus, qui ultimo hoc ſæculo, præſertim in Gallia, Probabiliſmo adverſantur, rurſus plerique ſunt Rigoriſtæ, ut colligitur ex pluribus Cleri Gallicani decretis. In eo, quod in comitiis prope Pariſios anno hujus ſæculi primo celebratum eſt, circa uſum Probabiliſmi apud Hyacinth, Graveſon, Hiſt. Eccleſ. tom. 8 pag. 98, hæc prima ſtatuitur regula: *In dubio de ſalutis negotio, ubi æqualia utrinque animo ſeſe offerunt rationum momenta, ſequimur, quod tutius eſt, ſive quod eſt in caſu unice tutum, neque id conſilii, ſed præcepti loco habemus.* In hoc ſenſu intelligendus eſt P. Daniel, quando epiſtol. 4 ait, ad hanc ſententiam multos hodie accedere, ſi nempe pro illa etiam computentur Rigoriſtæ; ſed mirum, quod Semirigidi hic etiam in patrocinium ſuæ cauſæ advocent ſuos paulo ante adverſarios, de quibus ipſimet fatentur, quod ſaltem antiquitus fuerint nixi principiis falſis de ignorantia invincibili, & quorum fundamenta prius rejecerunt, ut adeo etiam in præſenti contro-

verſia

versia illorum auctoritas non adeo sit curanda. Equidem D. Amort contra Probabilismum allegat centum & 30 circiter Auctores; sed ex his aliqui sunt dubiæ fidei, quia in utramque partem citantur, alii sunt suspectæ fidei, aliorum pondus aliunde multum minuitur.

Suspectæ fidei ab Auctore Dictionarii Jansenistici redduntur Opstrat Jansenista Flander, qui in thesibus Theologicis anno 1706 hanc Calvinisticam propositionem docuit: Missæ non refrigerant animas in Purgatorio, sed in refectorio. Henricus a S. Ignatio, qui in operibus suis renovavit Jansenismum, & Bajanismum, ideo a propriis superioribus denunciatus, & Romæ condemnatus. Ludovicus Habert, qui mortuus est appellans a constitutione Unigenitus; ejus Theologia Dogmatica & Moralis censurata est ab Episcopo de Gap. & a Fenelonio Archiepiscopo Cameracensi, tanquam renovans systema Jansenii, & Amiensis eripuit illam e manibus Clericorum. L'Herminier, cujus summa Theologica etiam correcta, dicitur ab Episcopo Gapensi contraria doctrinæ Catholicæ, & conformis Jansenianæ in materia de libertate, & gratia. Berti de disciplinis Theologicis fuit condemnatus ab Archiepiscopo Viennensi de Saleon gemino scripto, in quo Bajanismus, & Jansenismus in scriptis PP. FF. Bellelli & Berti redivivus dicitur. Geneti Theologiam Moralem ob nimium rigorem suspectam habuit facultas Theologica Lovaniensis. Merendæ liber, teste La Croix, Romæ prohibitus est. Operum Vincentii Baronii duo primi tomi, item 4tus, & 5tus, continentes quinque libros apologeticos, prohibentur in Indice libr. prohib. 1704, tertius vero tomus suspenditur, donec corrigatur. Alexander Natalis vir alias multæ lectionis, magnæque eruditionis, tandem in senectute appellavit a constitutione Unigenitus ad futurum Concilium, ut testatur Danes in generali temporum notione. 625

Qui

626 Qui in utramque partem citantur, ſunt circiter 30, & inter hos pene omnes, quos laudatus Auctor dicit repræſentare unanimem veterum ſenſum, uti Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, &c. & quis credat, S. Thomam ex oppoſita parte ſtare, cum a Medina integro ferme ſæculo Thomiſtæ vix non omnes Probabiliſmum defenderint, de quibus ſermo redibit inferius. Id hic noto, quando D. Amort ex Scoto in 4 diſtinct. 11 q. 6 citat hæc verba: *Cum multis ſit probabilior pars negativa, non ſine peccato ſe aliquis exponit dubio, ſequendo affirmativam minus probabilem.* Scotus non loquitur de probabilitate cadente ſupra exiſtentiam legis dubiæ, ſed utrum poſſit conſecrari amidum ſive amylum, aitque, id ſine peccato fieri non poſſe; cum multo ſit probabilius, quod non ſit materia apta ad conſecrationem, & in Sacramentis non liceat adhibere materiam dubiam. Ex reliquis, qui ab eodem citantur, multi ſunt Rigoriſtæ, uti van Roy, van Eſpen, Joannes Schweizer, Camargo, Elizalde, &c. Præterea ad minimum duodecim ſunt ex Sacro Ordine Prædicatorum ad ſtatuta ſui ordinis alligati. Ex quibus vides, citatam Auctorum cohortem ex dubiis, ſuſpectis, nimium rigidis, &c. maximam partem conflatam non adeo formidabilem eſſe, ut primo aſpectu apparet.

627 Porro Probabiliſtæ in tres claſſes poſſunt dividi; aliqui admittunt, quod ſequens opinionem minus probabilem, & minus tutam debeat, ac poſſit illam abſolute judicare veram. Alii dicunt, ſufficere, ſi operans præſcindat, & judicium abſolutum de veritate opinionis ſpeculativæ ſuſpendat. Alii denique valde communiter docent, licitum eſſe ſequi opinionem, quam operans actu judicat eſſe falſam, modo ſimul habeat judicium modale, quod talis opinio adhuc ſit vere, & comparative probabilis. Pariter Probabilioriſtæ diverſis incedunt viis, dum aliqui contendunt, dari obligationem ſequendi probabiliorem

rem in se & absolute talem; nunc vero plerique cum P. Thyrso Gonzalez solum volunt, quod quivis teneatur sequi opinionem subjective, seu respective probabiliorem, quæ videlicet ipsi operanti omnibus expensis videtur probabilior. Res tota iterum reducitur ad hæc duo capita. Utrum in casu, quo opinio affirmans existentiam legis alicui videtur probabilior, lex directa eidem sit sufficienter intimata, vel saltem efficaciter probari possit, quod in hoc casu detur lex reflexa, præcipiens, ut sequamur partem tutiorem, & probabiliorem, de quo, nostris præsertim temporibus, magna contentione, nec sine indecoris crisibus disceptatur, ac si in decisione hujus controversiæ totius moralitatis cardo, & omnis vitæ honestas verteretur.

Verum, ut candide fatear, mihi hæc lis minoris 628
momenti videtur, quam ut tantos mereatur tumultus; vel enim quæstio instituitur de opinione tantum aliqualiter, & probabiliter probabiliore? Vel de opinione notabiliter, & certo probabiliore? Si primum, jam num. 602 adverti, in moralibus parum pro nihilo reputari, neque dubius probabilitatis excessus certam obligationem inducere potest. Si secundum, vir cordatus, & prudens vix audebit affirmare, suam opinionem esse manifeste, & notabiliter probabiliorem, quamdiu oppositam adhuc agnoscit vere, & theologice probabilem. Adde, quod per se absurdum videatur, quemlibet relinquere cerebro suo, sæpe non satis expurgato, & nescio quos excessus probabilitatis sibi fingere, etsi alii doctrina, & numero ad minimum pares cum integris scholis reclament. Certe pleræque illæ opiniones, quas Rigoristæ laxas vocare solent, pro se habent integram scholam vel Cœtum Theologorum, quibus videntur probabiliores.

Multo minus Rigorismus, aut semi-Rigorismus 629
servit ad eliminandam opinionum laxitatem; sicut enim diversissima sunt hominum judicia, sic facile alicui

sub-

ſubjectivè videtur probabilius, quod alii vix tanquam probabile agnoſcunt. Cujus rei exempla paſſim apud ipſos Rigoriſtas, & Probabilioriſtas occurrunt. Sic Thyrſus Gonzalez negat obligationem in confeſſione exponendi numerum objectorum etiam totalium, in quæ quis una voluntate tendit, cum tamen ſententia oppoſita fuerit communior, & Dicaſtillo dicat, eam ſuo tempore fuiſſe unanimem. Munieſſa docet, non eſſe peccatum grave in ſtatu peccati mortalis diſtribuere SS. Euchariſtiam, & tamen Caſtropalao ait, hanc ſententiam eſſe paucorum, & nullatenus admittendam. Fagnanus tradit, auctoritatem unius gravis Doctoris eſſe fundamentum ſufficiens tenendi, & in praxim deducendi aliquam ſententiam, ſi nullus Auctor in contrarium occurrat, & rationes utrinque probabiles ſint. Quomodo autem unus Doctor ſola ſua auctoritate ſine ratione ſtatim efficit probabilitatem notabiliter majorem? Verum locus hic non eſt criminandi iſtas criſes & opiniones, quas ſolum refero, ut aliquibus exemplis mira opinantium varietas oſtendatur.

Fundamenta ſententiæ affirmantis licentiam ſequendi opinionem minus tutam, & ſimul minus probabilem.

630 Argumentum I. Neque jus naturale, neque jus poſitivum obligat, ut ſequamur ſententiam magis tutam, & magis probabilem, quamdiu opinio minus tuta adhuc vere, & comparative probabilis manet: ergo iſtam licet ſequi. Ant. prob. inprimis negative; quia nulla ejusmodi lex poteſt oſtendi; dein, quia non eſt veriſimile, quod lex naturæ univerſalis, & ſe extendens ad omnes homines non agnoſcatur a maxima parte Doctorum etiam poſt longum examen, & ſtudium, per ſesquiſæculum, & ultra continuatum; nam licet adverſariis demus, quod pro illorum ſen-

ſententia ſtet non contemnenda auctoritas, pro noſtra non ſolum ſtat æqualis, ſed etiam major, ut patet ex dictis. Neque Auctores noſtri tantum multitudinem confuſam conſtituunt, aut perſonam duntaxat amanuenſium, aut tabellionum gerunt; quippe ad hanc palmarem falſitatem detegendam tantum oculis opus eſt, ut inſpiciantur libri, & volumina ingentia Sanchez, Laym. Carden. Leſſ. Molin. Viv. item Doctorum Pariſienſium Iſamberti, Gamachæi, Duvalii, Bailii, & celeberrimorum Thomiſtarum Did. Alvarez, Petri Ledeſma, Dominici Bannez, Gregor. Martinez, Joann. Ildephonſi Baptiſt. in Commentariis ab univerſo ordine approbatis, & Joann. Nider, Theologi inſignis Academiæ Viennenſ. Rect.

Reſpondent Probabilioriſtæ, pleroſque Aucto- 631
res, qui pro ſententia benigna citantur, non loqui de opinione minus tuta, & minus probabili, eoquod hanc quæſtionem omnium primus in terminis examinaverit P. Chriſtoph. Raſsler; vel certe plus non velle, quam quod liceat ſequi opinionem minus tutam, & minus probabilem, quando per motivum extrinſecum, vel adventitiam auctoritatem fit probabilior. Quodſi aliqui, præſertim ex Thomiſtis, revera Probabiliſmum defenderint, illos tantum fuiſſe Recentiores, & modernos, dum econtra probabilioriſmus non ſolum in univerſa Gallia, ſed etiam in Italia, & Germania paſſim doceatur, imo etiam ex antiquioribus Probabiliſtis aliqui ſententiam ſuam in ultima ſenectute retractarint, nempe Pallavicinus, Elizalde, Cardenas, Acquirre, Thyrſus, Munieſſa, Camargo, Viſconti.

Contra eſt 1. Quod plurimi Auctores expreſſe 632
docuerint, quod liceat ſequi opinionem minus tutam, & minus probabilem, patet tum ex num 623, tum ex ipſo P. Raſsler, qui poſtquam hunc titulum poſuit: An liceat ſequi ſententiam minus tutam notabiliter

liter minus probabilem, ex citatis pro uſu opinionis æqualiter probabilis 250 Auctoribus, dein diſp. 3 num. 933 non niſi tredecim ſibi vindicat, eoquod reliqui uſum opinionis minus tutæ probabilis adſtruant indefinite, nullo facto diſcrimine inter æqualiter, & minus probabilem. 2. Multo minus in iſtis Auctoribus invenitur veſtigium de adveniente majore probabilitate extrinſeca; imo Michael Salonius Ord. S. Auguſtini jam anno 1592 teſtatur, ſententiæ benignæ ſuffragari multos, & graviſſimos, maxime ex diſcipulis S. Thomæ. Quod ſi Thomiſtæ ſuperius citati tantum ſint recentiores, quinam tandem erunt illi antiqui, qui mentem S. Thomæ felicius rimati ſunt? 3. Quod noſtris temporibus Probabilioriſmus magis invaleſcat, parum videtur ad rem facere; nam etiam Rigoriſmus augetur, an bene, colligendum ex rationibus, quibus illum probant. Certe ad Probabiliſmum longe plures tranſierunt, cum juxta Rigoriſtas ante tempora Medinæ fuerit incognitus, & poſtea totum orbem, & omnes cathedras inundaverit; ad eundem paucis abhinc annis rediit Roncaglia, & innumeri alii usque ad mortem in illo perſtiterunt.

633 Reſpondent 2. De pluribus legibus naturæ adhuc inter Doctores controverti, an revera dentur, & ipſam legem permittentem uſum opinionis probabilis a multis non agnoſci: ergo exiſtentiam, vel non exiſtentiam legis naturalis non legitime inferri ex auctoritate, præſertim cum aliunde conſtet, quod Probabiliſtæ circa objecta moralia non fuerint prædit recto judicio, tum quia multas docuerunt propoſitiones damnatas, tum quia apologiæ a primariis Probabiliſmi patronis editæ non ſolum a pluribus Epiſcopis, maxime Gallis, ſed etiam a Sede Apoſtolica damnatæ fuerunt. Sic teſte Goneto in Gallia, & Romæ ab Alexandro VII damnata eſt apologia Honorati Fabri, & teſte Concina liber P. Math. Moya, cui titulus Amadei Guimenii Lomarenſis Opuſculum.

Hinc

Hinc miratur, quod hic liber rursus in Germania fuerit recusus cum Privilegio Cæsareo, & hoc titulo: Quæstiones selectæ in præcipuis Theologiæ Moralis tractatibus.

Contra est 1. Quando plures re diligenter, & in terminis discussa non agnoscunt obligationem legis naturalis, tamdiu merito præsumitur, illam non dari, quamdiu aliunde non efficaciter probatur; si enim DEUS, ut Auctor naturæ, Creaturis vult imponere obligationem, debet hanc suam voluntatem positive intimare, alias hoc ipso censetur se habere permissive. 2. Ex eo, quod Auctores benigni in vastissima morum doctrina circa aliquas materias particulares erraverint, neutiquam sequitur, quod non habuerint rectum judicium circa materiam generalem de Probabilismo, cum ipsi etiam SS. Patres non nunquam erraverint, ut ostendit Christianus Lupus Dissert. de opinione probabili, disp. 4 cap. 14; non minus damnatæ sunt multæ propositiones antiquorum, quorum auctoritate Probabilioristæ gloriari solent. 3. Si apologiæ quorundam Probabilistarum damnatæ fuerunt, id non fuit factum ob defensionem Probabilismi, sed quia alias doctrinas falsas continuerunt; sicut ob alios errores damnati sunt Antiprobabilistæ Bajus, Jansenius, Quesnellus, Arnaldus, Synichius, Ludovicus Montaltius, vero nomine Blasius Paschalis, qui omnium maxime contra Probabilismum debacchatus est in suis Litteris Provincialibus, quæ ab Alexandro VII proscriptæ, edicto Regio in Galliis laceratæ, & manu carnificis exustæ, ab Inquisitione autem Hispana plenæ calumniis declaratæ sunt. 634

Nempe puritas doctrinæ, & sanum judicium quærendum est apud Opstrat, Henricum a S. Ignatio, &c. item apud Fagnanum, & Concinam, de quorum primo scribit Fabri Dialog. 11, se apud illum invenisse supra ducentos locos in hac materia perperam allegatos; de posteriore San Vitalis testa- 635

 tur,

tur, quod in ſolo tomo I historiæ Probabiliſmi 260 falſitates contineantur, &, ſi copia imprimendi facta fuiſſet, ſe effecturum fuiſſe, ut orbis jam vidiſſet 500 falſitates, quas in libris Concinianis certo deprehenderit. Similis falſitas eſt, quod apologia Caſuiſtarum ſit Patris Fabri; eſt enim Piroti, nec unquam a noſtris ſuperioribus fuit agnitus pro partu Societatis, ut publico ſcripto teſtati ſunt. Quæſtiones ſelectæ P. Moya ſunt longe diverſæ a libro Guimenii, & falſiſſimum eſt, quod unquam fuerint damnatæ. Sed neque decreta a Goneto & Concina citata in Bullario inveniuntur. Id ibi legitur, quod Alexander VII, anno 1665, decreto *Cum ad aures*, condemnaverit librum, cui titulus: Cenſura ſacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis in librum Amadæi Guimenii. Denique Gallos in condemnandis aliorum libris, & opinionibus nimis liberales eſſe, dudum alii conqueſti ſunt; ſic pactum trium contractuum, quod Tournelius de actibus human. cap. 7 art. 5 affert pro exemplo opinionis minus probabilis, & minus tutæ, a Facultate Pariſienſi damnatum eſt anno 1664, & tamen illud tanquam tutum, & licitum poſtea agnovit Univerſitas Colonienſis, Trevirenſis, Complutenſis, Salmanticenſis, Ingolſtadienſis, Friburgenſis, & Moguntina, ut conſtat ex authenticis teſtimoniis, quæ adducit libellus Gallicus Sur la Societe du pret a Rente, editus Pariſiis anno 1745.

636 Argumentum II. Quamdiu ſententia minus tuta adhuc vere manet probabilis, neque lex antecedens, neque conſequens ſufficienter eſt intimata: ergo non datur obligatio ſequendi tutiorem. Ant. prob. Quia in hoc caſu prudenter adhuc poteſt dubitari, an lex antecedens, vel conſequens revera exiſtat; neque aliunde melius poteſt colligi, quænam intimatio legis ſufficiat, & requiratur, quam ex communi ſenſu Doctorum, qui longe magis favet Probabiliſtis. Hinc Iſidorus inter alias conditiones ad legem requi-

ſitas

ſitas expreſſe ponit hanc, ut ſit manifeſta. Imo juxta S. Thomam ille poteſt dici invincibiliter ignorans, qui habet privationem ſcientiæ alicujus rei, quam ſcire vel non poteſt, vel non tenetur. Confir. In materia obedientiæ poteſt, & debet ſubditus ſive ſæcularis, ſive regularis ſequi opinionem Superioris minus tutam, & minus ſibi probabilem, ut probatur tum ex can. Quid culpatur, cauſ. 23 q. 1. ubi refertur doctrina S. Auguſtini cit. n. 570, tum quia Superior eſt in poſſeſſione, & alias facile poſſent eludi præcepta, dicendo, rem imperatam ſibi videri probabilius illicitam; atqui iſta non eſſent vera, ſi lex antecedens, de cujus exiſtentia habetur major probabilitas, eſſet ſufficienter intimata, quia contra legem ſufficienter intimatam, præſertim in iis, quæ ſunt intrinſece mala, Superior nihil poteſt præcipere ſubdito.

Reſpondent Probabilioriſtæ 1. Cum in tali caſu ſuum dubium quilibet facile poſſit deponere, & exiſtentiam legis affirmare, non amplius dari ignorantiam invincibilem, aut dubium invincibile, ſed majorem probabilitatem de exiſtentia legis jam eſſe certitudinem quandam moralem, quam S. Thomas vocat certitudinem probabilitatis, S. Antoninus vero certitudinem civilem, vel ethicam, quæ conſurgat ex conjecturis probabilibus, groſſis, & figuralibus, magis ad unam partem, quam aliam ſe habentibus, & hunc, teſte Terillo, fuiſſe communem ſenſum Doctorum illius temporis. Alias nunquam obligaremur, niſi lex eſſet moraliter certa, vel unice probabilis, quod videtur repugnare providentiæ Divinæ, quæ intenderet obſervantiam ſuarum legum, & tamen circa innumeras non daret media idonea ad obtinendam certitudinem moralem; ex quo ſequeretur longe major legum diſſipatio, quam in ſententia Semirigoriſtarum. Imo pari jure prætendi poſſet ignorantia invincibilis, & dubium legis, quando ſententia ſtans pro lege eſt unice probabilis. 637

638 Contra eſt 1. Quia in caſu controverſo dubium tantum poteſt reſolvi in aſſenſum probabilem, cui adhuc reſiſtit motivum comparative grave, non quidem datur ignorantia, aut dubium invincibile ſtricte tale, datur nihilominus latius tale, conſiſtens in defectu talis notitiæ, qualem ipſe ſupremus Legislator ad inducendam obligationem proximam requirit. 2. Quod major probabilitas, nec in ſenſu morali, nec in phyſico ſit certitudo aliqua proprie talis, quæ ſcilicet excludat omne prudens dubium, & oppoſitum non relinquat theologice probabile, patet ex communi ſenſu Doctorum, qui paſſim aſſerunt, ad faciendam occultam compenſationem requiri jus moraliter certum, & non ſufficere jus ſolum probabilius. 3. Cum DEUS obſervantiam legum tunc ſolum abſolute & proxime intendat, ſi ſint ſufficienter intimatæ, nulla fit legum diſſipatio, ubi aliquæ præciſe non obſervantur per accidens, & in iis circumſtantiis, in quibus legislator id non exigit, præſertim quia inter opiniones theologice probabiles raro habetur exceſſus notabilis, & manifeſtus probabilitatis. Neque eſt paritas cum opinione unice probabili, &c. nam tunc nullum habetur motivum comparative grave contra exiſtentiam legis; hinc ſententia unice probabilis dicitur late moraliter certa, & lex per illam ſufficienter intimatur.

639 Reſpondent 2. Inſtantiam in confirmatione allatam non eſſe ad rem. Nam licet opinio aliqua antecedenter ad præceptum ſuperioris ſubdito videatur probabilius illicita; tamen poſt præceptum debet ipſi veriſimilius videre, quod liceat, quia juxta regulas obedientiæ præceptum Superioris debet apparere tanquam vox Chriſti, & in Superiore oportet revereri ipſum Chriſtum, qui falli nequit, & omnes defectus miniſtri ſupplebit, ut adeo præceptum Superioris objectum præceptum extrinſece immutet, in quantum DEUS, qui forte talem actionem præciſe in ſe ſpe-

ctatam

ctatam lege directa prohibet, eandem ut ſubſtantem præcepto Superioris lege reflexa præcipit ; ferme ſicut uſum materiæ dubiæ in adminiſtratione Sacramenti per ſe prohibet, in caſu vero extremæ neceſſitatis permittit, aut præcipit. Hinc circa materiam obedientiæ requiri longe aliam intimationem legis directæ prohibentis, quam ſit major probabilitas, alias nimis difficile foret regere ſubditos, qui ſæpius poſſent detrectare imperium ſub prætextu, quod res præcepta ſibi videatur probabilius illicita.

Contra eſt 1. Quamvis ſubditus, exiſtimans, 640
aliquam actionem probabilius eſſe illicitam, poſſit, ac debeat captivare ſuum intellectum judicando, ſibi licere id, quod ipſi probabilius ut illicitum proponitur, neutiquam tamen poſſet judicare, hanc actionem ſibi licere, ſi major probabilitas eſſet ſufficiens intimatio legis prohibentis. Nam 2, ſi lex Divina prohibens eſt ſufficienter intimata, non amplius poteſt dari lex reflexa permittens, aut præcipiens talem actionem; deberet enim DEUS ſic tendere: Quamvis per legem directam omnibus prohibeam iſtam actionem, & hæc lex ſubdito ſit ſufficienter nota; nihilominus ob præceptum Superioris per legem reflexam iſtam actionem illi præcipio; atqui DEUS nunquam poteſt præcipere actionem contra legem ſufficienter intimatam, utpote formaliter malam. Aliud eſt de uſu materiæ dubiæ in caſu extremæ neceſſitatis, in quo DEUS hunc uſum nunquam prohibuit, multo minus Miniſtro hanc prohibitionem intimavit. 3. Sicut præceptum Superioris nihil confert, ut lex directa ſit magis, vel minus intimata, ſic gratis in hoc caſu requiritur major intimatio, ſed potius debet dici, quod major probabilitas nunquam ſit intimatio ſufficiens, ne ſubditus illius prætextu præceptum Superioris poſſit eludere.

641 *Argumentum III.* Nulla obligatio valde difficilis, maxime, si sit universalis, & ad omnes se extendat, adstruenda est sine ratione valde efficaci; sed obligatio sequendi tutiorem, quando minus tuta adhuc apparet vere, licet notabiliter minus probabilis, est talis, utpote quæ non solum homines adstringeret ad servandas quasdam leges summe arduas, sed insuper secum traheret obligationem discernendi gradus, & proportiones probabilitatum. Nam, ut recte observat Suarez, & ipsum lumen naturæ dictat, obligatio faciendi importat obligationem sciendi, adeoque etiam inquirendi, & sicut ex eo, quod non liceat sequi opinionem minus tutam, nisi sit vere probabilis, omnes inferimus, operantem obligari ad inquirendam veram probabilitatem opinionis minus tutæ, quam in praxi vult sequi: sic si non liceret sequi opinionem minus tutam & simul minus probabilem, hoc ipso daretur obligatio prius inquirendi, an opinio tutior non sit notabiliter probabilior, quod non posset fieri, nisi proportiones, & gradus probabilitatis utriusque opinionis inter se conferrentur; (atqui hæc obligatio esset frequentissima, difficillima, & plerumque inutilis.

642 Minor subsumpta probata est quæst. præced. & ulterius declaratur. Quoties nobis occurrerent duæ opiniones, quæ passim censentur comparative probabiles, deberemus earum probabilitatem æstimare secundum excessum, & defectum; hæc autem obligatio esset frequentissima, cum in rebus moralibus plurima sub opinionibus posita sint, adeo, ut apud solum Dianam numerentur 3000 quæstiones inter doctos controversæ, & quamvis non dixero, omnes illas esse comparative probabiles, certum tamen est, etiam comparative probabilium dari ingentem farraginem. 2. Ut quis rite ac prudenter æstimet gradus probabilitatis, perspecta habere debet fundamenta tam intrinseca, quam extrinseca utriusque partis, & nisi ex illis prudenter possit concludere, sententiam

minus

minus tutam non esse notabiliter minus probabilem, debebit sequi tutiora; atqui onus ita comparandi, ac cribrandi probabilitates est difficillimum, &, ut notat Medina, Sanchez, Suarez, &c. intolerabile. 3. Hæc obligatio plerumque esset inutilis; ut enim nihil dicam de rudibus, & tantum mediocriter doctis, qui ordinarie nequeunt accuratam utriusque probabilitatis æstimationem instituere, tum ob alias occupationes, tum ob defectum librorum; neque enim in uno & altero tantum fundamenta & auctoritas utriusque partis semper inveniuntur; quis etiam insigniter doctus statim audebit determinare, an sententia S. Thomæ, an S. Bonaventuræ, an opinio integræ Scholæ Thomisticæ, an Scotisticæ sit clare, & notabiliter probabilior. Videat num. 603.

Respondent Probabilioristæ 1. Ad licentiam se- 643
quendi opinionem minus tutam non requiri, ut quis sciat, an ea sit magis, vel æque probabilis absolute, & in se, sed sufficere, modo sit talis respective; in quo non est tanta difficultas; vel enim operans, postquam in indaganda veritate sufficientem adhibuit diligentiam, quod juxta omnes facere debet, clare, & manifeste advertit, se multo magis trahi ad assensum opinionis tutioris, vel hoc non advertit? si primum, non amplius est difficultas in agnoscenda majore probabilitate: si secundum, datur moraliter æqualis probabilitas, & sequi licet minus tutam. Simile quid ipsis Probabilistis dicendum est; nam etiam juxta ipsos operans semper debet inquirere, an opinio minus tuta sit vere theologice, & non tantum tenuiter probabilis; atqui hoc est æque difficile, cum in praxi nullum detur sufficiens criterium veræ probabilitatis a spuria, ut patet ex propositionibus damnatis ab Alexandro VII, Innocentio XI, &c.

Contra est 1. Etsi transmittatur, quod ad licen- 644
tiam sequendi opinionem minus tutam sufficiat æqualis probabilitas respectiva, hæc tamen cognosci non

 potest,

poteſt, niſi præſtetur totum id, quod numero ſuperiore fuit requiſitum; tum quia inclinatio experimentalis major in unam partem non eſt prudens, niſi ſit ſecundum merita motivorum; tum quia vir moderatus, & ſapiens non facile audebit dicere, ſententiam minus tutam manifeſte non eſſe notabiliter minus probabilem, adeoque plerumque debebit ſequi tutius, vel certe innumeris implicabitur difficultatibus. 2. Licet multæ opiniones olim traditæ defacto ſint antiquatæ ob inventas novas rationes, nec paucæ amiſerint probabilitatem propter definitiones Pontificias, nihilominus, ut in praxi aliqua opinio judicetur eſſe vere probabilis, ſufficit ſcire, illam doceri ab integris ſcholis, vel Auctoribus hujus ætatis omni exceptione majoribus. Addit Cardenas, illas opiniones, quæ reperiuntur in aliqua Summa per diuturnam, & communem approbationem recepta, quin de illis conſtet, quod ſint antiquatæ. Idem regulariter tenendum de opinionibus, quas aliquis doctus fuit in publica Academia, niſi contra earum probabilitatem occurrat prudens ratio. Ex quibus vides, longe facilius judicari poſſe de vera probabilitate, quam de certo, & notabili illius exceſſu. Quod ſi in vera probabilitate cognoſcenda juxta Probabilioriſtas ſit tanta difficultas, cur illam augent, aut imponunt onus adhuc longe gravius?

645 Reſpondent 2. Ad taxandos gradus probabilitatis non requiri, ut comparentur omnia fundamenta utriusque opinionis, ſed tantum ea, quæ per diligentiam moralem, & circumſtantiis proportionatam hic & nunc operanti occurrunt; atqui hanc difficultatem non videri nimiam, cum aliunde conſtet, quod non ſolum Judices, Medici, Profeſſores, &c. ſed etiam privati teneantur diſcernere inter notabiles exceſſus rerum, ut quando agitur de notabili violatione jejunii, de notabili materia furti, de defectu pretii pro labore, mercibus, &c. Adde, quod DEUS legem

gem naturalem posuerit in statu naturæ integræ, ubi nondum erat tanta difficultas illam cognoscendi; in statu naturæ lapsæ autem se amantibus sufficientes det gratias hanc difficultatem superandi; sicut illas concedit ad observationem quorumdam aliorum præceptorum valde difficilium, vel si in quibusdam circumstantiis gradus probabilitatis nimis difficulter decerni possent, ex hoc ipso colligeretur, quod ad hoc non obligemur, sed quod tunc solum aliquis debeat sequi opinionem tutiorem, quando illius notabiliter major probabilitas operanti aliunde nota est.

Contra est 1. Nisi omnia utriusque opinionis 646
fundamenta comparentur, æqualis probabilitas non potest esse manifesta, sed merito de illa dubitatur; vel si etiam hæc limitatio transmittatur, nihilominus operans post jam deprehensam probabilitatem ulterius deberet utriusque partis fundamenta ea diligentia comparare, quam circumstantiæ admittunt, quod in materia tam ampla, quæ ad innumeras actiones se extendit, jam esset onus valde grave, & respectu plerorumque labor inutilis. 2. DEUS legem naturalem posuit quidem in statu naturæ integræ, sed nunquam voluit obligare, nisi morali diligentia sufficienter possit cognosci, neque difficultas illam cognoscendi in statu naturæ lapsæ per gratiam ordinariam tollitur, extraordinaria autem non est omnibus parata, & præparatio ad illam summe ardua. 3. Cum obligatio faciendi importet obligationem inquirendi, ex nimia hujus difficultate male a Probabilioristis infertur, quod non detur obligatio taxandi gradus probabilitatis, sed melius invertitur argumentum hoc modo: Quia labor discernendi gradus probabilitatis est nimis difficilis, ad illam non obligamur: ergo neque obligamur ad sequenda probabiliora, eoquod hæc obligatio priorem secum trahat.

Cæterum ex eo, quod in quibusdam casibus 647
particularibus, in quibus existentia legis est certa,

lex utut difficilis debeat ſervari, & notabilis quantitas materiæ taxari, neutiquam ſequitur, hanc obligationem etiam dari in materia ampliſſima Probabilismi, & ubi exiſtentia legis eſt dubia, ſed merito præſumitur, DEUM obligationem proximam legis non urgere, præſertim quia in aliis materiis 1 diſcretio ſæpe dependet a ſenſibus, & facilius fieri poteſt, ut in materia jejunii, furti &c. 2. Habentur plura media, & longius tempus veritatem inquirendi, ut ordinarie contingit apud Judicem, qui inſuper partibus litigantibus ſæpe poteſt ſuadere amicabilem compoſitionem, inſtituere diviſionem, vel procedere ſecundum principia reflexa e. g. *In dubio melior eſt conditio poſſidentis: Potius favendum eſt reo, &c.* 3. Non datur tanta difficultas in exſequenda parte tutiore; ſic Medicus, ſi artem ſuam rite calleat, in caſibus ordinariis facile poteſt deprehendere media probabiliora, eaque præſcribendo nullum damnum patitur; in extraordinariis autem ſatis eſt, ſi faciat, quantum circumſtantiæ patiuntur. 4. Exceſſus non ſemper debet eſſe manifeſtus; ſic Profeſſores tenentur quidem indagare veritatem, nec in rebus fidei & morum poſſunt tradere ſententias, quas judicant eſſe falſas; interim nullus cordatus dicet, omnes ſuas ſententias eſſe manifeſte notabiliter probabiliores.

648 *Argumentum IV.* Eſt a ſuavi DEI providentia prorſus alienum, ut hominibus imponat legem, quæ ſpectata illorum imbecillitate potius noxia, quam utilis foret; atqui talis eſſet lex ſequendi tutiorem, quoties opinio minus tuta eſt minus probabilis: ergo. Minor prob. Honor qui in DEUM, & fructus ſpiritualis, qui forte in hominem ex obſervatione legis redundaret, nec a longe comparari poteſt cum injuria DEI, & damno ſpirituali, quod oriretur ex peccato formali, cujus frequentiſſimo periculo tam difficilis obligatio hominem exponeret: ergo talis obligatio potius eſſet noxia, quam utilis; neque credibile

bile eſt, quod DEUS exigat, ut ipſius honorem, & animæ noſtræ emolumentum procuremus cum tantis anxietatibus, & perplexitatibus, quibus hæc obligatio nos involveret. Hinc Gerſon de vita ſpirituali lect. 4 coroll. 11 hortatur; *Ne faciles ſimus in aſſerendo, aliquas actiones eſſe peccata mortalia, quia quandoque fit, ut per tales aſſertiones nimis duras, generales, & ſtrictas, præſertim in non certiſſimis, nequaquam eruantur homines ex luto peccatorum, ſed in illud profundius, quia deſperatius, immergantur.*

Reſpondent Probabilioriſtæ 1. Obligationem, 649
quam Semirigorismus imponit, adeo non eſſe noxiam, ut potius Probabilismus ſit fons, & origo omnium laxitatum, ac morum corruptelæ. Cum enim homines naturæ vitio ad laxiora ſint proclives, facile ſibi fingunt probabilitates, & vix eſt opinio favens libertati, pro qua rationes probabiles non poſſint excogitari, ut adeo per doctrinam probabiliſticam vix non omnia ſcelera poſſent reddi licita. e. g. Poſſet dici, quod primi parentes probabiliter exiſtimaverint, præceptum de fructu vetito non obligare in conſcientia: Quod Saul ſacrificium offerens id fecerit ob urgentem neceſſitatem; Quod Saulus perſequens Chriſtianos id fecerit ex bono zelo, ut adeo mirum non ſit, tot opiniones a Probabiliſtis traditas eſſe damnatas tanquam temerarias, ſcandaloſas, &c. hinc S. Baſilius procemio in Ethic. corruptionem Eccleſiæ refert in illud Judic. 17 v. 6: *Unusquisque, quod ſibi rectum videbatur, illud faciebat.*

Contra eſt 1. Sicut juxta dicta num. 629, nec 650
Rigorismus, nec Semirigorismus ſervit ad eliminandas opinionum laxitates: ſic Probabilismus bene intellectus, & rite applicatus neutiquam eſt fons laxitatis, eſto, quod aliqui vel ex defectu intelligentiæ, vel ex malitia illo abutantur, prout multi abuſi ſunt libris S. Auguſtini, & ipſa S. Scriptura; quin ideo mala

mala dici possit. Interim certum est, non dari rationes vere probabiles pro omnibus sceleribus; qui autem ex proclivitate ad laxiora culpabiliter sibi fingunt probabilitates, æque sibi fingent probabilitates æquales, vel majores, ut P. Daniel in suis epistolis non uno ostendit exemplo. Quæ ex Scriptura afferuntur, fucum possunt facere rudibus: at vel semidocti satis advertunt, in illis casibus præcepta fuisse ad minimum moraliter certa, & ignorantiam facile vincibilem. 2. Si omnes propositiones tam Catholicorum, quam hæreticorum damnatas consideremus, merito dubitari potest; an plures Rigoristis, quam Probabilistis adscribendæ sint; & illæ ipsæ, quæ in Probabilistis damnatæ sunt, illis videbantur plerumque probabiliores. Certe illud sæculum, in quo Probabilismus præcipue floruit, melius, præsertim in zelo animarum fuisse, probat Cardin. Pallavicinus; neque tempora posteriora, quibus Rigorismus rursus fuit resuscitatus, ideo in moribus emendata sunt. Imo illæ ipsæ regiones, in quibus maxime defenditur, nunquam adduci potuerunt, ut acceptarent decreta reformationis Concilii Tridentini. 3. Juxta ipsos Probabilioristas, cuilibet licitum est facere, quod ipsi rectum videtur. S. Basilius vero loquitur de illis, qui proprii judicii nimis tenaces perverse loquuntur, ut abducant discipulos post se.

651 Respondent 2. Quamvis contra obligationem sequendi tutiorem, quando minus tuta est minus probabilis, aliqui peccarent, hoc solum fore per accidens, neque ex difficultate obligationis bene inferri, illam non dari, cum aliunde constet, quasdam leges esse valde difficiles. Quodsi ad licentiam actionis sufficeret minor probabilitas, frustra a DEO peteretur notitia legum; frustra disputarent Theologi de veritate opinionum, & quilibet facile posset admitti ad regimen conscientiarum; imo dissensio inter Doctores potius esset bona, quam mala. At vero con-

contrarium suo maximo damno expertus est Philippus Cancellarius Parisiensis, quia secutus sententiam tunc minus probabilem, quod liceat habere simul plura beneficia, æternum damnatus fuit, ut narrat Cantipratanus lib. 1 de apibus cap. 19.

Contra est 1. Cum obligatio semper sequendi tutiorem, aut probabiliorem esset frequentissima, & difficillima, hominem non solum per accidens, sed per se, & ex natura sua frequenti periculo peccandi exponeret; hinc cum de tali lege aliunde non satis constet, merito præsumitur, quod DEUS illam non tulerit, ut jam supra animadversum est. 2. Nihilominus oratio est necessaria, tum ut cognoscamus, an opinio sit vere, & comparative probabilis; tum ut sciamus non solum, quid fragilitati humanæ permissum, sed etiam quid DEO magis acceptum sit, idque cognitione congrua, quæ voluntatem potenter excitet ad illius exsecutionem. Ad hoc ipsum servit labor theologorum, per quem quandoque ob inventas novas rationes ad moralem certitudinem pervenitur. In regimine vero animarum tot occurrunt casus, ut multa peritia, & probitate opus sit, ut quis sciat, quænam sententiæ in tam vasta quæstionum moralium materia sint practice probabiles, & quomodo in circumstantiis particularibus debeant applicari principia generalia ex diversis tractatibus de Conscientia, Religione, Peccatis, Justitia, Sacramentis, &c. 3. Quamvis ignorantia invincibilis, & inde orta Doctorum dissensio, sit mala, utpote orta ex defectu & imbecillitate intellectus humani, ideo nequit ad culpam imputari, & sic per accidens non nunquam homini in bonum cedere potest. Cancellarius Parisiensis, si historia vera est, operatus fuit in dubio practico, ut colligit Cardenas ex verbis, quibus ante mortem ad Episcopum dixit, *Se velle experiri, utrum sit damnabile plura beneficia tenere*, & post mortem, *Quod contra plurimorum sententiam opinionem propriam* 652

propriam defensaverit, & se commiserit periculo mortalis culpæ.

653 *Argumentum V.* Licet opinio immediate versans circa licentiam actionis, sit minus probabilis, & minus tuta; nihilominus quamdiu theologice est probabilis, manet simpliciter tuta: ergo cum non teneamur sequi semper tutiora, licite sequimur minus tutam, quamdiu manet theologice probabilis. Ant. prob. tam doctrina S. Thomæ, quam S. Bonaventuræ, quæ a pluribus Pontificibus fuit approbata tanquam tuta, ut de S. Thoma patet ex Bulla Pii V, Mirabilis DEUS, in qua ejus doctrina vocatur *Certissima Christianæ doctrinæ regula*, & ex Brevi Urbani V, Laudabilis DEUS, ad Tholosanos, ubi Fratribus Prædicatoribus injungitur, *ut D. Thomæ doctrinam tanquam benedictam sectentur, & totis viribus amplient.* Similiter opera S. Bonaventuræ in Bulla Canonizationis vocantur *Divina, itaque scripta, ut Spiritus Sanctus in eo locutus videatur*; Sixtus V vero in Bulla, qua ipsum Ecclesiæ Doctorem declaravit, ait: *Opera illius omnia, ut aliorum Doctorum Ecclesiæ, non modo privatim, sed etiam publice citari, proferri, atque cum res postulaverit, adhiberi volumus, ac decernimus.* Jam vero S. Thomas & S. Bonaventura in moralibus sæpe docent, propositiones contradictorias, & contrarias, ex quibus utique non semper ambæ sunt æqualiter probabiles, multo minus probabiliores: ergo sententia minus probabilis est tuta. Hinc licet Jacobus de Marchia contra communiorem PP. Dominicanorum docuerit, sanguinem Christi in terris relictum non esse colendum latria, hæc tamen sententia non impedivit ejus apotheosin, quia hæc opinio tunc temporis probabilis habita est.

654 Respondent Probabilioristæ. Quamvis summi Pontifices laudaverint, & probaverint doctrinam S. Thomæ, & S. Bonaventuræ, nunquam tamen auctoritative definivisse, quod utraque sit a quocunque errore immunis, sed solum voluisse, quod nihil contineat doctri-

næ fidei, aut honeſtati morum aperte contrarium, ſcandaloſum, periculoſum, &c. Unde ex hac approbatione plus non erui, quam quod cuilibet liceat ſequi ſententiam D. Thomæ, aut D. Bonaventuræ, ſi omnibus perpenſis ipſi videatur probabilior, vel ſaltem æque probabilis, ac oppoſita magis tuta. Cæterum Probabiliſmum a nullo Pontifice, aut Concilio poſitive approbatum fuiſſe, quod tamen fieri debuiſſet, ſi eſſet tam ſecura, quam facilis, ac compendioſa ad cœlum via. Quin potius a contrario Pontifices, ac Congregationes Cardinalium nunquam reſpondere, aut diſpenſare ſecundum opinionem minus tutam, & minus probabilem, & hunc teſte Cardinale de Aquirre ſemper fuiſſe ſpiritum Romanorum Pontificum, Cardinalium, & Epiſcoporum, qui ediderunt Canones, & conſilia.

Contra eſt 1. Summi Pontifices doctrinam S. 655
Thomæ, & S. Bonaventuræ vocant Benedictam, Divinam, certam doctrinæ Chriſtianæ regulam, quæ publice doceri, & in praxi teneri poſſit: ergo illam non ſolum approbarunt, ut approbari ſolent libri aliorum Auctorum, ſed eidem tribuerunt ſpecialem quamdam prærogativam, vi cujus tuto, & ſine periculo peccati formalis illam ſequi valeamus, ſaltem quamdiu manifeſtus error non detegitur, ſed adhuc manet probabilis. 2. Approbatio ſolum reſpectiva ad judicium operantis eſſet inutilis, & ridicula; ſi enim perpenſis omnibus ſententia minus tuta operanti apparet probabilior, juxta ipſos adverſarios illam poteſt ſequi, quicunque Auctor illam tradiderit, ſive ab Eccleſia approbatus, ſive non. 3. Quamvis Eccleſia nunquam explicite Probabiliſmum approbaverit, ſcit tamen, illum paſſim ob Auctoribus tradi, nec unquam rite & ſobrie intellectum damnavit, neque Innocentius XI, licet toto Pontificatus ſui tempore urgeretur, unquam adduci potuit, ut proſcriberet hanc propoſitionem: Licitum eſt ſequi opinionem minus probabilem, & minus

minus tutam, quæ vere probabilis eſt, quod utique feciſſet, ſi Probabilismus, ut adverſarii criminantur, eſſet fons, & origo omnium laxitatum. Nempe ſententiæ inter Catholicos controverſæ non ſtatim Pontificio oraculo decidi ſolent, præſertim ſi nihil contra fidem, aut bonos mores contineant.

656 Quod reſponſiones Conciliorum, Pontificum, & Congregationum attinet, quando propoſita ſibi dubia reſolvunt, agunt tanquam Doctores, & Judices in rebus fidei & morum; Judex autem debet ſequi ſententiam magis probabilem, ut diſp. ſeq. oſtendetur. At vero quod Pontifex nunquam diſpenſaverit ſecundum minus probabilem, nunquam probabunt Probabilioriſtæ; nam dicere, quod ſententiam D. Thomæ, item Scoti, & S. Bonaventuræ ſemper judicaverit notabiliter minus probabilem, quoties contra illam diſpenſavit, deſperatum eſt effugium. Imo Sotus teſtatur, Adrianum VI contra propriam opinionem diſpenſaſſe in Matrimonio rato propter unius Cajetani auctoritatem. Cardinalis de Aquirre, ſi velit, quod nullus Cardinalis, aut Epiſcopus Probabilismum docuerit, nimis in ſuo ſenſu abundat; debuiſſet enim excipere Toletum, Lugonem, aliosque a P. Raſsler citatos. Certe fallitur, dum ait, Probabilismum communi ſenſu Profeſſorum Salisburgenſium condemnatum eſſe, contrarium patet ex libris P. Pauli Mezger, Babenſtuber, &c.

657 *Argumentum VI.* Licitum eſt ſequi ſententiam minus tutam probabiliorem, vel ſaltem æque probabilem; ſed ſententia aſſerens, licitum eſſe uſum opinionis minus tutæ, ſimulque minus probabilis, modo adhuc comparative, & theologice ſit probabilis, eſt probabilior, vel ſaltem æque probabilis, ac ſententia Probabilioriſtarum; ergo licet in operando hanc ſententiam ſequi. In hoc diſcurſu continetur dictamen ultimum reflexum; Major enim ſufficienter

probata

probata eſt quæſtionibus præcedentibus, & quoad ſententiam æque probabilem ulterius oſtenditur: Certo licet in operando ſequi ſententiam minus tutam magis probabilem: ſed magis probabile eſt, quod liceat ſequi ſententiam minus tutam æque probabilem: ergo certo talem ſententiam licet ſequi. Ex quibus vides, quomodo per varias propoſitiones tandem deveniatur ad dictamen ultimum certum; ponamus, quod aliquis ex principiis directis habeat hoc dictamen: Probabiliter licet pingere die feſto, tunc prima propoſitio reflexa erit: Saltem æque probabile eſt, in praxi licitum eſſe uſum opinionis minus tutæ, licet minus probabilis; altera: Probabilius licet ſequi ſententiam æque probabilem; tertia: Certum eſt, quod liceat ſequi opinionem probabiliorem; vel ſi brevius rem conficere velis, poteris ita concludere: Lex, quæ probabilius non eſt ſufficienter intimata, non obligat; atqui in noſtro caſu probabilius neque lex directa, neque reflexa ſequendi opinionem magis tutam eſt ſufficienter promulgata: ergo &c.

Reſpondent Probabilioriſtæ rurſus: Quamvis liceat ſequi ſententiam minus tutam, ſi ex principiis reflexis probetur, quod ipſa lex directa probabilius non exiſtat, id tamen non procedere, ſi exiſtentia legis directæ maneat probabilior; qui enim videt meliora, & deteriora probat, ſequitur ſtateram falſam, & agit inhoneſte. Nempe quando lex directa probabilius exiſtit, non ſolum agitur de poſſeſſione, ſed ſimul de jure directo inter DEUM, & hominem: ergo ſtandum eſt pro DEO, cum juxta praxim omnium tribunalium concurrente ſimul judicio poſſeſſorio, & petitorio, pronuncietur in favorem illius, qui habet rationes fortiores. Profecto ſervus non ſatisfaceret officio ſuo, nec dominus cum ipſo eſſet contentus, ſi præciſe, ne ingratum ſibi onus imponat, nollet facere quidquam, quod herus ſolum probabilius præcipit. Idem eſt de obligatione ſub- 658

diti erga regem, filii erga patrem, uxoris erga maritum, &c. Jam vero obligatio hominis erga DEUM est longe fortior, quam servi erga dominum terrenum : ergo.

659 Contra est 1. Quia numero 605 jam ostensum est, nihil interesse, sive major probabilitas detur de non existentia legis directæ, sive reflexæ, cum in neutro casu lex directa sit sufficienter intimata; hinc ille solum dicitur probare deteriora, qui facit id, quod agnoscit, hic & nunc esse contra legem proxime obligantem, & non operatur ex dictamine practico certo. 2. Quæstio, quæ hic agitatur, non versatur in eo, an DEUS habeat jus præcipiendi, ut sequamur sententiam magis tutam, & magis probabilem, sed utrum in tali casu actu velit obligare, & quidem proxime; rationes autem allatæ probant, quod nolit; hinc non est paritas cum judicio forensi, ubi & respublica, & ipsi litigantes exigunt, ut sententia feratur juxta merita causæ. 3. Famuli in exhibendis hero servitiis ordinarie non tantum obligantur ad probabiliora, sed omnino ad tutiora vel ex mandato expresso, vel ex contractu, vel ex consuetudine. Unde etsi obligatio nostra erga DEUM cæteris paribus sit major, sæpe cætera non sunt paria, & aliunde constat, DEUM benignius agere cum homine, quam terreni domini soleant cum suis servis. Quod vero etiam pater, & maritus prudenter obliget ad tutiora, quando hæc obligatio esset valde gravis, & ex ejus neglectu nullum ipsi damnum oriretur, merito negatur, & ad obligationem legis humanæ ipse Justinianus Novell. 66 requirit, ut sit manifesta.

Fundamenta sententiæ negantis licentiam sequendi opinionem minus tutam, & simul minus probabilem.

660 Argumentum I. Ex una parte ipsa natura nos impellit, ut sequamur verisimiliora: ex altera parte

operans

operans suam actionem debet conformare regulæ honestatis, non tantum quomodocunque, sed in veritate, & quantum fieri potest; atqui hoc non fit, si sequimur opinionem minus tutam, & minus probabilem; tunc enim ipsimet advertimus, quod imprudenter agamus, sicut in quovis alio negotio gravi de salute corporis, commodo proprio, aut alieno e. g. sui heri, imprudenter agere censetur, qui sequitur partem minus tutam, & minus probabilem: ergo multo magis id censendum est, ubi agitur de salute animæ, & fuga peccati, quod longe magis offendit DEUM, & longe gravius nocet, quam alia damna. Nempe ubi existentia legis est dubia, homo in foro domestico conscientiæ agit quasi judicem inter DEUM, & se ipsum; judex autem cuique tenetur suum reddere, & ideo sequi judicium intellectus, & opinionem probabiliorem, ne alias alterutri parti injustum gravamen inferat; hinc illa querela Christi: *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis.* Luc. 16 v. 8.

Respondent Probabilistæ 1. Quod natura nos 661
quidem impellat, ut sequamur verisimiliora in judicando, imo etiam in operando, ita tamen, ut actio non debeat præcise spectari secundum se, sed cum omnibus suis circumstantiis; cum igitur probabilius sit, quod DEUS per legem reflexam permittat actionem minus tutam, quando per legem directam probabiliter est licita, operans jam sequitur, quod est verisimilius, & quantum tenetur, se conformat regulæ proximæ honestatis, neque agit imprudenter; ut autem semper agamus id, quod est melius, & prudentius, nulla lege obligamur. 2. Quod in aliis negotiis eligentes minus tutum censeantur agere imprudenter, inde est, quia se exponunt periculo incurrendi aliquod damnum, vel negligendi aliquod lucrum, quod procurare deberent. At operans secundum opinionem minus probabilem, nec DEUM formaliter offendit, nec ullum animæ damnum in-

 currit,

currit, nec majus lucrum hic & nunc procurare tenetur, ſed ad ſummum agit minus prudenter, ſicut qui bona ſua non diſtribuit in pauperes. Porro villicus iniquitatis, de quo Luci 16 fit mentio, diſſipando bona Domini ſui utique poſitive imprudenter egit, nec ideo a Chriſto imitandus proponitur, ſed ſolum laudatur, quia benefaciendo aliis ſibi tam ſolerter in hoc ſæculo de annona providit. 3. Poteſtas judicandi inter DEUM, & hominem non bene tribuitur ſubdito, & ſervo, qui tenetur agere juxta voluntatem domini, at proxime obligantem, ſpectatis non ſolum principiis directis, ſed etiam reflexis, eoquod ipſe DEUS permittat, ut agamus juxta legem conſequentem. Aliud eſt de Judice terreno, qui ex quaſi contractu obligatur judicare ſecundum merita cauſæ, & alias parti litiganti gravem injuriam, & injuſtum damnum inferret.

662 Urgent Probabilioriſtæ 1. Potuit DEUS prudenter condere legem reflexam, ut obligemur ad tutiora, quando ſimul ſunt probabiliora, ſicut talem condidit e. g. circa valorem Sacramenti: ergo illam condidit. Conſ. prob. tum quia reverentia erga Legislatorem exigit, ut ſicut quando major probabilitas ſtat pro libertate, credimus DEUM cedere libertati, ſic viciſſim, quando major probabilitas ſtat pro lege, judicemus libertatem ſubjacere legi: tum quia tali modo melius conſulitur efficaciæ legum, & ſatis conſultum eſt fragilitati humanæ; nam licet quandoque obligemur ad leges reipſa non exiſtentes, id onus ſufficienter compenſatur per hoc, quod non teneamur ſervare leges ſub æquali tantum probabilitate propoſitas. Hinc SS. Patres paſſim docent, *quemlibet debere indagare veritatem, omnia ſtudioſe inquirere, videre, quid legi Divinæ magis conveniat, arbitrium regere ratione, non rationem arbitrio, non quamlibet conſuetudinem eſſe recipiendam, nec quamlibet auctoritatem eſſe tutam regulam operandi, ſed etiam in probabili ſermone timendam eſſe deceptionem, neminem relinquendum in ignorantia, eoquod error*

error in judicando justo inducat periculum damnationis, ut prolixa textuum serie probare conatur D. Amort.

Resp. Probabilistæ 1. Quamvis permittatur, 663
quod DEUS nos obligare potuisset, ut universim sequamur tutiora, quando simul sunt probabiliora, quia tamen per hoc valde gravaretur conscientia, & libertas humana, eoquod gravissimum foret non solum taxare probabilitates, sed etiam sub mortali obligari aliquando ad res difficillimas, de quibus prudens habetur ratio, quod non sint præceptæ; reverentia DEO debita nunquam exigit, ut hoc onus sub præcepto nobis imponat, sed sicut permittit, ut agamus juxta opinionem minus tutam magis, aut æque probabilem, sic credibile est, quod idem permittat, quando opinio minus tuta est quidem minus, vere tamen probabilis, cum per talem permissionem nec jus Divinum, nec auctoritas Legislatoris lædatur, aut gravetur. 2. Etsi in sententia Probabilioristarum forsan aliquando magis consuleretur efficaciæ legum, non tamen satis consultum esset fragilitati humanæ; imo si Semirigorismus subsisteret, tam frequens, ac tanta in taxandis probabilitatibus, & non nunquam etiam in exsecutione rei esset difficultas, ut plurimæ fierent transgressiones legum formales, quæ admissio Probabilismo solum sunt materiales. 3. Cum juxta Probabilistas tantum liceat sequi sententiam vere, & comparative probabilem, si veritas adhibita sufficienti diligentia non potest inveniri, & insuper debeat formari dictamen ultimum moraliter certum de licentia actionis, quam operans vult exercere, optime etiam apud ipsos observantur, quæ a SS. Patribus ad licentiam actionis requiruntur, ut facile patebit consideranti.

Urgent 2. SS. Patres, præsertim Ambrosius, Chrysostomus, & Clemens Alexandrinus, passim inculcant, *quod quilibet teneatur sequi propriam conscientiam, & quod sibi videtur verum esse; quod verisimilitudo non* 664

excuset, quod execrabilis coram DEO sit, qui justum judicat injustum, injustum vero justum, quod in iis, quæ ad nos spectant, potius debeamus sequi nostrum, quam aliorum judicium, quod optimum debeat eligi; atqui hæc non deberent observari apud Probabilistas, juxta quos liceret etiam ea facere, quæ probabilius videntur prohibita, & ad licentiam actionis plus non requireretur, quam ut numerentur Auctores; imo modo aliquam opinionem invenirent in unico Auctore, de qua non constat, quod sit ab Ecclesia rejecta, statim inferrent, eam esse probabilem, quod reprehendit S. Hieronymus epistol. 65 ad Pamach. de erroribus Origenis.

665 Resp. Ex SS. Patribus vix aliquid solide pro alterutra sententia concludi posse, eoquod hanc materiam nunquam in terminis, & ex professo tractaverint; imo quosdam non obscure favere sententiæ benignæ, ut S. Augustinus cit. num. 570, & illi, qui num. 602, ajunt, in rebus dubiis partem benigniorem amplectendam esse; in textibus hic objectis solum volunt 1, quod debeamus sequi propriam conscientiam, & ipsa opinio sit quasi lex, si in illa sistamus sine ulteriore judicio practico. 2. Quod non excuset verisimilitudo culpabiliter erronea. 3. Quod debeamus potius sequi nostrum judicium, quam alienum, in iis, quæ sunt in nobis, & ab aliis non possunt sufficienter cognosci. 4. Quod execrabilis sit, qui injustum judicat justum ex sua culpa. 5. Quod debeamus eligere optimum circa veram religionem, de cujus electione S. Clemens loquitur ad gentes. Porro an juxta Probabilistas sufficiat numerare Auctores, patebit legenti Vivam, La Croix, Cardenas, Moyam, &c. apud quos clare videbit, ad faciendam veram probabilitatem non sufficere quamlibet auctoritatem, sed etiam considerandas esse rationes, & probitatem Doctorum, ac cæteris paribus plus deferendum illis, qui magis sancti, ac a DEO specialiter illuminati fuerunt. Locus S. Hieronymi non est ad rem; nam duntaxat ostendit,

ostendit, quod doctrina Origenis non possit dici probabilis tantum ex eo, quia a Concilio Nicæno non fuit damnata, cum ejus falsitas aliunde pateat.

Argumentum II. Illa sententia non potest sustineri, quæ a variis Conciliis fuit rejecta; atqui talis est sententia Probabilistarum; nam 1 Clemens V de controversia, utrum parvuli in Baptismo accipiant gratiam habitualem, in Concilio Viennensi ita pronuntiat: *Opinionem secundam* (affirmativam) *tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, & Doctorum Theologiæ magis consonam, ac concordem duximus eligendam.* 2. Concilium Triburiense anno 895 can. 48 ait: *Siquis suæ spiritualis commatris filiam fortuito, & ita contingente rerum casu in conjugium duxerit, consilio maturiore servato habeat, atque honeste legitimo conjugio operam det.* 3. Contra Probabilismum pugnant decreta, & propositiones censuratæ a Concilio Gallicano anno 1700 celebrato, præsertim illud, quod citatum est num. 624. 666

Respondent Probabilistæ. Quemadmodum nullum aliud Concilium potest ostendi, quod Probabilismum proscripsit: sic superius nominata male contra illum allegari. Nam 1 quæstio in Concilio Viennensi agitata non immediate versabatur circa licentiam actionis, & licet ex diversis sententiis elegerit probabiliorem, ideo aliis non imposuit obligationem, ut universim in operando probabiliorem sequantur. 2. Concilium Triburiense expresse ait: *Se propter eos, qui diversa sentiunt, nihil velle definire,* quin, ut advertit Cabasutius Histor. Eccles. pag. 555. Concilium hoc consuluit secundum partem probabilem minus tutam. 3. Concilio Gallicano ex 18 Archiepiscopis, & 112 Episcopis, quos Gallia numerat, tantum 16 cum aliquot Clericis erant præsentes, ut animadversum num. 588; sed neque ex propositionibus ibi censuratis, prout a D. Amort citantur, colligi potest, quod Probabilismum damnaverit, ex 667

propoſitione vero cit. num. 624 omnino Rigorismus ſequeretur. Cæterum Pythanophilus in Probabilismo method. mathemat. demonſtr. hic quærit, quisnam conventus Gallicanus plenior ſit habendus, an iste anno 1700, in quo contra Probabilismum, an ille anno 1682, in quo contra Papæ poteſtatem, & infallibilitatem deciſum eſt.

668 Urgent Probabilioriſtæ. Saltem varii Ordines Religioſi Probabilismum proſcripſerunt, & ſuis prohibuerunt, ne illum poſthac doceant; ita teſtatur Gonetus de Ordine SS. Trinitatis, Theatinorum, Prædicatorum, & Mutio Viteleſco Generali Societatis JESU. Addit D. Amort, Innocentium XI P. Thyrſo Gonzalez Generali ejusdem Societatis injunxiſſe, ut Probabilismum eliminet: & merito; quippe quando exiſtentia legis notabiliter eſt probabilior, opinio minus tuta non amplius poteſt prudenter affirmari, ſed ſi voluntas intellectui judicium quoddam abſolutum imperare velit, neceſſario debebit judicare, quod ejusmodi actio lege directa ſit prohibita, adeoque lex reflexa eandem actionem permittens non amplius poteſt habere locum.

669 Reſpond. Probabiliſtæ. Si hac de re exſtarent decreta Ordinum Religioſorum, ex illis ad ſummum probari, quod tunc in Capitulo generali vota contra illum prævaluerint; Auctores vero, qui poſtea ſcripſerunt, non amplius erant liberi, adeoque illorum numerus parum probat. Porro decretum, quod anno 1655 in capitulo generali PP. Dominicanorum confectum, ſub calcem exhibet Pythanophilus, & addit perpenſis decreti verbis, nihil contra Probabilismum in illo ſtatutum fuiſſe; utut autem ſententia rigida nunc apud PP. Dominicanos communis ſit, anno 1644 in comitiis generalibus ſub Generali Thoma Turco Joannem Ildephonſum ſub obedientiæ præcepto adegerunt, ut in lucem emitteret Commentaria ſua, in quibus doctrinam Probabilismi fuſe defendit.

Eundem

Eundem nunquam prohibuit Mutius Vitelescus, sed tantum monuit, ne doceantur sententiæ nimis liberæ; quod vero de Innocentio XI additur, desumptum est ex decretis apocryphis Concinæ; nam, ut ex autographo constat, Innocentius solum petiit, ut Patribus Societatis daretur licentia impugnandi Probabilismum, eique responsum, hoc ipsis nunquam fuisse interdictum. Quid denique statuerint Ordines SS. Trinitatis, & Theatinorum, ex inspectis ipsorum decretis colligendum esset, nec enim satis fidendum Goneto.

Interim Probabilismus in Germania adhuc defenditur a non paucis variorum Ordinum Religiosis, in Italia illum haud ita pridem professus est P. Didacus Duarte Ord. Min. Reformat. P. Jacobus de Corella Capuc. Constant. Roncaglia ex Congreg. Matris DEI &c. Quod rationem a Probabilioristis adductam attinet ex illis, quæ a num. 558 dicta fuerunt, colligi poterit, an intellectus nequeat prudenter assentiri opinioni, quæ ipsi apparet minus probabilis, quam opposita. Certe in hoc casu neque magis probabilem ita poterit affirmare, ut non simul agnoscat, etiam pro parte opposita stare prudens, ac grave fundamentum, adeoque suum judicium neutiquam esse certum, & immune a præsenti periculo erroris; unde per tale judicium incertum & formidolosum, existentia legis directæ ipsi necdum est sufficienter intimata, sed merito adhuc confugere potest ad legem DEI reflexam, ut Probabilistæ satis se probasse existimant argumento secundo. 670

Argumentum III. Quando sententia magis tuta est notabiliter & manifeste probabilior, tunc illius motiva ita elidunt vim motivorum minus gravium, quæ pro sententia minus tuta militare videntur, ut hæc non amplius maneat comparative probabilis: ergo non licet sequi sententiam minus tutam, & notabiliter minus probabilem; alias etiam dici posset, quod licitum sit in operando sequi sententiam minus tutam 671

dubie tantum, aut probabiliter probabilem, ex quo plane ſequeretur nimia morum laxitas. Quare non videtur ſuſtinenda doctrina P. Tamburini, Illſung, Cardenas, &c. qui licitum uſum opinionis minus tutæ extendunt etiam ad opiniones probabiliter ſolum probabiles, tum, quia, ut ajunt, omnibus conſideratis prudenter poteſt judicari pro illis ſtare gravia fundamenta; tum quia, ſi ſemper deberemus examinare, an opinio ſit certo probabilis, induceremur in infinitas anxietates.

672 Reſpondent Probabiliſtæ. Per hoc argumentum, ſi verum eſſet, omnino everti ſtatum quæſtionis, idque contra communiſſimam auctoritatem; quippe ſtante notabiliter majore probabilitate poſſe alteram ſententiam adhuc vere & comparative manere probabilem, non ſolum tenent omnes patroni benignæ ſententiæ, ſed etiam alii paſſim, qui, dum in ſcholis tradunt aliquam opinionem tanquam probabiliorem, non hoc ipſo contrariam rejiciunt tanquam improbabilem. Sic teſte Illſung communiſſima docet, advocatum poſſe patrocinari cauſæ minus probabili contra probabiliorem; ſic ipſa Scriptura ſolem, & lunam vocat duo luminaria magna, licet ſol incomparabiliter major ſit, quam luna. Ad 1 ſequelam dicunt, quando pro exiſtentia legis habetur motivum certo probabile, non adeſſe titulum excuſantem ab illius obſervatione, niſi adſit etiam motivum vere grave pro non exiſtentia legis; hinc dum de ipſa gravitate motivi, & conſequenter de probabilitate opinionis minus tutæ dubitatur, ſtandum eſſe pro lege. Ad alteram ſequelam Viva, Terillus, Lumbier, &c. dicunt, opinionem tantum probabiliter probabilem debere reputari tanquam tenuiter probabilem, tum quia videtur tantum dubie probabilis, tum quia, ſicut ſententia certo probabilis non eſt abſolute certa, ſic ſententia tantum probabiliter probabilis non eſt abſolute probabilis.

 Urgent

Urgent Probabilioristæ. Quantum una sententia accedit ad veritatem, & probabilitatem, tantum opposita ab illa recedit, & excessus in una est defectus in altera: ergo sententia manifeste & notabiliter minus probabilis notabiliter a veritate recedit, & deficit: ergo non amplius manet comparative probabilis; nam sicut evidentia veritatis excludit omnem probabilitatem de opposito, ita evidentia majoris probabilitatis de inhonestate actionis, excludit certam probabilitatem de licentia ejusdem actionis. Confir. Esse probabile, & prudenter affirmabile sunt idem; sed sententia minus tuta, & notabiliter minus probabilis non est certo affirmabilis: ergo etiam non est certo probabilis. 673

Respondent Probabilistæ. Transf. ant. dist. conf. Sententia manifeste & notabiliter minus probabilis notabiliter a veritate deficit, id est, manifeste est notabiliter minus probabilis, conc. conf. manifeste est falsa, neg. conf. cum ulteriore sequela. Evidentia de veritate necessitat intellectum ad assensum absolutum, & excludit omne dubium, etiam imprudens, adeoque a fortiori omnem probabilitatem de opposito: at evidentia majoris probabilitatis solum necessitat ad hoc, ut sententiam oppositam non possimus judicare æque probabilem. Ad confir. transf. maj. dist. min. Sententia minus tuta, & minus probabilis non est certo prudenter affirmabilis tanquam vera, transf. min. tanquam verisimilis, neg. min. & conf. Sæpe falsa sunt probabiliora veris; hinc licet opere operans non posset judicare sententiam, quæ ipsi videtur minus probabilis, esse absolute veram, certus tamen est, illam niti talibus motivis, ob quæ forsitan est vera, & ab aliis prudenter probabilis, vel etiam probabilior judicari potest. 674

Argumentum IV. Non licet in operando sequi opinionem minus tutam, tantum tenuiter probabilem; atqui opinio notabiliter minus probabilis est tantum tenuiter probabilis; ergo si est minus tuta, non licet 675

illam

illam sequi. Major patet ex propositione 3 damnata ab Innocentio XI: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quamvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Min. prob. 1. Quia, quod est manifeste, & longe majus altero, redigit alterum ad parvitatem: ergo opinio manifeste, & notabiliter magis probabilis redigit oppositam ad probabilitatem parvam, & tenuem. 2. Quia, si sub tenui probabilitate non continerentur propositiones theologice quidem, sed notabiliter minus probabiles, frustranea foret damnatio Pontificis; quippe per se clarum est, quod probabilitas tantum levis, contemptibilis, & quasi nulla non serviat ad prudens regimen conscientiæ.

676 Respondent Probabilistæ. Etiam hoc argumentum versari extra statum quæstionis; se enim loqui de opinione minus quidem, attamen vere adhuc, & comparative probabili, per tenuiter autem probabilem intelligi illam, quæ nititur motivo tantum levi saltem comparative; eoquod per motiva contraria enervetur. Præterea propositionem damnatam esse nimis generalem, nec facere discrimen inter probabilitatem, quæ immediate versatur circa licentiam, & circa aliud objectum e. g. valorem Sacramenti, jus tertii, salubritatem medicinæ. Nihilominus in forma conc. maj. neg. min. Ad 1 prob. neg. ant. Nam inter duos gigantes, quorum alter alterum capite tenus excedit, datur manifesta, & notabilis diversitas, nec tamen propterea, qui minor est, parvus evadit. Ad 2 prob. iterum neg. ant. eo quod per tenuem probabilitatem non intelligatur ita levis, & modica, ut ab omnibus repudietur, quasi non esset, sed nixa motivo apparenter, & secundum quid, vel etiam dubie gravi, ita, ut, licet non mereatur prudentem assensum, contineatur tamen intra fines probabilitatis tanquam species analoga: qualis non raro est opinio quædam fundata auctoritate

unius

unius, vel alterius moderni scriptoris, habens pro se rationes quasdam apparentes, sed non solidas, per quas cum alii, præsertim minus docti, in errorem induci possent, merito propositio est damnata, uti etiam illa, quæ citata fuit num. 546.

Urgent Probabilioristæ. Pontifex in propositione allegata damnavit illam probabilitatem tenuem, quæ adhuc continetur intra limites probabilitatis; atqui probabilitas comparative levis non continetur intra limites probabilitatis; quod enim tantum tenuiter est probabile, potius est improbabile. Porro quamvis propositio damnata, prout jacet, sit nimis generalis, & non distinguat inter probabilitatem immediate versantem circa licentiam actionis, & versantem circa alias materias; aliunde tamen colligitur, quod mens Pontificis non fuerit tantum proscribere Probabilismum vagum. Nam quod in administratione Sacramentorum, & ferenda sententia non liceat sequi sententiam minus probabilem, jam damnaverat in propositione prima, & secunda: ergo in tertia voluit damnare aliud, nempe tenuem probabilitatem versantem circa licentiam actionis. 677

Respondent Probabilistæ. Probabilitatem dupliciter accipi posse, late, & stricte. Late accepta est apparentia veritatis, quæ si sit tantum dubia, aut secundum quid magna, erit tenuis: probabilitas stricte, & theologice accepta est, quæ nititur fundamento vere, certo, & comparative gravi. Jam licet opinio tantum tenuiter probabilis non contineatur intra limites probabilitatis stricte acceptæ, & in sensu Theologico omne tenuiter tantum probabile sit improbabile; continetur nihilominus opinio tenuiter probabilis tanquam species analoga intra limites probabilitatis late acceptæ, in quo sensu latiore solum illud improbabile dicitur, quod nullam, ne quidem apparenter gravem, rationem habet. Quod autem 678

autem Pontifex in propositione damnata probabilitatem acceperit latius, colligunt tum ex suis probationibus, tum ex eo, quod neutiquam sit credibile, Pontificem voluisse damnare sententiam, quæ ab innumeris, & gravissimis Auctoribus defendebatur, & adhuc defenditur sciente, & inspectante Roma. Cæterum nihil est novi, quod eadem doctrina sæpius damnetur, si sæpius sub diversis terminis proponitur, nec solum in materia Sacramentorum, & justitiæ probabilitas immediate potest cadere supra aliquid aliud, quam licentiam actionis.

679 *Argumentum V.* Quando sententia magis tuta est manifeste, & notabiliter probabilior, lex directe obligans est sufficienter intimata: ergo hoc ipso proxime obligat. Ant. prob. Quia in tali casu habetur tanta notitia legis directæ, qua major communiter nec haberi, nec DEUS a majore hominum parte sperare potest. Si igitur hæc notitia non sufficeret, plurimæ leges revera existentes possent impune violari, imo plurima comitterentur peccata formalia; ponamus enim, objective, & intrinsece malum esse, quod est minus probabile: jam sic: Quisquis deliberate facit rem objective, & intrinsece malam, peccat, nisi excusetur per ignorantiam invincibilem; sed ille, qui sequitur opinionem minus probabilem, deliberate facit rem objective, & intrinsece malam, quin excusetur per ignorantiam invincibilem; cum enim prohibitio talis actionis ipsi manifeste verisimilior proponatur, quam ejus permissio, hanc prohibitionem non ignorat invincibiliter, quin nec de illa invincibiliter dubitat, sed dubium suum facile potest deponere.

680 Respondent Probabilistæ. Utrum major probabilitas sit sufficiens promulgatio legis, esse in quæstione, & a majore Doctorum parte negari, neque verum esse, quod major notitia ordinarie haberi nequeat; raro enim, aut vix contingit, ut aliqua sententia inter Auctores controversa sit manifeste, aut notabiliter pro-

probabilior, dum plurimæ leges nobis ſunt moraliter certæ tum ex fide, tum ex lumine rationis, tum ex præceptis poſitivis. De reliquis in caſibus particularibus ſæpiſſime habemus notitiam ſolum æqualiter, vel quaſi æqualiter probabilem, quæ juxta Semirigoriſtas ad inducendam obligationem proximam non ſufficit; Hinc Probabiliſmus non eſt occaſio multorum peccatorum materialium, multo minus formalium, quia a transgreſſione formali legis non ſolum excuſat ignorantia invincibilis ſtricte dicta, ſed etiam minus ſtricte talis, aut dubium invincibile, quod in caſu poſito datur. Quippe ſicut dubium tunc dicitur moraliter vincibile, quando illud poteſt, & debet vinci: ita ubi nulla datur obligatio vincendi dubium, illud eſt invincibile; atqui in caſu poſito nulla datur obligatio dubium deponendi, & poſitive judicandi, quod lex directa exiſtat: ergo. Vid. num. 638.

Urgent Probabilioriſtæ. Ad ſapientiam DEI pertinet, ut leges ab ipſo conditæ non tantum paucis, ſed pluribus, imo plerisque innoteſcant; non enim feruntur propter paucos, ſed propter bonum commune generis humani; atqui niſi notitia notabiliter, & manifeſte probabilior eſſet ſufficiens promulgatio legis directæ, plurimæ leges pauciſſimis innoteſcerent: ergo. Confir. Quando DEUS fert legem, illam ſufficienter manifeſtat; atqui legem, de cujus exiſtentia habetur notabiliter, & manifeſte major probabilitas, DEUS probabilius tulit: ergo legem, de cujus exiſtentia habetur notabiliter, & manifeſte major probabilitas, probabilius ſufficienter manifeſtavit. 681

Reſpondent Probabiliſtæ. Ad ſapientiam DEI pertinere quidem, ut leges plerisque innoteſcant ſecundum rationem explicitam, & generalem, non item etiam ſecundum omnes rationes, & caſus particulares. Cum enim rationes, & circumſtantiæ particulares ſint innumeræ, in quibus ſatis determinare, an actio in illis ſit licita, vel illicita, humanam ſuperat 682

fra-

fragilitatem, Sapientia DEI plus non exigit, quam ut plerisque innotescant prima juris naturæ principia. Profecto modo observarentur leges, de quarum existentia prudenter dubitare non possumus; respublica humana optime foret constituta, nec DEUS facile per peccata formalia offenderetur; ad eliminanda autem peccata materialia Probabiliorismus parum confert. Ad confir. dist. maj. Quando DEUS fert legem, & per illam proxime vult obligare, eandem sufficienter manifestat, conc. maj. secus, neg. maj. & dist. min. Atqui legem, de cujus existentia habetur notabiliter major probabilitas, probabilius tulit, & dependenter ab hac notitia per illam vult proxime obligare, neg. min. aliter, conc. min. & neg. cons.

683 *Argumentum VI.* Vel usus opinionis minus probabilis & minus tutæ esset licitus, quando operans judicium directum de veritate, & falsitate opinionis probabilis suspendit? vel quando judicat, illam esse veram? vel quando judicat illam esse falsam? Non primum, quia, qui judicium circa honestatem, & inhonestatem suæ actionis suspendit, non agit ex fide: non secundum, quia intellectus a minore probabilitate tam parum potest moveri ad assensum, quam una pars in bilance a minore pondere ad descensum: non tertium, quia operans secundum opinionem, quam judicat esse falsam, omnino agit contra propriam conscientiam. Hinc S. Augustinus libr. de utilitate credendi, cap. 11 docet, quod quis opinionem, quam in operando sequitur, prius debeat per assensum approbare: *Quomodo enim*, inquit, *quod sequuntur, si non probant, probabile?*

684 Respondent Probabilistæ. Quod usus opinionis probabilis sit licitus in omnibus tribus casibus. Nam 1, licet operans suspendat judicium directum de veritate, & falsitate opinionis minus probabilis, & v. g. solum dicat: Fortassis hæc opinio, quæ mihi appa-

ret minus probabilis, est vera, & aliis videtur probabilior ob gravia fundamenta, quæ pro se habet: nihilominus agit ex fide, modo sibi formet dictamen reflexum moraliter certum de licentia suæ actionis. 2. Quod intellectus a minore probabilitate saltem tunc possit moveri, quando ex parte voluntatis accedit aliud motivum, ob quod assensus aliunde apparet melior futurus, jam num. 559 pluribus fuit declaratum. 3. Si aliquando admittitur, quod liceat sequi opinionem, de cujus veritate, & falsitate judicium suspenditur, nihil amplius videtur obstare, quo minus id ipsum liceat etiam tunc, quando opinio judicio directo, & speculativo probabilius judicatur falsa. Neque enim judicium speculativum de falsitate opinionis corrumpit actionem, neque operans proprie agit contra suam conscientiam, si nihilominus habeat judicium reflexum certum de honestate practica suæ actionis, & permissione legis consequentis. S. Augustinus carpit loc. obj. veteres Academicos, qui docebant, propter periculum errandi neminem prudenter posse assentiri ulli objecto; objectum autem, quod a nemine per prudentem assensum probari potest tanquam verum, utique non meretur dici probabile. Vid. num. 608, & 673.

Urgent probabilioristæ 1. Qui judicat aliquam opinionem e. g. quod liceat pingere die festo, esse falsam, hoc ipso judicat opinionem de licentia talis actionis esse erroneam: ergo non potest judicare, quod sit regula honeste operandi; alias dictamen practicum fundaretur in opinione, quæ judicatur erronea. Conf. S. Paulus ad Rom. 14, & 1 ad Cor. 8 arguit illos peccati, qui contra proprium suum judicium manducant idolothyta, aut immunda: ergo non licet agere contra propriam conscientiam. 2. Imprudens est illatio: Alii judicant, hanc actionem esse licitam: ergo mihi licet, quamvis ego judicem, illam esse illicitam; atqui ita infert, qui agit contra 685

proprium judicium. Quin talis debet admittere, quod ipsum peccatum sibi sit licitum, ut patet ex hoc Syllogismo: Hanc actionem ponere est peccatum; sed mihi licitum est hanc actionem ponere: ergo mihi licitum est peccatum. Conf. Si possem licite sequi alienam opinionem in operando, tunc etiam in loquendo; hoc aperte falsum; quia nunquam licite possum affirmare, quod ego falsum judico, etsi alii censeant, id esse verum.

686 Respondent Probabilistæ. Ad 1. dist. ant. Qui judicat, aliquam opinionem esse falsam, judicat illam esse erroneam judicio solum probabili, & ita, ut simul judicet, probabile esse, quod non erret, conc. ant. judicat tantum, esse erroneam, neg. ant. & dist. conf. Ergo non potest judicare, quod sit regula operandi honeste proxima, & in quantum æstimatur esse falsa, conc. conf. quod sit regula remota, & in quantum cognoscitur probabiliter vera, neg. conf. Judicium reflexum non fundatur in opinione probabili, quatenus æstimatur falsa, sed quatenus cognoscitur esse probabilis, & actio in his circumstantiis conformis legi consequenti. Ad conf. conc. ant. dist. conf. Ergo non licet agere contra propriam conscientiam, si sistatur in solo judicio speculativo, & actio judicetur etiam in his circumstantiis esse illicita, conc. conf. si fiat dictamen reflexum, judicans, actionem in his circumstantiis esse licitam, neg. conf. Quando Probabilistæ dicunt, quod liceat agere contra propriam conscientiam, solum asserunt, quod liceat sequi opinionem minus tutam, cujus veritatem ex principiis directis quidem nego, probabilitatem tamen ejusdem agnosco, & hinc facio dictamen reflexum, quod actio in his circumstantiis sit licita.

687 Respondent ad 2. Conc. maj. neg. min. Sed operans ita discurrit: Ego quidem ex principiis directis judico hanc actionem esse illicitam, quia tamen hoc meum judicium est incertum & fallibile, & alii

sapien-

ſapientes ex motivo gravi judicant oppoſitum, ideo hanc opinionem agnoſco probabilem: ergo licite ago, me in praxi conformando eorum judicio. Syllogiſmus additus eſt vitioſus, quia to *hanc actionem ponere*, in majore accipitur, prout eſt objectum judicii directi de inhoneſtate actionis ſecundum ſe, in minore vero, prout eſt objectum judicii reflexi ſupra probabilitatem opinionis alienæ, & ſupra licentiam actionis ponendæ in his circumſtantiis. Ad confir. neg. maj. Loquens exercite profitetur, ſe habere illam mentem, quam verbis profert, & ideo ſequendo opinionem alienam contra propriam mentitur, quod eſt contra certam obligationem aliunde notam; nihil horum fit, dum quis in operando ſequitur opinionem alienam. Plura, quæ hic a quibusdam afferri ſolent, debent ſolvi ab ipſis Probabilioriſtis, qui defendunt, licitum eſſe uſum opinionis minus tutæ æqualiter probabilis, in quam ſententiam etiam multa ex hic allatis poſſunt retorqueri, ut cui libet facile patebit.

DISPUTATIO VI.

De conſcientia dubia, erronea, & ſcrupuloſa.

Quæ hucuſque dicta ſunt de licentia operandi, 688
quando probabilitas, vel dubium immediate cadit ſupra licentiam actionis, & exiſtentiam legis, probabiliſtæ communiter extendunt etiam ad caſum, quo vere probabile, vel poſitive dubium eſt, utrum legi jam ſit ſatisfactum, utrum non fuerit abrogata &c. e. g. habes rationem vere probabilem, quod aliquod peccatum grave jam fueris confeſſus, quod aliquam horam canonicam jam recitaveris &c. juxta ipſos non teneris tale peccatum denuo confiteri, aut horam canonicam repetere. Nam hoc ipſo, quod vere probabile ſit, te legi jam ſatisfeciſſe, lex non amplius eſt

 certa,

certa, nec unquam pro talibus circumstantiis certo obligavit, adeoque in his circumstantiis possidet libertas certa contra obligationem dubiam; alias, cum in moralibus raro habeatur certitudo, & memoria eorum, quæ fecimus, orirentur innumeræ perplexitates, anxietates, & scrupuli. Si dicas, contra certitudinem nullam dari probabilitatem, neque in dubio factum præsumi; negatur suppositum, quod in hoc casu certitudo legis maneat, aut factum præcise præsumatur, quod revera exstitisse gravis ratio suadet; hinc licet obligatio confitendi, & recitandi horam prius certo exstiterit, quia tamen nunc est dubia, DEUS censetur esse contentus impletione probabiliter facta. Vid. Cardenas Crisi 1 diss. 6 cap. 4. Illsung. T. 5 num. 150, &c.

689 Aliud est, si dubium de satisfactione, abrogatione legis, &c. tantum est negativum, aut in materia justitiæ e. g. si probabile sit, te solvisse Cajo 100 fl. quos certo illi debebas. Nam in dubio negativo non habetur gravis, ac sufficiens ratio, vi cujus aliquis prudenter se possit a lege eximere; in materia autem justitiæ, si æqualitas solutionis per errorem solum materialem non poneretur, id cederet in grave damnum creditorum, qui propterea non solent esse contenti solutione tantum probabili, & incerta, si debitum sit certum: hinc illis jus positive assistit, & certitudo possessionis prævalet probabilitati facti, saltem si hæc non sit notabiliter major. Si tamen tam creditor, quam debitor de solutione dubitaret, juxta Laym. Diana, & Tamburin. tantum daretur obligatio solvendi partem pro qualitate dubii, imo juxta Tannerum debitor in dubio positivo omnino deobligaretur, nisi de solutione certa conventum fuisset. Ut itaque in materia justitiæ, & dubio negativo determinetur, an liceat sequi partem minus tutam, confugiendum est ad illud principium: **In dubio melior est conditio possidentis.**

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An & quando libertas sit in possessione contra legem, & lex contra libertatem?

Possessio duplex est, stricte, & latius sumpta. 690
Prior tantum habet locum in materia justitiæ circa res præsertim corporales, quæ a nobis apprehendi, & sub nostrum dominium cadere possunt. Posterior vagatur per omnes virtutes, & denotat immunitatem ab aliquo onere, seu potestatem moralem aliquid agendi, vel omittendi. Displicet hic modus loquendi Fagnano; verum si nomen possessionis, quod a pedum positione desumptum, initio tantum rebus corporeis fuit applicatum, postea a Canonistis, & Theologis extendi potuit ad res incorporeas e. g. ad Beneficia Ecclesiastica, Jura Patronatus, &c. cur idem nomen non possit extendi etiam ad alias virtutes. Profecto potestas instituendi, & usurpandi voces semper credita est apud Magistros scientiarum, & artium esse, &, sicut in communi modo loquendi aliquem vocare solemus dominum, aut possessorem beneficii, honoris, famæ, &c. quamdiu ipsi nullum resistit jus, aut factum; ita apud innumeros propemodum Theologos, & Jurisconsultos non paucos legitur possessor libertatis, innocentiæ, &c.

Quod in materia justitiæ melior sit conditio pos- 691
sidentis, clare statuitur Regul. 65 in 6: *In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis*; & Regul. 128 ff. de Regul. Juris: *In pari causa possessor potior haberi debet*; quod autem hoc principium etiam procedat pro foro interno, receptum est in omnibus tribunalibus, etiam apud barbaras gentes, quæ nullam de jure Romano habent notitiam. Ratio ulterior est, quia possessor præter jus dubium proprietatis, in quo par est alteri, habet etiam jus certum possessionis, in quo alterum excedit; ubi tamen non semper attenditur ad

possessionem rei corporalis, sed potius ad possessionem alicujus juris, aut obligationis. Sic dubius, an debitum certum solverit, juxta dicta tenetur adhuc solvere, licet sit in possessione suæ pecuniæ, quia hic prævalet jus creditoris. Econtra dubitans, an debitum contraxerit, non tenetur solvere, quia possidet libertatem, seu immunitatem ab onere solvendi, nec debito incerto debetur certa solutio.

692 Quodsi pro neutro stet possessio, vel præsumptio juris, in dubio neuter possessionem, aut dominium sibi potest arrogare, e. g. dubium est, an res aliqua sit legata Cajo, vel Titio, neuter illam potest occupare, quia sine justo titulo se alteri præferret; hinc vel res dividenda, vel amicabilis compositio facienda est. Atque in hoc sensu intelligendi sunt Probabilistæ, quando communiter docent, quod non liceat sequi sententiam probabilem, ubi agitur de præjudicio tertii, quia non licet proximo inferre damnum, aut gravamen certum ob jus incertum; sed uti sententia probabili est uti jure incerto, & proximum exponere periculo gravis præjudicii, ac illi inferre gravamen certum, ut arguit D. Amort: tu vero intellige, nisi ad jus incertum accedat possessio, vel præsumptio juris, quæ non aliunde per specialem legem, aut jus certum enervetur. Sic cap. Ad decimas de Restit. Spoliat. in 6 Canonici quidem, qui intra fines certæ parœciæ decimas possidebant, causa cadunt, *Nisi evidenter docuerint, quod eam possessionem legitime assecuti fuerint: cum manifestum sit* (nisi aliud ostendatur) *eos de jure communi ad eandem Ecclesiam pertinere* scilicet ad parochialem.

693 Magis controversum est, utrum idem principium: Melior est conditio possidentis, etiam procedat in materia aliarum virtutum. Negant præter Rigoristas, Vasquez, Turrian. &c. Affirmant Lug. Dicastillo, Illsung, aliique plurimi, cum quibus sensi q. 3, siquidem dubium sit invincibile, & de ipsa existentis

ſtentia legis, quia tunc obligatio non eſt ſufficienter intimata. Dein ulterius ita probo. Ideo hoc principium procedit, & quidem de jure naturali in materia juſtitiæ, quia poſſeſſor præter jus dubium proprietatis habet jus certum poſſeſſionis, & duplex titulus prævalet ſimplici, niſi aliud obſtet; atqui etiam in materia aliarum virtutum præter jus dubium obligationis inter utramque partem poteſt in alterutra dari certa poſſeſſio, vel quaſi poſſeſſio, e. g. dubitas, an votum, an ſimplex tantum propoſitum conceperis dandi eleemoſynam; hic datur dubium inter obligationem ex una, & libertatem ex altera parte; ſed præter hoc dubium inſuper libertati ſuffragatur certa poſſeſſio, antequam enim emitteres illud ſeu votum, ſeu propoſitum, certum erat, quod fueris liber ab onere dandi eleemoſynam. Conf. Ideo hoc principium procedit in materia juſtitiæ, quia alias orirentur graviſſima incommoda, multiplicarentur lites, dominia rerum manerent incerta, &c. ergo etiam procedit in materia aliarum virtutum, quia alias deberent obſervari leges difficillimæ ſæpe non exiſtentes, multiplicarentur peccata, anſa darentur ſcrupulis, &c.

Porro, ut in praxi in quavis materia colligi poſſit, 694
an libertas, an potius lex ſit in poſſeſſione, ſolent dari iſtæ regulæ univerſales 1. Pro illa parte ſtat poſſeſſio, quæ onus probandi rejicit in alteram; quia ſicut nulla debet imponi obligatio, niſi ſufficienter probetur, ſic nullus poteſt prætendere exceptionem a lege, niſi illam ſufficienter probet. 2. Pro illa parte ſtat poſſeſſio, pro qua ſtat præſumptio juris; nam jura non præſumunt absque cauſa, ſed ex probabili conjectura deſumpta ex communiter contingentibus: ergo pars, pro qua jura præſumunt, debet reputari vera, donec contrarium oſtendatur. 3. Si libertas tempore præcedit obligationem, poſſidet libertas, ſi vero libertatem præcedit obligatio, poſſidet obligatio, e.g. quia die Jovis præcedit libertas comedendi carnes, in

 dubio,

dubio, an ſit elapſa media nox, poteris carnes comedere. Econtra quia die Sabbati prior eſt obligatio abſtinendi a carnibus, in dubio, an ſit elapſa media nox, non poteris licite carnes comedere.

695 His regulis, quamvis bonæ ſint, non obſtantibus, Auctores ſæpe in particularibus in diverſas vias abeunt, quia non ſemper ita exploratum eſt, an libertas, an obligatio præcedat, & pro qua parte ſtet præſumptio, ut onus probandi in alteram rejiciatur. Sic, ſi dubium eſt, an diſpenſatio obtenta e. g. in impedimento Matrimonii ſit valida, putat Molina, non poſſe contrahi Matrimonium, quia videtur præcedere obligatio; alii vero apud Dianam part. 4 tract. 3 reſolut. 45 cenſent, poſſe contrahi, quia in dubio ſemper judicandum eſt pro valore actus l. Quoties ff. de rebus dubiis; unde videtur præcedere libertas, ſiquidem prior eſt certitudo diſpenſationis, ad quam primum conſequitur dubium de ejus valore. Plura ejusmodi exempla inter Auctores controverſa exhibet La Croix lib. 1, de Conſcientia dubia, & paſſim occurrent legenti. Ut igitur in hac materia practica leges univerſales facilius applicare poſſimus, juvat adhuc addere quasdam regulas particulares communiore Auctorum calculo receptas.

696 Igitur libertas manet in poſſeſſione. 1. Quando invincibiliter dubitatur, an lex aliquando fuerit lata, vel utrum ſit univerſalis, & etiam hunc, vel illum caſum comprehendat, e. g. an lex prohibitiva operis ſervilis die feſto comprehendat opus artis pictoriæ, quippe ſic vere dubium eſt, an exiſtat lex hanc actionem prohibens. 2. Quando dubitatur, an lex ſit promulgata; nam promulgatio eſſentialiter requiritur ad obligationem legis, & eſt aliquid facti, quod non præſumitur, niſi aliunde conſtaret, legem eſſe receptam. 3. Quando dubitatur, an legem ferens ſit legitimus Superior, e. g. an ſit legitime electus, quia tunc non datur certa poſſeſſio pro jure præcipiendi,

piendi, nisi superior saltem habeat possessionem sui officii e. g. si acceperit claves, sigillum, &c. 4. Si dubitatur, an verba legis contineant præceptum, vel tantum consilium, an obligent sub levi, vel sub gravi; nam in dubiis benigniora præferenda sunt. 5. Si dubitetur, an consuetudo sit inducta ex devotione, vel animo obligandi; nemo enim præsumitur, sibi voluisse imponere aliquod onus, nisi id aliunde colligatur ex communi hominum sensu, vel objecti qualitate, uti juxta Cardenas semper præsumitur de universalibus consuetudinibus Ecclesiæ; item, si consuetudo est longi temporis, circa rem gravem, & a majore populi parte tanquam obligatoria servatur, si transgressores a Superioribus puniuntur, & viri pii, ac prudentes male sentiunt de iis, qui consuetudinem violant.

Lex est in possessione contra libertatem. 1. 697
Quando certum est, dari legem, eamque per se comprehendere hanc materiam, & tantum dubitatur, an fuerit abrogata, aut usu recepta, neque enim ad essentiam legis requiritur acceptatio populi. 2. Quando solum dubitatur, an legi certæ fuerit satisfactum, vel utrum non adsit sufficiens causa excusans: quoad ultimum tamen contrarium tenet Salas, si materia legis sit valde molesta, & ex observatione immineret grave periculum e. g. morbi. 4. Quando dubitatur, an adsint conditiones requisitæ ad favorem legis acceptandum e. g. ætas sufficiens ad recipiendos Ordines, saltem nisi aliunde constet, quod conditio illa jam aliquando adfuerit, ut si certus, quod a medio noctis fuerit jejunus, dubitet, an non postea forte aliquid deglutierit. 5. Quando certum est, aliquod factum præcessisse, & tantum dubitatur, an adfuerit debita intentio, advertentia, &c. imo ipsum factum præsumitur, si illud de jure erat faciendum, aut communiter fieri soleat, aut ex natura rei comitetur aliud factum, de quo constat.

698 Colliges 1. Qui invincibiliter dubitat, an aliquid promiserit, donaverit, contraxerit, regulariter ad nihil tenetur, tum quia factum non præsumitur, tum quia ob jus alterius incertum non debet dejici a sua possessione; quodsi tamen de promissione, donatione, &c. certo constet, & tantum voces sunt ambiguæ; Judex in causis favorabilibus e. g. libertatis, dotis, contra promittentem potest pronuntiare. 2. In dubio invincibili juris, an actus, quem aliquis exercuit, sit prohibitus sub censura, vel irregularitate, non tenetur aliquis se gerere tanquam censuratum, aut irregularem, ut colligitur ex cap. 5 In, qui de Sent. excomm. in 6. idem est de dubio facti, an commiseris illud delictum, cui scis annexam esse censuram, vel irregularitatem. Excipitur casus homicidii, ut num. 586 advertimus. 3. Qui dubitat, an commiserit delictum injustitiæ, vel an damnum aliquod causaverit e. g. an depositum, vel commodatum projecerit sua culpa, non tenetur ad restitutionem. Neque obstat, quod Judices non nunquam procedant ex præsumptione delicti juxta communiter contingentia, ne fiat nimia legum relaxatio, quia ex hoc non sequitur, quod aliquis etiam extra judicium privata opinione se debeat ipsum pro reo habere.

699 Colliges 4. Qui invincibiliter dubitat, an voverit, vel juraverit, aut utrum verba prolata veram promissionem, an tantum propositum, vel simplicem assertionem denotent, non tenetur voto, aut juramento; quippe iniquum foret, aliquem cogere ad solutionem, quin probetur obligatio exstitisse. 5. Qui certo scit, se vovisse, & tantum dubitat, an habuerit mentem vovendi, & se obligandi, tenetur voto, tum quia communiter contingit, ut vovens se velit obligare, tum quia delictum non præsumitur, quale tamen esset, si verba tantum simulate protulisset. 6. Idem dicendum, si quis dubitet, an, quando votum emisit, habuerit debitam advertentiam, & liber-

libertatem, an non fuerit ebrius, somnolentus, &c. nam vota raro solent emitti sine plena deliberatione, adeoque præsumptio stat pro valore actus; intellige, nisi præsumptio ex aliis conjecturis elidatur e. g. quia aliunde constat, votum emissum fuisse in aliqua ebrietate, aut in ætate plenæ deliberationis adhuc incapaci, tunc enim favendum est libertati, cum deliberatio sufficiens essentialiter ad omne votum requiratur.

QUÆSTIO II.

Quid in probabilibus, & dubiis liceat Ministro Sacramentorum, Medico, Judici, & Advocato?

Post examinatas controversias circa licentiam operandi, quando probabilitas, vel dubium immediate versatur circa existentiam legis prohibentis, breviter nunc examinandum restat, quid liceat, vel non liceat, si dubium, aut probabilitas cadit supra aliquid aliud; cum enim non obstante probabilitate remota, & speculativa, nihilominus possit dari lex certa, quæ actionem minus tutam circa ejusmodi materiam prohibeat, facile patet, in tali casu aliter discurrendum esse, nec amplius locum habere principia hactenus tradita. Concernit autem hæc quæstio præcipue Ministrum Sacramenti, Medicum, Judicem, & Advocatum, a quibus facile potest deduci argumentum ad alios similis conditionis. Itaque 700

Dicendum 1. Minister Sacramenti in iis, quæ spectant ad valorem, per se loquendo tenetur sequi partem tutiorem, etsi minus tuta sit probabilior, vel etiam probabilissima. Probatur ex propositione damnata ab Inocentio XI: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conditio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia probabili tantum utendum* 701

utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis; quæ propositio licet non faciat expressam mentionem opinionis probabilioris, vel probabilissimæ, tamen illius usum etiam damnatum esse, constat ex eo, quod juxta communem interpretationem Pontifex voluerit nos obligare ad sequenda tutiora. Et ratio ulterior est, quia alias Sacramentum exponitur periculo morali nullitatis, quod adversatur 1 Religioni, quia infertur gravis irreverentia Christo, qui Sacramenta instituit, ut sint instrumenta salutis, & causent gratiam. 2. Charitati erga proximum, qui exponitur periculo gravis damni spiritualis, quin hoc possit averti per probabilitatem opinionis, si illa forte reipsa sit falsa. 3. Justitiæ; læditur enim jus suscipientis, quod habet, ut sibi Sacramentum rite ministretur, præsertim, si Minister aliunde ex officio, vel quasi contractu ad id obligetur.

702 Dixi 1. In iis, quæ spectant ad valorem Sacramenti, uti sunt materia, forma, intentio, &c. si enim solum agitur de licentia, & modo Sacramentum administrandi, licet sequi sententiam probabilem minus tutam. Hinc quamvis Confessarius se non possit accommodare opinioni pœnitentis, quam judicat, omnino esse improbabilem, ut si aliquis nollet repetere peccata prius omissa ob instans periculum vitæ: si tamen pœnitens vellet sequi sententiam, quæ ad valorem Sacramenti non pertinet, & ab ipso Confessario judicatur esse probabilis; e. g. si pœnitens prius fecisset informem confessionem, sed validam, & nollet repetere peccata ibi exposita, Confessarius posset, imo cœpto jam judicio deberet illum absolvere, etsi ipse Confessarius opinionem pœnitentis putaret probabilius esse falsam. Ratio est 1, quia talis pœnitens est rite dispositus, & habet jus sequendi opinionem probabilem: ergo etiam habet jus ad absolutionem. 2. Quia Confessarius debet judicare secundum conscientiam pœnitentis, neque iste

tenetur

tenetur se conformare opinioni Confessarii, qui stultus foret, si omnes vellet obligare ad tenendas easdem secum opiniones. 3. Si Confessarius esset in eadem opinione cum pœnitente, deberet ipsum absolvere: ergo etiam, quando est in opinione contraria, quia ipsius opinio speculativa se habet mere per accidens ad dispositionem, & jus pœnitentis.

Dixi 2. Per se loquendo. Nam per accidens, 703
& ex causa valde gravi etiam circa valorem Sacramenti licet sequi opinionem probabilem minus tutam. Tales causæ censentur 1, necessitas, præsertim extrema; quippe lex charitatis exigit, ut proximo in tali necessitate succurramus saltem, quantum possumus: neque Sacramento, quod pro salute hominum institutum est, infertur irreverentia, quando pars tutior non relinquitur, sed non habetur. Hinc in extrema necessitate ad Baptismum licet adhibere aquam rosaceam, jusculum, &c. si tutior materia haberi nequit. 2. Si alias Sacramenti administratio fieret nimium difficilis & odiosa; hinc num. 534 diximus, quod Confessarius licite possit absolvere pœnitentem, de cujus dispositione habet judicium probabile. 3. Quando datur rationabilis præsumptio, quod Ecclesia suppleat defectum circa aliquam conditionem ad valorem Sacramenti requisitam; sic Confessarius habens opinionem probabilem de jurisdictione requisita ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, ex rationabili causa potest audire, & absolvere pœnitentem, quia moraliter certo præsumitur, quod Ecclesia ex tacito consensu, & de præsenti ratihabitione suppleat defectum jurisdictionis, quando hæc est vere probabilis; id enim postulat supremi Pastoris officium, & utilitas communis, ne sequantur maxima incommoda, & gravissimæ deordinationes.

Dicendum 2. Medicus circa salubritatem medicinæ tenetur sequi opiniones certas, aut in harum defectu probabiliores, & securiores, quia id exigit 704

non

non tantum lex charitatis, qua tenemur meliore modo succurrere proximo graviter indigenti, sed etiam obligatio justitiæ; dum enim æger se curandum committit Medico, & hic illius curam suscipit, inter eos fit pactum, saltem tacitum, & implicitum de adhibendis remediis, quæ magis salutifera censentur, & hic & nunc haberi possunt, adeoque Medicus non tantum peccat contra charitatem, sed etiam contra pactum, si omissa medicina secura, vel probabiliore adhibet minus probabilem, incertam, vel periculosam, cum sic salutem corporalem proximi exponat gravibus periculis, ad quæ avertenda major probabilitas, aut dictamina reflexa nihil conferunt, si medicinæ ipsæ non sunt salutares. Putant tamen tamen Sanchez, Novarrus, & Castropalao, Medicum posse ægris applicare medicinam, quam alii doctiores salutiferam existimant, licet illis non assentiatur, quia deposita propria opinione aliorum sententiæ se potest conformare.

705 Præterea Medicus ab obligatione adhibendi medicinas certiores, & probabiliores, excusatur in his casibus. 1. Si hic & nunc medicina certior, & probabilior non potest haberi, tunc enim licet adhibere probabilem, vel etiam dubiam, modo non timeatur, quod potius sit obfutura. 2. Quando æger non habet sufficientes sumptus ad comparandas medicinas utiliores, vel si adeo est morosus, ut ad illas sumendas non possit compelli. 3. Si ægrotus extreme laborat, ita, ut moraliter certum, vel verisimillimum sit, eum esse moriturum, nisi aliquo remedio adjuvetur, & nihil aliud occurrat, quam medicina minus secura, quia sic proximus non exponitur periculo mortis, sed probabili spei salutis. Aliud est, si dubium sit mere negativum, & non habeatur probabilis ratio de salubritate medicinæ; tunc enim medicina præcise videretur adhiberi ad sumendum experimentum de ejus virtute; atqui Medico nunquam licet ægrotis, etiam desperatis, præcise ad sumendum experimentum

tum applicare medicinas inexploratas, quia tali modo æger sine probabili spe salutis exponeretur manifesto periculo accelerandæ mortis; vita autem hominis pretiosior est, quam ut debeat servire experimentis Medicorum. Sumant has experientias in aliis animalibus.

Dicendum 3. Judex in ferenda sententia non 706
potest sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliore, sive sit quæstio facti, sive juris. Probatur ex propositione 2 damnata ab Innocentio XI: *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Ratio est, quia Judex ex officio suo, & pacto tacito cum republica tenetur ferre sententiam secundum leges, & merita causæ; certum autem est, quod ea pars litigantium, quæ causam suam in judicio sive de jure, sive de facto, probabiliorem ostendit, secundum leges, & rationes magis mereatur sententiam pro se, quam contra se. Adde, quod opposita licentia induceret gravissimam perturbationem reipublicæ; namque passim invalesceret oppressio pauperum, acceptatio personarum, in Scripturis adeo reprobata, innumerarum litium iniqua decisio pro Judicis arbitrio, & affectu. Cum enim vix ulla sit causa, quæ non habeat pro se aliquam probabilitatem, vel etiam legem apparentem; Judices ex sinistro affectu faverent amicis, vel dantibus munera, ut proin melius foret, ad terminandas lites constituere sortem, quam Judices; sors enim æqualiter faveret omnibus, nec requireret tantas expensas.

Quodsi omnibus rite expensis Judex videat, 707
pro utraque parte stare æqualem probabilitatem tam de jure, quam de facto, debet utrique parti favere æqualiter, adeoque procurare compositionem, transactionem, aut divisionem rei, neque potest rem totam pro affectu suo adjudicare uni parti, ut hodie communissima docet contra quosdam antiquiores, qui casum hunc numerabant inter casus pro amico, in quibus

quibus datur locus favori, ab aliis tamen rectius censetur esse casus pro Diabolo. Interim Judex non tantum debet attendere ad principia directa, sed etiam ad reflexa; hinc quando pro utraque parte datur æqualis probabilitas de facto, tenetur rem adjudicare illi, cui jus fortius assistit, uti in causis non exceptis cæteris paribus magis assistit possidenti, reo potius quam actori; item causis Matrimonii, dotis, libertatis, pupilli, viduæ, peregrinis, aliisque causis piis, quæ indicantur cap. final. de Sent. & re judicat. Procedunt ista etiam respectu Judicis inferioris, quamvis credat, suam sententiam reformandum esse a superiore, quia nihilominus debet satisfacere suo officio, & pars adversa forte non appellabit, aut ipse superior visa inferioris sententia rem melius considerabit.

708 Dicendum 4. Advocatus tam in quæstionibus facti, quam juris, licite potest suscipere causas non solum æqualiter, sed etiam minus probabiles, dummodo clientem de minore probabilitate præmoneat, quia officium Advocati non est ferre sententiam decisivam, sed tantum rationes partis, quam defendit, Judici proponere; cum igitur utraque pars litigans habeat jus ad causam suam tuendam, quamdiu jus oppositæ partis non est certum, idipsum licebit Advocato, qui personam unius partis coram Judice sustinet, & insuper sperare potest, quod fortassis Judex suam sententiam censeat esse æque, vel magis probabilem, cum non raro id, quod uni videtur minus probabile, alteri appareat probabilius. Advocatus tamen non potest suscipere causam injustam, improbabilem, aut ita tenuiter probabilem, ut nulla sit moralis spes illam evincendi; nam sicut in tali casu actor injuste vexaret reum, sic Advocatus suscipiendo patrocinium talis causæ peccat contra justitiam, & alteri parti tenetur ad restitutionem, non tamen suo clienti, si illum de injustitia, & lubricitate causæ præmonuit, etsi multas expensas frustra fecerit, & litem perdat, eoquod volenti non fiat injuria.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An, & quando liceat operari cum conſcientia erronea, aut ſcrupuloſa?

Quoniam ea, quæ de conſcientia erronea tra- 709
ctari ſolent, jam per decurſum hujus tractatus variis in locis explicata fuerunt, hic breviter ſolum alibi dicta in memoriam revoco. Igitur 1, Si conſcientia invincibiliter erronea dictat, aliquid eſſe licitum, licite eam poſſumus ſequi, quia ignorantia invincibilis tollit voluntarium, & excuſat a peccato formali. Hinc Chriſtus Joannis 9 v. 41. dixit: *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum.* 2. Si conſcientia invincibiliter erronea dictat, aliquid ex præcepto eſſe agendum, vel omittendum, quod reipſa præceptum non eſt, tenemur eam ſequi; nam voluntas, tanquam potentia cæca, dependet a directione intellectus: ergo ſi agit contra conſcientiam dictantem, aliquid eſſe præceptum, peccat, & non operatur ex fide, ſed legem, & DEUM legislatorem contemnit. Quare peccat, qui ex errore invincibili judicat, præceptum eſſe, ut mentiatur ad ſalvandam vitam proximi, & nihilominus omittit mentiri.

At ſi conſcientia eſt vincibiliter erronea, 710
& dictat, aliquid eſſe præceptum, quod revera eſt prohibitum, non quidem licite poſſumus contra illam poſitive agere, neque tamen licite poſſumus eam ſequi, ſed tenemur deponere errorem. Ratio primæ partis eſt, quia, qui agit contra conſcientiam erroneam dictantem, aliquid eſſe præceptum, amplectitur inhoneſtatem, & malum cognitum qua tale, non minus, ac ille, qui agit contra conſcientiam invincibiliter erroneam. Ratio ſecundæ partis eſt, quia, qui ſequitur conſcientiam vincibiliter erroneam, quæ dictat, aliquid eſſe præceptum, vel etiam permiſſum,

quod revera eſt prohibitum, jam ponit aliquid revera illicitum, quin a peccato formali excuſetur per ſuum errorem, utpote vincibilem: ergo non poteſt licite ſequi talem conſcientiam, ſed tenetur deponere errorem; cum enim error iſte ſit vincibilis, jam advertitur aliquo modo periculum errandi, & agnoſcitur obligatio melius inquirendi, quod ſi operans negligat, & tamen juxta dictamen ſuum operetur, agit contra ſuam obligationem, & ſe exponit periculo formaliter peccandi.

711 Scrupulus eſt formido peccati ex levibus rationibus orta, indeque proveniens timor, alicubi peccatum eſſe, vel fuiſſe, ubi revera non eſt, nec fuit. Dividitur in ſtricte, & late talem. Stricte, & proprie talis datur, quando formido intellectualis conſiſtit in mera apprehenſione peccati: late talis datur, quando hæc formido conſiſtit in judicio, quo quis ex levibus tantum rationibus judicat, vel ſaltem practice dubitat, aliquam actionem eſſe peccaminoſam. Porro ſcrupuloſus dicitur, qui frequenter, & quaſi habitualiter ſcrupulis vexatur, non item, qui raro admodum eos experitur; ſicut non dicitur ebrioſus, qui rariſſime ſe inebriat, quia ejusmodi voces denotant habitum. Interim dantur aliqui, qui tantum ſunt ſcrupuloſi circa præterita, alii circa præſentia, & futura; alii patiuntur ſcrupulos ferme circa omnes materias, alii circa unicam e. g. recitationem Breviarii, in reliquis ſunt ſatis tranquilli, vel etiam laxi.

712 Quamvis nunquam liceat agere contra conſcientiam ſcrupuloſam latius dictam, quia hæc proprie potius eſt conſcientia erronea, vel practice dubia, licet tamen agere contra conſcientiam ſcrupuloſam proprie dictam. Nam cum ejusmodi inani apprehenſione plerumque actu ſtat judicium prudens, ac certum, non eſſe peccatum, quod ut tale apprehendi-

henditur, licet hoc judicium per anxietatem obſcuretur. Jam vero rectæ rationi longe conformius eſt, in operando ſequi judicium prudens, quam inanem apprehenſionem; imo quandoque datur poſitiva obligatio agendi contra ſcrupulos; qui enim illos ſequitur, imprudenter, & inordinate agit, incurrit gravia pericula animæ, & corporis, deſtruit valetudinem, vires debilitat, torquetur perpetuis dubiis & perplexitatibus, nullum ſentit guſtum in rebus ſpiritualibus, &c. præterea ſe reddit ineptum ad officia, & obſequia proximo impendenda, immoderate vexat pœnitentes, &c.

Signa conſcientiæ ſcrupuloſæ ſunt. 1. Pertinax 713
judicium, ob quod aliorum conſiliis non acquieſcunt, ſed modo hunc, modo alium conſulendo fatigant. 2. Frequens judiciorum mutatio ex levi ratione. 3. Perturbate agere, & cæco quodam modo in actionibus exterioribus verſari, cum nimia anxietate, proveniente potius ex voluntate, quam ſano judicio. Sic ſæpe formidant in illis, quæ prius ſine ſcrupulo egerunt, quin videant novam rationem formidandi. 4. Habere reflexiones extravagantes innumerarum circumſtantiarum; ſic licet peccata ſua jam aliquoties ſint confeſſi, iterum, iterumque incipiunt dubitare, an ſatis explicaverint numerum, an non etiam hæc circumſtantia adfuerit. 5. Timere in omnibus peccatum, etiam in illis, quæ alii timorati ſine ulla formidine faciunt, & viri docti, ac probi dicunt, eſſe licita. 6. Si Confeſſarius doctus, & probus judicet, aliquem eſſe ſcrupuloſum.

Cauſæ ſcrupulorum partim ſunt intrinſecæ, 714
uti 1. Complexio melancholica ad timorem prona. 2. Imbecillitas capitis, ignorantia, & defectus judicii naturalis. 3. Perſpicacia ingenii, conjuncta cum puſillanimitate, dum quis excogitat varias rationes

dubitandi, quas non audet solvere. 4. Mentis inconstantia. 5. Proprii judicii pertinacia. Partim sunt extrinsecæ, uti 1. Lectio casuum conscientiæ cum incapacitate discernendi. 2. Actio scrupulosa aliquoties admissa; successive enim nascitur habitus. 3. Consortium cum scrupulosis; nam scrupulositas est instar contagionis, quæ facile alios inficit. 4. Suggestio Dæmonis, ut bonum spirituale scrupulosi impediat, eumque in laqueos, & angustias implicet. 5. Ipse DEUS permittens scrupulos vel ad punienda peccata præterita, vel ad purgandam melius animam, vel ad exercendam, & augendam humilitatem, &c.

715 Remedia contra scrupulos præscribuntur varia. 1. Fervens oratio, & alia pietatis exercitia, præsertim humiliationis, & fiduciæ in DEUM. 2. Fuga otii, & mentis aversio; scrupuli namque, præsertim circa fidem, temeraria judicia, cogitationes blasphemas, &c. melius vincuntur contemnendo, quam positive resistendo. 3. Positive agere contra scrupulos, attamen non per signa externa, exspuendo, agitando caput, &c. 4. Habere in promptu principia quædam generalia, sedandis scrupulis apta; e. g. tentationem sine libero consensu non esse peccatum, licere sequi opiniones probabiles, DEUM non præcipere impossibilia, vel nimis ardua. 5. Medium optimum, & ferme unice sufficiens est habere stabilem Confessarium, & se totum ejus directioni permittere, etsi forte minus doctus sit, quam ipse scrupulosus.

716 Cæterum scrupulosi suis quoque gaudent privilegiis, in materiis, circa quas scrupulos patiuntur. Nam 1. possunt agere omne illud, quod non statim agnoscunt esse peccatum, nec diu tenentur examinare rationes. 2. Quamvis postea agno-

agnoſcant, ſe aliquando in ſuo judicio erraſſe, poſſunt nihilominus in aliis dicto modo pergere, quia plerumque agitantur timoribus vanis, & ipſis impoſſibile foret, omnes actiones examinare. 3. Quod ſi actu timeant, ne agant cum conſcientia practice dubia, nec timorem ſtatim deponere valeant, pergant bona fide, & judicent, ſe non peccare, quia timor ille non eſt judicium, ſed tantum actus voluntatis. 4. In præparatione ad confeſſionem tantum tenentur adhibere diligentiam mediocrem, & nihil confiteri, niſi certo ſciant; imo, ſi valde ſcrupuloſi ſint, niſi jurare auderent, ſe plene advertiſſe malitiam gravem, & in illam plene conſenſiſſe. 5. Multo minus ex confeſſionibus præteritis tenentur aliquid repetere, niſi rurſus certo ſciant, eſſe mortale, ſe illud commiſiſſe, & nunquam expoſuiſſe. Ratio horum eſt perturbatio mentis in ſcrupuloſo, nimia difficultas, & periculum incidendi in graviſſima mala.

Quæres. Quid obſervandum Confeſſario hominis ſcrupuloſi? Reſp. Sequentia. 1. Diligenter ſtudeat cognoſcere, an revera ſit ſcrupuloſus, in hac, vel in illa, vel in omni materia; nam quidam putantur ſcrupuloſi, & non ſunt, alii ſunt, & non putantur. 2. Exploret ſcrupulorum cauſas, eas tollere, & apta remedia præſcribere ſtudeat, ſollicite monens, ut nunquam ſcrupulis cedat, ſed contra omnes cognitos qua tales agat. 3. Ad propoſita dubia reſolute reſpondeat, quin addat rationem ſui reſponſi; alias ſcrupuloſus vel ipſi non fidet, vel occaſionem capiet novorum ſcrupulorum. 4. Non patiatur ſibi proponi quælibet dubia, sed ſi videt, quod tantum ſcrupulos ſit allaturus, inauditum mittat ad S. Synaxin, nec ſinat ab ea abſtinere, ne privetur gratia Sacramentali. 5. Si antea obnoxius fuit multis, & gravibus peccatis, 717

& nunquam confeſſus generaliter, ad confeſſionem generalem animetur, audietur aliquoties repetens peccata adhuc memoriæ occurrentia, donec ſatis judicetur eſſe purgatus, tum vero non ſolum prohibeatur repetere priora, ſed etiam illa recogitare, quidquid ipſe in contrarium objiciat.

His claudo triplicem hunc tractatum, in quo ſi forte aliquibus nimis benignus in docendo fuiſſe videar, opto, ut illi ſint magis rigoroſi in operando; ſicut enim in praxi viam tutiorem non improbo, ſed plerumque ſuadeo; ſic in tradendis morum præceptis mallem benignitate, quam rigore excedere. Quamquam nullus dubitem, quin ille, qui actus ſuos morales juxta traditas a me regulas inſtituerit, poſt mortem a bonis Angelis in æternam beatitudinem ſit perducendus.




& magnam [illegible] periculum; [illegible] [illegible] [illegible], audiant aliquando: quanta [illegible] quam [illegible] [illegible], dum fint [illegible] [illegible] [illegible], non solum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], sed etiam [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

His dictis finiatur [illegible], in quo [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] in [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] in [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Quamquam [illegible] [illegible], [illegible] illi, qui solutiones morales [illegible] [illegible] [illegible] regulas [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]







MONSCHEIN
THEOLOGIA
DOGMATICO